INSTITUTIONES DOCTRINAE CHRISTIANAE, SIVE COMPENDIUM...

Pieter Lodewijk Danes

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
C
60
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

XII
C
60

EMANUELE III BIBLIOTECA NAZI
NAPOLI

INSTITUTIONES DOCTRINÆ CHRISTIANÆ,

SIVE

COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ & MORALIS,

Methodo Catechetica concinnatum ad uſum SEMINARII EPISCOPALIS IPRENSIS,

AUCTORE

PETRO LUDOVICO DANES CASLETANO,

Sacræ Theologiæ in Alma Univerſitate Lovanienſi Doctore, Eccleſiæ Cathedralis Iprenſis Canonico Graduato, Pœnitentiario, & Seminarii Epiſcopalis ibidem Præſide.

TOMUS SECUNDUS.

EMANUELE III - BIBL...
B. R. NEAPOLIS

VENETIIS,
Ex TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

MDCCXXXIII.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ,
SIVE
COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ & MORALIS.

PARS SECUNDA.

DE SPE, & ORATIONE, PRÆSERTIM DOMINICA, HORISQUE CANONICIS.

Cum *Fides*, teſte Apoſtolò, (*a*) ſit *ſperandarum rerum ſubſtantia* baſis ac fundamentum, conſequens eſt, ut poſtquam de *Fide* actum eſt, de SPE tractetur. Hæc, *ſecunda* edificii ſpiritalis pars eſt, quæ *fundamentis* veræ Fidei *ſuperſtructa*, deſiderio & expectatione in cœlum *erigitur*, ut iſtic perfectiſſima charitate *compleatur*. Cæterùm ſpei noſtræ index ORATIO eſt, cujus hìc proindè tractatio neceſſariò conjungenda eſt: ſed quia inter omnes, longiſſimè eminet *Dominica*, illa primùm veniet expendenda. Adjungetur quæ iſtam in Eccleſia Catholica ſequi ſolet,

(*a*) *Hebr.* 11. 1.

Digitized by Google

let, SALUTATIO ANGELICA. Conſiderandæ demùm erunt eæ preces, quas HORAS CANONICAS dicimus, quarum uti clericis quotidianus eſt uſus, ita ſingularis eſt eas rectè intelligendi, riteque perſolvendi neceſſitas.

CAPUT PRIMUM.

De SPE *Chriſtiana, ejuſque exercitio, & vitiis illi adverſis.*

Vide S. Thom. 2. 2. *q*.17. *& quinque ſeqq.*

SPEI nomen generatim denotat eum animi, ſeu voluntatis *affectum*, quo cum *fiducia expectatur* bonum aliquod arduum, ſed poſſibile, per certa media conſequendum. Hinc colligi poteſt quid ſit *Spes Chriſtiana*, quam ſecundam inter virtutes Theologicas recenſemus.

Q. 1. *Quid igitur eſt* SPES *Chriſtiana?*

℟. Eſt *virtus divinitus infuſa, qua certa cum fiducia noſtræ ſalutis & æternæ vitæ bona expectantur*; ſive: eſt, *Expectatio cum fiducia*, Dei, ut ſummi boni noſtri, per ipſam ejus bonitatem & potentiam conſequendi.

In hac expectatione atque fiducia, reperitur *amor* alicuis, non quidem *benevolentiæ*, ſed *caſtæ concupiſcentiæ*, quo Deum nobis ipſis, non tamquam *fini*, ſed tamquam *ſubjecto* deſideramus. *Finis* autem noſter *ultimus* in ſpe, non eſt alius quam Deus ipſe, ejuſque bonitas: quem ideò cupimus, quia finis noſter eſt, qui nos creavit (*a*) *ad ſe*, voluitque à nobis

(*a*) *Feciſti nos, Domine*, ad te, *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* S. Auguſt. *lib.* 1 *confeſſ. c.* 1.

Digitized by Google

nobis ſummo deſiderio appeti, ut nos æternùm *ipſius* eſſemus, & ille *noſter*.

Q. 2. *Quo pacto iſta Spei Chriſtianæ virtus* obtinenda eſt, *& quomodo* amittitur?

℟. Frequenti & ardenti Oratione à Deo poſtulanda eſt: eſt enim virtus *divinitus infuſa*, & ſingulare Dei donum, quod quidem in Baptiſmo cum fide & charitate infunditur, ſed non minus in ſui *conſervatione & augmento*, quàm in prima ſui *infuſione*, à Dei benignitate dependet.

Amittitur, amiſſa fide, quæ utique eſt ſperandarum rerum fundamentum. *Deſperation*e etiam, & interdum *præſumptione*, de quibus agetur infrà. Habere eam poſſunt deſtituti *Charitate & meritis*: quamquam ſperare non poſſunt ſalutem, niſi per Charitatem & merita conſequendam. In *Beatis*, ſpes una cum fide evacuata eſt, quia non eſt locus primario ejus actui: *damnati* etiam omni ſpe æternum ſpoliati ſunt, quia deſiit ipſis beatitudo eſſe *poſſibilis*: In *purgatorio* ſpes manet & creſcit, adjunctam jam habens conſequendæ aliquando beatitudinis certitudinem & ſecuritatem.

Q. 3. *Quænam ſunt* ſperanda *homini Chriſtiano*?

℟. Illa definitionis verba, *noſtræ ſalutis & æternæ vitæ bona*, continent omnia quæ ſperanda ſunt. Nempe (*a*) *primariò* & ante omnia quærenda & expectanda eſt *vita æterna*, quæ non eſt aliud quàm ipſe Deus æternum à nobis poſſidendus, ac deinde cætera, quibus ad eam perducendi ſumus, id eſt, multiplicia *divinæ gratiæ* auxilia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

(*a*) *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. 6. 33.

Hoc illud eſt, quod *objectum materiale* ſpei vocari conſuevit.

(a) Jerem. 17. 5. Q. 4. *Licitumne eſt ſpem collocare in* (a) homine, *aut in quavis alia creatura?*

℟. In *ſolo Deo* ſperandum eſt tamquam *cauſſa prima* & principali ſalutis noſtræ: *Sanctos* tamen, ac præcipuè *SS. Virginem Matrem*, & vivificam Chriſti *crucem* vocamus aliquando *ſpem* noſtram, quatenùs à Deo conſtituta ſunt *inſtrumenta* ſalutis noſtræ.

Q. 5. *Eſtne Chriſtiano homine indignum temporalia bona à Deo ſperare?*

(b) Pſal. 144. 15. ℟. Si hæc non aliter expectentur, niſi *quatenus ad æterna* conducunt, planè à Deo (b) ſperanda ſunt æquè ac æterna, cùm à ſola ejus benignitate dimanent omnia. Verùm, quia temporalia bona, ob *malum uſum*, ſaluti animæ poſſunt eſſe, & ſæpè ſunt, noxia, idcirco *ſimpliciter* ſperàri, & abſolutè poſtulari non debent, ſed eo dumtaxat modo, eaque conditione, qua dictum eſt.

Q. 6. *Cujuſmodi debet eſſe Spes Chriſtiana?*

℟. *Certa* planè, & ab omni *fluctuatione* & hæſitatione immunis.

Q. 7. *Quæ tantæ firmitatis &* certitudinis *ratio eſt?*

Rom. 4. 18. Jac. 1. 6. ℟. *Omnipotentis* Dei, qui *promittere* dignatus eſt, *infinita* benignitas, applicanda nobis per *merita Jeſu Chriſti* redemptoris. Huic nempe, tamquam motivo, & *objecto*, uti vocant, *formali*, innititur ſpes Chriſtiana.

Cùm itaque omnipotentiæ, miſericordiæ & veracitati Dei, per merita Jeſu Chriſti, qui pro nobis mortuus eſt, ſpes noſtra innitatur, ſequitur debere eſſe *certiſſimam*; non ita quidem, ut hæc certitudo æſtimetur ex *eventu* rei ſperatæ, ſed tum ex *natura virtutis*, tum ex *ſoliditate* rerum, quibus innititur; au-

Digitized by Google

augetur autem ea ipſa plurimùm, quando accedit conſcientia bonæ vitæ & rectè factorum.

Non mirum igitur, ſi ſpes Chriſtiana, ubi ſemel ea qua oportet firmitate concepta eſt, hominem juſtum in ſummis quoque ærumnis extremaque animi deſolatione tantoperè fulciat, ut etiamſi mundi præſidiis omnibus, omnique ſolatio deſtituatur, intrepidè tamen dicat, (*a*) *Deus meus, in te confido, non erubeſcam.* (*a*) *Pſal.* 24. 2.

Q. 8. *Excluditne ſpes noſtra omnem penitùs* timorem?

℞. *Diffidentiam* excludit & anxietatem, *timorem* autem ſalutarem debet habere conjunctum, ne in *præſumptionem* degeneret. *Timor* ille in homine Chriſtiano ultrò naſcitur, quando ad fragilitatem & *inſtabilitatem* ſuam mentis oculos attenta conſideratione convertit; quod quidem utiliter ac neceſſariò à Chriſtianis fieri, demonſtrant verba Apoſtoli monentis, ut (*b*) *cum metu & tremore ſalutem* noſtram operemur, cùm ſit Deus, qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. (*b*) *Philip.* 2. 12.

Numquam igitur, citra ſpecialem Dei *revelationem*, eò aſſurgitur in hac vita, ut ſpes in animis noſtris plenam parere debeat ſalutis *ſecuritatem*: adeò ut quantumcumque aliquis aut in pœnitentia exercitatus fuerit, aut in pietate & devotione profecerit, non poſſit tamen aut de remiſſione peccatorum, aut de futura in bono perſeverantia eſſe ſecurus. Quamquàm majorem longè conſequendæ ſalutis *fiduciam*, quàm incurrendæ damnationis *timorem*, eſſe oporteat.

Q. 9. *Quotuplex hoc loco* TIMOR *expendi ſolet?*

Digitized by Google

℟. *Timor*, conſideratus cum reſpectu ad Deum, duplex eſt, nempe; vel *abducit* à Deo, vel ad eum *reducit*. Prior ille *humanus* dicitur, aut *mundanus*, quo, ad evitandum ſcilicet malum quodpiam temporale, divina lex violatur. Hic ſemper malus eſt ac vitioſus, diſerteque à Chriſto prohibitus hiſce verbis: *nolite timere eos qui occidunt Corpus* (*a*) ita ſcilicet, ut propterea à via veritatis, aut juſtitiæ declinetis.

(*a*) *Matth.* 10. 28.

Poſterior, *Timor Dei* dicitur, eſtque iterum duplex; etenim vel unicè timet pœnam à Deo juſto infligendam, & *ſervilis* dicitur, tamquam ſervorum proprius; vel ſuper omnia timet offenſam Dei, ceu benigniſſimi patris, & *ingenuus* ac *filialis* nominatur, velut filiis naturaliter competens. Qui inter utrumque medius eſt, *initialis* vocari conſuevit, tamquam initialiter filialis, pœnam quidem adhuc metuens, ſed jam non minùs Dei offenſam reformidans.

Solus *filialis*, eſt *perfectum* illud *donum* Spiritus Sancti, quod à Chriſto in ejus viva membra derivatur, de quo ſcriptum eſt: *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. (*b*) Hic ille eſt, qui toties in SS. Literis *initium*, id eſt, radix, fundamentum ac baſis *ſapientiæ* nominatur. (*c*) Quamquam & timori *ſervili* aliquo pacto elogium iſtud competat, utpote qui in magnis peccatoribus, fide inſtructis, plerumque eſſe ſoleat *primus gradus*, quo ad veram ſapientiam convertuntur. Abſit enim, ut quod *Lutherus* aſſeruit, hominem faciat magis hypocripam, magiſve peccatorem. Eum Chriſtus ipſe nobis inculcatum voluit: *Timete*, inquit, *eum qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam*. (*d*) Hic enimverò timor, ſalutari agitatione conſcientiam

(*b*) *Pſ.* 18. 10.
(*c*) *Pſ.* 110. 10. *Prov.* 1. 7. *&c.*
Vide §. 2. Append.
(*d*) *Matth.* 10. 28. *Luc.* 12. 5.

tiam concutiens, ſi ſpem veniæ conjunctam habet, donum Spiritus Sancti eſt, nondum inhabitantis, ſed moventis, quod perverſas cupiditates reprimit, carnes configit, & peccatum paullatim expellit. (*a*)

(*a*) *Pſal.* 118. 120. *Eccli.* 1. 27.

Q. 10. *Eſtne frequens Spei exercitium neceſſarium homini Chriſtiano?*

℟. Eſt maximè, tum ut bona tranſitoria non *majoris* à nobis æſtimentur, quàm æſtimanda ſunt, tùm ut mens noſtra à *terrenis affectibus* ad cœleſtia deſideria transferatur; tùm denique, ut & in *proſperis* debita ſubmiſſio, & invicta in *adverſis* patientia conſervetur.

Hujus itaque virtutis exercitium non ſolius *conſilii* res eſt, ſed *præcepti*, quod procul dubio ſæpè in vita obligat: non tantum *per accidens* ratione virtutum aliarum, puta *pænitentiæ* &c. ſed etiam *per ſe*. Ac primùm, *initio uſus* rationis, quemadmodum & præcepta fidei ac charitatis; deinde dum ad oppoſita ſpei vitia ingruens aliqua tentatio provocat; denique in reliquo vitæ *decurſu* ac *termino*, forte non rariùs quàm præceptum *fidei*. Servit verò utriuſque exercitio, cum recitatio quotidiana *ſymboli* fidei, tum præcipuè *orationis dominicæ*, & aliarum; ſpei enim index oratio eſt.

Q. 11. *Quænam vitia* Spei *adverſantur?*

℟. Hæc duo: *præſumptio & deſperatio*; illa excedit, hæc deficit.

S. Thom. *ibid. q.* 21.

Q. 12. *Quid hìc eſt* præſumptio?

℟. Eſt temeraria fiducia, expectans quod Deus non promiſit, vel aliter quam promiſit.

Præſumptione itaque delinquit 1. qui tentat Deum.

2. Qui propriis, ſine Dei gratia, viribus divina mandata ſervare, & ad vitam æternam

contendit pervenire. Quæ erat ſuperba præſumptio hæreticorum, qui à ſuo auctore (*a*) PELAGIANI dicti ſunt.

(*a*) *Quas egregiè debellavit S.* Auguſtinus.

Q. 13. *Quis verò* tentare Deum *dicitur?*

(*b*) *Vide Matt.* 4.7. *Deut.* 6.16 *Pſalm.* 77. 18. *Eccli* 18. 13.

℟. (*b*) Qui ſine juſta ratione id à Deo expectat & poſtulat, quod ille nullo modo promiſit. *Tentat Deum* igitur, qui *ſine neceſſitate* miraculum aliquod, aut prodigium flagitat. *Tentat Deum*, qui ſine ulla attentione orans, orationis *effectum* fructumque expectat. *Tentat Deum*, qui ſine *pœnitentia* peccatorum remiſſionem, aut ſine fructu bonorum operum, ſalutem æternam præſtolatur. *Tentat Deum*, qui ſub *ſpe veniæ*, immenſam illius majeſtatem liberiùs offendit. Denique *tentat Deum*, qui, cùm pœnitentiam ſemper *differat*, eam ſibi *in fine vitæ* audacter pollicetur.

S. Thom. *ibid. q* 20.

Q. 14. Q*uandonam* deſperatione *delinquitur?*

℟. Dum ob peccatorum numerum vel enormitatem omnis ſpes veniæ abjicitur, ita ut cum infelici Caino quis dicat (*c*) *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, cùm tamen Chriſti Jeſu merita pretii ſint infiniti, & inexhauſta ſit Divinæ miſericordiæ largitas erga peccatores, quantumvis indignos & immerentes.

(*c*) Geneſ. 4. 13.

Eſt igitur *deſperatio*, motus voluntatis, inde naſcens, quòd quis exiſtimet, Deum peccatori pœnitenti veniam denegare.

Peccatum eſt admodum grave, ex ſe quidem *Odio Dei*, & *infidelitate* minus (à qua etiam poteſt eſſe ſejunctum) ſed ex parte noſtra *periculoſius*, cùm ſublata ſpe, homines * irrefrænatè labantur in vitia, & à bonis operibus retrahantur.

Quod

* *Epheſ.* 4. 19. *Qui* deſperantes, *tradiderunt ſemetipſos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.*

Digitized by Google

Quod porro ad deſperationis *originem* attinet, nonnumquam ea oritur ex *luxuria*, qua nempe homini voluptatibus carnis immerſo, divina vileſcunt: ſæpè autem ex *acedia*, qua quis interdum animo ita dejicitur atque proſternitur, ut bonum quodvis arduum, ſibi, & per ſe, & per alium, impoſſibile judicet acquiſitu.

CAPUT II.

De ORATIONE *generatim, & de* MENTALI *ejuſque exercitio ſpeciatim.*

Vide S. Thom. 2. 2. q. 83.

PRimum, communiſſimum, maximèque neceſſarium Chriſtianæ pietatis exercitium, in *oratione* conſiſtit; hæc eſt præcipua Eccleſiæ Catholicæ occupatio, hoc olim erat primorum Chriſtianorum ſtudium. Hæc ſola præbet in mœrore ſolatium, in adverſitate lætitiam, in infirmitate præſidium, in anxietate ſubſidium & refrigerium. Ab oratione, magna ex parte pendet vita verè chriſtiana, nam, (a) *Auguſtino* teſte, is verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare.

(a) *Vel quicumque alius eſt Author. Serm. 55. in App. N. Edit.*

Q. 1. *Quid hoc loco eſt* ORATIO?

℟. Dum nomen iſtud *ſtrictiùs* ſumitur, eſt deſiderium atque petitio earum rerum, quas à Dei benignitate ſperamus.

Quod ſi *generalius* accipiatur, eſt pia mentis in Deum elevatio, quædamque noſtræ devotionis coram æterna illa majeſtate teſtificatio.

Q. 2. *Quot modis iſta mentis in Deum elevatio peragitur?*

℟. His potiſſimùm quinque: 1. *Adorando* ſummam & incomprehenſibilem Dei Majeſtatem, coram qua omnes creaturæ (b) *in nihi-*

(b) *Sap. 9. 6*

(a) *Ibid. cap.* 11.23. *Vide Pſal.* 58. 6. *Iſai.* 40.15. & 17. *bilum* computatæ ſunt, & (*a*) univerſus orbis eſt *inſtar guttæ roris antelucani*. Hæc eſt aſſidua beatorum ſpirituum in cœlis occupatio, qui omnes inceſſabili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria ejus.*

(*b*) *Iſai.* 6. 3. *Vide etiam Apoc.* 5. (*b*) Ea quoque eſſe debet nobis ipſis frequentiſſima in terris, idque, uti Chriſtus monuit, *in Spiritu & veritate*. (*c*)

(*c*) *Ioan.* 4. 23. 2. *Laudatione*, ſapientiæ, juſtitiæ & miſericordiæ, cæterarumque perfectionum ejus, quæ ſunt undiquaque ineffabiles & infinitæ. Ad hoc orationis genus admirabilis hujus univerſi decor & ſpecies, omneſque univerſim creaturæ, tacita, ſed aſſidua voce nos provocant, ingeminantes utique auribus cordis noſtri,

(*d*) *Pſal.* 99.3. *ipſe fecit nos, & non ipſæ nos*. (*d*)

3. *Gratiarum actione*, de inexhauſta ejus *beneficentia* ſuper nos, cæteraque omnia quæ omnipotenti voluntate è nihilo condidit. Hæc autem *gratitudinis* noſtræ erga Deum teſtificatio, unum eſt ex officiis Chriſtianæ pietatis maximè neceſſariis, poſtquam tam innumerabilibus nos beneficiis prævenit, & prævenire non deſinit divina benignitas. (*e*)

4. *Oblatione*, tum illa, qua *nosmetipſos*

Hebr. 13. 15. noſtraque omnia, toto voluntatis affectu, divino ſervitio conſecramus; tum præſertim iſta, qua *Jeſum Chriſtum* Dei filium, myſticè in ſacrificio immolatum, æterno Patri, ceu *victimam noſtram*, exhibemus.

5. Denique *Poſtulatione* earum rerum, quæ nobis aliiſque ſunt ſalutares.

Præ-

(*e*) *Vide Pſal.* 102. 115. 116. 117. *Luc.* 1. 47. *&c. Rom.* 1. 21. 2. *Cor.* 9. 15. 1. *Theſſ.* 5. 18. *&c. Eò pertinent* Magnificat, Benedictus, Te Deum, Gloria in excelſis, *præter Pſalmos alios plurimos.*

Digitized by Google

Præter hos tamen modos, *peccatorum* etjam *deteſtatione*, aliarumque *virtutum* exercitio, *mens* in Deum elevari ſolet.

Q. 3. *Omniſne oratio ſola* mente *perficitur?*

℞. Omnis oratio, ſi *vera* eſt, *mentis* in Deum elevationem conjunctam habeat neceſſe eſt; alioquin, non tam oratio, quàm *ſimulacrum* orationis futura eſt; ac veluti corpus ſine anima. Verùm *mentis* affectui, *vox* quoque corporis, ſæpè rectèque conjungitur, ut *utraque ſubſtantia*, ex qua homo conſtat, divino cultui ſerviat, & ſenſibilis *labiorum* motus, attentionem mentis nutriat atque conſervet. *Pſal.* 50. 17. & 62. 4. *Hebr.* 13. 25.

Oratio itaque alia *mentalis* dicitur, quæ ſolo cordis deſiderio, ferventique devotionis affectu peragitur: alia *vocalis*, quæ corporea inſuper voce profertur.

Q. 4. *Eſtne utile* MENTALIS ORATIONIS *exercitium?*

℞. Eſt planè Chriſtianis omnibus *utiliſſimum*, & ad perfectionem virtutiſque profectum ſummè *neceſſarium*; ac nullis magis quàm *Religioſis* & *Clericis*, qui *in ſortem Domini* vocati, in lege ejus meditari debent die ac nocte.

Q. 5. *At fortè res eſt ardua valdèque ſublimis, nec omni hominum generi accommodata?*

℞. Hæc multorum falſa & inepta perſuaſio eſt, quaſi ſcilicet in ſublimibus cogitationibus, exquiſitiſque ratiociniis *mentalis Oratio* ſita ſit: imò verò nihil eſt aliud, quàm cordis in Deum motus, piuſque voluntatis affectus. Benè utiliterque orat MENTALITER qui infirmitatem ſuam, multiplicemque *neceſſitatem*, ſincero animi ſenſu, coram Deo omnium bonorum Largitore agno-

ſcit;

ſcit; qui ſuæ iniquitatis & delictorum memor, *ſerio dolore* tangitur, & per dignos pœnitentiæ fructus *firmiter ſtatuit* expiare, & emendare quod deliquit: qui cum acceptorum beneficiorum *gratiſſima recordatione* poſtulat, ut ea Deus confirmet, velitque eſſe perpetua: denique, qui *vitam omnem* divinæ gloriæ dedicat, & *refrænatarum* cupiditatum ſpontaneum ſacrificium Deo immolat.

Q. 6. *Nonne Oratio mentalis devota rerum ſalutarium* meditationi *ſolet eſſe innixa?*

℞. Solet planè, nam rerum divinarum meditatio occaſionem præbet, ut pia voluntatis motio cònſequatur, qua in re *Oratio mentalis* ſita eſt.

Q. 7. *Quid verò eſt* MEDITATIO?

℞. Attenta rei conſideratio; *Meditari* ſcilicet rem quampiam dicitur, qui ad eam illiuſque *attributa* & *circumſtantias* ſeriò advertit animum. Sic, meditari vitæ ſtatum dicitur, qui de certo vitæ genere deligendo deliberat: ſic, meditari lucrum dicitur, qui tractat animo, qua certiori via ad illud queat pervenire. Verbo, meditari rem quamlibet dicitur, quiſquis eam cordi habet. Pari ratione, qui *attento animo* ſanctiſſimam Dei legem crebrò conſiderat, quid vetet, quid præcipiat, quàm juſtè, quàm ſanctè, quàm utiliter cuncta diſponat, *meditari legem Dei* dicitur.

Q. 8. *Eſtne hujuſmodi meditatio homini Chriſtiano plurimùm conſulenda?*

℞. Eſt omninò; nam in Chriſtianis impleri debet id quod primi Pſalmi initio Regius Propheta conſcripſit: (*a*) *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilen-*

(*a*) *Vide Pſal.* 1. ℣. 1 & 38. 4. & *totum Pſ.* 118.

lentiæ non ſedit : ſed in lege Domini voluntas ejus & IN LEGE EJUS MEDITABITUR DIE AC NOCTE. Ne rudes quidem & *idiotæ*, ab hujus exercitii functione excuſare ſe poſſunt. *Veritates* norunt, quas palàm à Paſtoribus, privatimque ab aliis edocti ſunt : ipſum quoque (*a*) *mundi hujus opificium*, architectum ſuum indeſinenti voce ita deprædicat, ut excuſari nequeant, qui oculos mentis cordiſque aures occludunt. (*a*) *Pſal.* 18. 1.

Q. 9. *Cur ergò multi meditationem & orationem mentalem ſibi impoſſibilem eſſe cauſantur?*

℞. Quia *ſenſibus* nimium indulgentes, vitæque *minimè regulari* jam pridem aſſueti, terrenis rebus cor ita affixum gerunt, ut vix unquam ad *ſemetipſos*, nedum ad *Creatorem* ac *Redemptorem* ſuum, animum ſeriò applicent; *præſentibus* toti intenti, bona & mala, quæ *oculis* uſurpari non poſſunt, penè pro nihilo reputant. Inde vitæ tam parùm ſæpè Chriſtianæ luculenta *origo*; (*b*) *deſolatione*, ſcilicet, *deſolata eſt omnis terra, quia nemo eſt qui recogitet corde.* *Pſal.* 2. 1. & 4. 3. (*b*) *Ierem.* 12. 11.

Ceterùm, ſi nemo eſt, qui ſe *inidoneum* dicere poſſit, ut de anteacta in criminibus vita interna pœnitudine ſerioque dolore tangatur, nemo quoque erit, qui ſe ad *meditandum* dicere poſſit ineptum; neque enim ſine attenta animi *conſideratione*, aut conſcientia diſcuti, aut deteſtatio & dolor elici, aut novæ vitæ, ſatisfactioniſque propoſitum formari poteſt. Unde & peccatoribus tamquam in *regionem longinquam* (*c*) peregrè *extra ſe* profectis dicitur, *redite prævaricatores ad cor.* (*d*) (*c*) *Luc.* 15. 13. (*d*) *Iſai.* 46. 8.

Q. 10. *Quænam potiſſimùm frequenti meditatione verſanda ſunt homini Chriſtiano?*

℞. 1.

℞. 1. *Noviſſima* hominis, * mors, judi-
cium, & quæ poſt hæc in omnem æternita-
tem conſequuntur, crebrò illi in memoriam
(a) *Eccli. 7.40.* revocanda ſunt. (*a*) *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

(b) *Iſai. 38.15.* 2. Recogitandi *anni* anteactæ vitæ (*b*) *in amaritudine animæ.*

(c) *Deut. 6.7.* 3. Inviolabilia Dei (*c*) *mandata*, lexque in Euangelio Salvatore ſancita, ante oculos perpetuo habenda ſunt, ut corruptioni
(d) 1. *Joan. 5.19.* mundi hujus, qui (*d*) *totus in maligno poſitus eſt*, indeſinenter opponantur. (*e*) *In*
(e) *Pſal. 118.11.* *corde meo*, inquit Pſalmiſta, *abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

(f) 1. *Petr. 2.21.* 4. Dominicæ (*f*) *Paſſionis Mortiſque* myſteria, & quæ in omni Chriſti vita & doctrina elucent ſalubria documenta.

5. Denique, expendendæ ſunt unicuique
(g) 1. *Cor. 7.30. Epheſ. 4.1.* (*g*) *obligationes* ſuæ; tum *generales*, hominis Chriſtiani; tùm *peculiares*, ob vitæ genus, cui quiſque addictus eſt, ut ſedulò impleantur,

Methodus Meditandi.

Q. 11. *Quæ meditationis & orationis mentalis* METHODUS *potiſſimùm ſectanda eſt?*

(h) *Zach. 12.10.* ℞. Illa, quam Spiritus Sanctus ipſe ſuggeſſerit. Hic nempe eſt à quo ſolo expe-
(i) *Rom. 8.26.* ctari debet (*h*) *ſpiritus gratiæ & precum*,
* *In libello verè aureo exercitiorum ſpiritualium.* quique poſtulare in nobis, & pro nobis, ipſemet dicitur (*i*) *gemitibus inenarrabilibus.* Juvabit interim meminiſſe, *S. Ignatium* * alioſque in orationis exercitio verſatiſſimos viros,

* *Judicium. infernus, cæleſtis gloria; nec non Mors tua, mors Chriſti, ſunt meditanda tibi.*

viros, tres partes præcipuas meditationi & Orationi Mentali tribuere ſolitos eſſe, nimirum juxta tres animæ facultates, *memoriam*, *intellectum* & *voluntatem*, in quarum exercitatione circa Deum divinaque myſteria, meditatio potiſſimùm ſita eſt. Sunt igitur, prima: rerum ſive lectarum, ſive auditarum *recordatio*. 2. attenta earumdem *conſideratio*, cum ratiocinio mentiſque diſcurſu. 3. *Affectus*, ſive pia motio voluntatis.

Si ergo myſterium aliquod, aut veritas quæpiam Chriſtianæ religionis meditanda proponitur, primùm ea quæ de his, vel *lecta* antea, vel *audita* fuere, in MEMORIAM revocanda ac digerenda ſunt. Dein hæc eadem in omnem partem, cum attributis ſuis ac circumſtantiis, locorum, temporum ac perſonarum, animo tantiſper verſanda, ac veluti ruminanda ſunt, ut INTELLECTUS diſcurrendo, ac ratiocinando, eas ex propoſita veritate concluſiones eliciat, quæ ſerviant movendæ inclinandæque voluntati. Atque hoc tertium eſt, quod ex præcedentibus, velut (*a*) *effectus* à *cauſa* ſua profluere ſolet, pia nempe motio VOLUNTATIS, per *affectus* pietatis, in quibus ſcintilla ſaltem aliqua divini amoris (*b*) *exardeſcat*, à qua tandem ad COLLOQUIUM (quo affectus corde conceptus erumpit ac panditur) & ad emendandi proficiendique *deſiderium* ac *propoſitum* tranſitus fiat. Quòd ſi hæc, Deo ipſo benignè adſpirante, mox ab ipſo orationis exordio ſentiantur, nihil opus erit conſiderationibus diutiùs inſiſtere: nempe qui *finem* habet, *mediis* jam illi non eſt opus.

Ceterùm PRÆPARATIO (*c*) ſolet eſſe neceſſaria, eaque duplex, *remota* & *proxima*.

Sex *partes aliqui enumerant hoc modo: prima præparatio. 2. precatio. 3. reflexio. 4. affectus. 5. propoſitũ. 6 colloquiũ.*

(*a*) Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 82. *art.* 3.

(*b*) Pſ. 38. 4. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*

(*c*) Vide *infrà. c.* 3. *q.* 10.

ma. Iſta vitam exigit *regularem*, ſtudio abſtinentiæ, mortificationi ſenſuum, mentis recollectioni, & puritati cordis deditam: hæc verò, *locum* depoſcit à turbis ſecretum, *tempuſque* idoneum, cujuſmodi præcipuè eſt (*a*) *matutinum*, quando poſt nocturnam quietem reparatæ vires, humoreſque corporis ſedati, menti ſeſe colligenti & meditanti, faciliùs promptiùſque deſerviunt. *Lectione* etiam plerumque eſt opus: ut enim terra fructus proferre non ſolet, niſi ſparſo in eam ſemine; ita ſterilis paſſim eſt animus, niſi lectione excolatur; uſque adeò ut *Bernardus* (*b*) aſſerat, *Orationem ſine lectione eſſe erroneam*. Expedit ut ea pridiè fiat, utque in materia, quam prævideris, animo revolvenda, obdormiſcas: manè autem, cùm expergiſceris, hæc quoque menti tuæ cogitatio, prima recurrat, ceteris tantiſper depulſis atque ſepoſitis. Tum verò, ubi ad meditandum acceditur, noſmetipſos de Dei O.M. *præſentia* intima, commonefacere & convincere oportebit, nec non (*c*) æternæ veritatis lucem ſupernæque viſitationis gratiam, humillima ſupplicatione implorare; ſeriò nempe perſuaſos vanum fore omnem conatum noſtrum, niſi Deus adſpiret. Poſt hæc interiores animæ vires operi applicandæ erunt, eo (*d*) modo quem ſuprà paucis expreſſimus.

Ad

(*a*) *Pſ.62. 7. In matutinis meditabor in te.*

(*b*) *Vel potiùs* Guido *Cartuſ. de Scala Clauſtralium, inter opera* S. Bernard.

(*c*) *In eam rem, Hymnus:* Veni Creator *utiliter poterit adhiberi.*

(*d*) *Quamquam hic meditandi modus & facilis eſt, & naturæ humanæ, quæ rationalis eſt, admodum congruus; quia tamen multis, animus, vel infirmior eſt, vel inſtabilior, ut eo, notabili aliqua & continuata temporis ſerie, uti poſſit; duos alios breviter ſubjicimus, qui quibuslibet etiam rudioribus, ſolaque catechiſmi ſcientia inſtructi, uſui eſſe poſſint.*

Prior hic eſt: Recogitatis pridie ſeptem peccatis capitalibus, *ſeptemve* Virtutibus, *quæ iiſdem oppo-*

Digitized by Google

Ad meditationem eo præſertim animo *accedendum* eſt, quo olim Jeſum adibant languidi, *ut* AUDIRENT *illum &* SANA- *Luc. 6. 8.*
REN-

nuntur: aliàs, decem Præceptis Decalogi, *aut quinque* Præceptis Eccleſiæ: *aliàs, duodecim* Symboli *articulis: aliàs, tribus* votis *religioſis, ſi qui meditaturus eſt, iis obſtrictus ſit: aliàs, quinque corporis* ſenſibus, *aut tribus* animæ facultatibus; *præmiſſa præparatione, quæ ſuprà deſcripta eſt, ſingula eorum, quæ ſibi propoſuit, ruminanda & diſcutienda ſuſcipiet, quid unumquodque contineat, quid credendum, quid evitandum, quid amplectendum? quid obligationis imponat? an & quomodo eamdem hactenus adimpleverit? quid impoſterum Deo adjuvante, facturus ſit? &c. Horum autem* ſingulis *perſcrutandis tamdiu immorabitur, quamdiu animus ſentiet ſe bene affici & compungi, etiamſi totum tempus meditationi deſtinatum, in hoc uno poneretur. Sin aliter eveniat, pari methodo progrediendum erit ad id quod ſequitur. Hoc orandi genus dicitur* S. Franciſcus Xaverius *commendare ſolitus omnibus animabus quas tractabat, quo ad Dei O. M. ſuique notitiam eas citiùs certiùſque perduceret.*

Poſterior in eo ſitus eſt, ut propoſita ſibi veſperi, memoriæque commendata precatione aliqua vocali, *puta, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo Apoſtolorum, Pſalmo, Hymno, aut ſententia quapiam ex ſacris literis deprompta; poſtridie manè, conſueta præparatione præmiſſa,* ſingulas *aſſumptæ precationis* voces, *aut* ſententias *expendere aggrediatur, ac tamdiu ſingulis inhæreat, quamdiu in iiſdem nova aliquid ſignificationis, aut ſpiritualis guſtus piæque in Deum motionis occurrit.* *

**Vide Exercit. ſpirit. S. Ignatii tit. de tribus orandi modis.*

*Eodem pertinet eorum meditandi modus, qui poſt imploratam Dei opem, excitatamque in ſe Divinæ præſentiæ recordationem, librum pium, qui * brevibus conſtet ſententiis, meditaturi aperiunt, ex eoque unam quampiam eligunt, quam rimentur donec affici ſe benè ſenſerint: ubi autem ſenſus ille devotionis evaneſcere cœperit, aperto rurſus libro eamdem relegunt, aut aliam ſeligunt, quæ ubi expenſa fuerit, tranſitur ad tertiam: quæ ſanè meditandi ratio & utilis & perfacilis eſt, iiſque præcipuè ſuadenda, quibus labilis eſt memoria, & vis imaginandi inquieta, atque inſtabilis.*

**V. G. Libri de Imitatione Chriſti: Matth. c. V. VI. & VII. Liber Proverbiorum, aliiq; Sapientiales. Jobi c. 31. &c.*

Digitized by Google

RENTUR *à languoribus ſuis*. Inter meditandum continuata erga Deum *reverentia*
(a) *Luc.* 10.39. opus eſt, tamquam, ſi, cum Maria (*a*) ſorore Lazari, ſedentes ſecus pedes Domini, audiremus verbum illius. Si animi *diſſipatio* & diſtractio, meditanti moleſtiam pariat, conſultum erit, ut attenta, lenta & repetita aliquoties *lectione* pellatur: Agnoſce & ingemiſce miſeriæ ac infirmitati tuæ,
(b) 2. *Cor.* 3.5. tuamque *inſufficientiam* (*b*) profunda animi demiſſione confitere. Sæpè interim ad Deum, his aliiſve verbis, ſuſpirantis animæ
(c) *Pſal.* 17.29. gemitus dirigatur: (*c*) *Deus meus illumina tenebras meas*. (*d*) *Revela oculos meos &*
(d) *Pſal.* 118.18. *conſiderabo mirabilia de lege tua*. (*e*) *Illu-*
(e) *Pſal.* 30.17. *ſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum Domine.* (*f*) *Notam fac mihi viam in qua ambu-*
(f) *Pſal.* 142.8. *lem, quia ad te levavi animam meam: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* (*g*) *Domine, ante te omne deſiderium*
(g) *Pſal.* 37.19. *meum, & gemitus meus à te non eſt abſcon-*
(h) 1. *Reg.* 3.10. *ditus*. (*h*) *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. Deus in adjutorium meum inten-*
(i) *Pſal.* 69.2. *de, Domine ad adjuvandum me feſtina*. (*i*)
(k) *Pſal.* 24.17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me*. (k)

Expedit etiam, ut meditatio *tempori*, *feſtivitati*, vel meditantis *officiis* ac muniis congruat. *Sancti* quoque, qui myſterio, quod conſiderandum aſſumitur, interfuiſſe noſcuntur, utiliter invocantur, ut ſimilem nobis animi affectionem impetrent, qua ipſi adſtiterunt. In horum *ſolemnitatibus*, quæ nobis reliquerunt ſalutis *monita*, & *exempla* virtutis præcipuè expendenda ſunt.

Q. 12. *Quomodo meditatio* concludenda?

℞. *Gratiarum actione* & *precatione*. Gratias agere oportebit de illuſtratione intellectus ac

pia

pia motione voluntatis, quam in te, Deo adſpirante perceperis; vel de hoc ſaltem divinæ largitatis munere ac favore, quòd te viliſſimum homuncionem, Rex ille regum ac Dominus Dominantium, toto iſto orationis tempore, in conſpectu ſuo conſiſtere paſſus ſit. Adjungenda deinde *precatio*, ut quod in te Deus per ſuæ benedictionis dulcedinem operatus eſt, ipſe confirmet. *Poſtulanda gratia*, qua bona propoſita conſtanter executioni mandentur. *Veritates*, quæ præ cæteris animum permoverunt, ſolicitè conſervandæ, & earum aliqua *ſeligenda*, quæ per diem identidem ruminetur. Oleum denique *devotionis* providè cuſtodiendum, ne temerè profundatur.

Q. 13. *Quid ſi mentis* ariditas, *in longum præſertim tempus, ſuperveniat?*

℞. Non ideò orationis mentalis exercitium *deſerendum* eſt, vel animo *deſpondendum*. Hujuſmodi *viciſſitudini*, (*a*) tanquam cuidam poſt æſtatem hyemi, ipſorum etiam Sanctorum vita ſæpenumero obnoxia eſt. Si tibi conſcius es illi te *cauſſam præbuiſſe*, ſive ſuperbia & levitate, ſive voluntaria animi diſſipatione, aut immodica terrenarum rerum ſolicitudine, ſeu denique nimio humanæ conſolationis deſiderio, *dole & ingemiſce*, patienterque exſpecta, donec Deo miſerante redeat interna compunctio. Si *nullam* in te cauſſam reperis, Deo

(*a*) S. Auguſt. *in Pſal.* 85 *num.* 7. *Attendat, inquit, quiſque ... quemadmodum ipſa plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus ... diceret unuſquiſque ſibi contingere, & non alteri, niſi inveniremus in ſcripturis Dei*, David *orantem quodam loco, & dicentem*: Quoniam, inveni, Domine, cor meum, ut orarem ad te. *Inveniſſe ſe dixit ... quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum, & non poſſe comprehendere, & clamare ad Deum*: Quoniam cor meum dereliquit me.

Deo humiliter rem committe, perſuaſus ſimilem ariditatem electis, etiam amicis ejus, ad *probationem*, nonnumquam evenire, ut & ipſi humiliter agnoſcere debeant cum Davide: *dormitavit anima mea præ tædio*. Quidquid acciderit, ſollicitè providendum, ut invicto animo conſueta priſtinæ devotioni exercitia proſequaris, poſt *tenebras* ſperans *lucem*, & poſt aſperitatem hyemis, rediture æſtatis ſerenitatem.

Pſal.118.

Job 17.12.

Q. 14. *Quid de ſenſibili, in oratione, ſpiritus* dulcedine, *interioris* conſolationis *lætitia & compunctionis ſuavitate ſentiendum eſt?*

℞. Neutiquam exiſtimandum eſt ſitum in his eſſe certum *veræ devotionis* indicium, aut ea ſemper cum genuina devotione eſſe conjuncta. Aliunde iſta provenire poſſunt, atque etiam impediri. Hoc veluti *lacte* paſcere & allicere ſolet Deus *incipientes*: hoc, ſubſtituto ſolidiori *cibo*, ſæpè ſubtrahit à *proficientibus*: hoc iterum, ceu prægustu atque præludio vitæ æternæ, ſæpè adhucdum in hac vita mortali copiosè prævenit & remuneratur *perfectos*. Grato ergo animo hæc Dei erga nos benignitas *acceptanda*, forti vero patientique, ejuſdem ſubtractio toleranda eſt.

Q. 15. *Cùm hactenus de* ORDINARIA *oratione dictum ſit, dici velim, quid de* EXTRAORDINARIA *ſentiendum ſit?*

Vide S. Thom.2.2. *q.*82.*&* 83. *item* 179. *&* 3.*ſeqq.*

℞. Cùm multa hìc ſint deceptionis erroriſque pericula, non videor mihi aptiùs tutiùſque reſpondere poſſe, quàm ſi ipſis verbis utar auctoris * cujuſdam in hiſce rebus exercitatiſſimi. Is ita diſſerit. *Ordinaria* oratio dicitur, in qua utraque cauſſa, *Deus* & *Homo*, communi modo & ordinaria ratione concurrit, ita ut, nec alium Deus, quàm qui à natura rerum, ſeu divina potiùs in rebus omnibus ordinatione, exi-

*Ant. Gaudier S. J. *lib. de Orat. Ment. c. 5.*

exigitur, concurſum exhibeat; nec illius vi ac operatione, vires hominis ſupra humanam & *conſuetam* cum Deo agendi rationem extollantur. *Extraordinaria* illa eſt, in qua, præter conſuetum operandi modum, & ordinarias virtutis humanæ leges, *Deus ipſe*, pro ſua voluntate, & *ſingulari gratia*, hominis in oratione facultates *evehit*.

Inter utramque hanc orationem differentia eſt multiplex. 1. In *ordinaria*, quamquam *principaliter* Deus operetur, cùm ea ſit opus *gratiæ*, non *naturæ*, homo tamen ipſe etiam *ſimul agit* non mediocriter. At in *extraordinaria*, etſi homo veriſſimè *operetur*, id tamen adeo parum eſt, ut divinam potiùs operationem *pati*, quàm *agere* dicendus ſit; quo modo *S. Dionyſius Areopag.* de ſuo magiſtro Hierotheo loquens, *erat*, inquit, *patiens divina*. *Lib. 2. de divin. nomin.*

2. Inde fit ut *ordinarius* orandi modus pendeat plurimùm à naturalibus hominis *facultatibus*, quæ quo ſunt perfectiores, meliùſque diſpoſitæ, eo etiam plerumque meditatio meliùs ſuccedit: quare etiam *humano labore* atque induſtria informari poſſunt, & in ſuum finem rectè diſponi ... verùm in *extraordinario* orandi modo; hoc ſolum confert humana induſtria, ut per accuratum *mortificationis* ſtudium & corporis & animi vires idoneas efficiat ad *divinas operationes* (*a*) recipiendas. Cùm enim, modo *ſupernaturali*, Deo mirabiliter, & *ſingulari* prorsùs favore eas elevante, ipſæ tunc agant, non tam hominis *conatus* neceſſarius eſt, ut illud opus promoveat, quàm ut nullum operationi Dei impe-

(*a*) Introduxit me Rex in cellaria ſua. *Cant. 1. 4.*
„ *Et aliquando* Introducis *me in affectum multùm*
„ inuſitatum *introrſus, ad* neſcio quam dulcedinem,
„ *quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit, quod vita*

impedimentum objiciat. Quare præcipuum ejus ſtudium eſſe debet, ut per *mortificationis*, virtutumque *omnium* exercitia, univerſum *amorem proprium* expugnet, & omnem erga quaſcumque creaturas affectum exuat. Sublatis enim verò omnibus illis impedimentis, cunctiſque vitiorum & cupiditatis (quæ charitatis ardorem reſtinguit) pravis *humoribus exhauſtis*, continuò divini *amoris flamma*, ipſomet excitante Deo, accenſa, liberam ſurſum in Deum mentem rapit, eamque omnis humani ſolatii fæce expurgatam, divini luminis ac conſolationis ſplendore illuſtrat. Qua de re fusè *Caſſianus* collat. 14. cap. 2. & ſequentibus. Et * *Bernardus*: *prima*, inquit, *& maxima contemplatio eſt* ADMIRATIO *majeſtatis: hæc requirit cor purgatum, ut à vitiis liberum, atque exoneratum peccatis, facilè ad ſuperna levetur...*

* *Lib.5. de Conſid.*

3. Eodem pertinet, quòd *ordinarius* orandi modus certis poteſt *præceptionibus* comprehendi, atque adeò ab alio tradi & *doceri*; ut, qui non longè recedit ab eo ordine & ratione operandi, quam *animæ facultates* naturaliter ſequi ſolent. Deus enim naturæ auctor, cùm ſupernaturalem virtutem

„ *iſta non erit. Sed recido in hac erumnoſis ponderibus*,
„ *& reſorbeor ſolitis, & teneor, & multum fleo &c.*
S. Aug. *lib.* 10. *conf. c.* 40.

Comedite *amici*, *&* bibite, *&* inebriamini *chariſſimi*. *Cant.*5.1. *Ex quo loco* S. Bernard. *ſerm.* 52. *ex parvis, tria colligit Orationis genera, primum* comeſtioni *ſimile: ſecundum* potationi, *quæ facilior eſt: tertium* inebrationi, *quæ mentem quodammodo abſorbet.*

Adducam *eos in montem ſanctum meum*, *&* lætificabo *eos in domo orationis meæ*: Iſai. 56. 7.

Meditatio *ſimilis antliationi*: contemplatio, *irrigationi & pluviæ*.

Digitized by Google

tem & operationem ſuam noſtris conatibus adjungit, ita ſe nobis accommodat, ut eum ordinem qui naturæ eſt conſentaneus, ut plurimum ſequatur. Quare cum is noſter agendi modus notus ſit, non eſt admodum difficile, certa de eo præcepta conſcribere. De *Extraordinario* verò, *nulla præceptio* (*a*) tradi poteſt; pendet enim ex ſolius Dei arbitrio, qui licet ſoleat multum in mortificatione & virtutibus exercitatos eo provehere; poteſt tamen etiam alios adhuc (*b*) *humi jacentes*, ad altiſſimum illum veluti *montem* rapere. Quare multi auctores, qui de ea oratione tradunt præcepta, *ſuſpecti* eſſe debent, & ideò multis in locis prohibiti, nec ulli hujuſmodi niſi magna *cautione* adhibita legendi. Nam obſcura prorſus ſunt, & homini incognita hujuſmodi orationis (id eſt, altiſſimæ illius contemplationis) principia, & verò *modi* ipſi *loquendi* quibus utuntur, adeo à communi uſu remoti, ut pauci, vel nulli eos intelligere poſſe videantur. Quod ſi ipſi, quæ *propria experientia* didiciſſe ſe putant, ea ſe tradere aliis poſſe exiſtiment, ... multum vereor ne ipſi ſe decipiant, & non tam veram ſublimioris illius orationis *praxim*, quàm excogitatam ingenii ſubtilitate *theoriam*, aut inanes conceptus imaginationis obtrudant: unde vix fieri poteſt unquam, ut quibuſcumque ſuis præceptis,

(*a*) Manna abſconditum. *Apoc. 2. 17.*
Rara eſt hæc hora, & parva mora (*id eſt, breve videtur omne tempus quod eidem impenditur.*) S. Bernard. *Serm. Dom. infra octav. Epiph.*
Non eſt perfecta oratio, inquiebat S. Antonius, *in qua ſe monachus, vel* hoc ipſum *quod orat* intelligit.
(*b*) *An non licet mihi quod volo facere? Matth. 20, 15.*

quemquam ad orationis illius faſtigium (*a*) promoveant, quin potius ex plurimis, qui ſe illis informandos tradiderint, vix invenias vel unum, qui ſe profeciſſe ſolidè agnoſcat; cum ſint tamen ſine numero qui decepti ſint: & alii quidem, dum temere ejuſmodi commentis fidem habent, ſuum ipſi deinde ductum ſequentes, vani, ſuperbi, ſibi *ſuoque judicio* plus nimio adhæreſcentes, in cogitationibus tandem ſuis evaneſcunt, ac miſerrimo caſu in *præſumptionem* præcipites acti, tanto à Deo longiùs recedant, quanto ſe *via illa compendiaria*, & tutiùs & propiùs acceſſuros ſperabant: alii vero meliori fortuna uſi, aut potiùs Dei miſericordia liberati, poſt multos fruſtrà ſuſceptos labores, capite ſæpè viribus exhauſto, *deluſos* ſe tandem agnoſcant & ingemiſcant.

4. Etſi *ordinarius* orandi modus *Dei donum* permagnum ſit, *extraordinarius* tamen *longè majus* eſt, & ſpeciale divini amoris argumentum: ex quo fit, ut ſit illud *ferè omnium*, hoc *paucorum*. Solet enim Deus eos dumtaxat, quibus ad *excellentia* quædam opera, tamquam *inſtrumentis* uti decrevit, ubi *bene mor-*

(*a*) *Hac in re* praxis *præcedere debet* theoriam: *nec quiſquam intromittere ſe debet, aut ingerere, ſed* introduci. *Vide Cant.* 2. ℣. 4. *Cùm autem in vita ſpirituali* ordinate *ſit procedendum, is ordinariè ſervandus eſt ordo, qui deſcribitur* Eccli. 39. ℣. 6. 7. 8. & 9. (*juſtus*) *cor ſuum tradet ad* vigilandum diluculo *ad Dominum, qui* fecit *illum, & in* conſpectu Altiſſimi *deprecabitur.*

Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis *deprecabitur.*

Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ *replebit illum, & ipſe tamquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, &* in oratione confitebitur *Domino.*

Nempe, cùm ei dictum fuerit: Amice aſcende ſuperiùs. *Luc.* 14. 10.

mortificati ſunt, tanto dono inſtruere. Quare valdè is aberrat, qui proprio ſuo *conatu*, induſtria & labore, ſe eo pertingere poſſe putat; eſtque magna *dæmonis illuſio*, ſi neglecto ſolidarum virtutum cultu, ad arduum illud *contemplationis* cacumen, *non excitatus* Dei manu; contra potiùs ſuarum imperfectionum mole humi adhuc affixus adſpiret. Quare (*a*) *S. Bernardus* divinam quidem *Majeſtatem* ſcrutari nos vetat, niſi ad ejus contemplationem Deus vocet: *voluntatem* vero, accurate ut inveſtigemus hortatur.

5. Oratio *ordinaria*, *medium* quoddam excellens eſt ad omne vitæ ſpiritualis incrementum. Nam & ſeipſam ipſa perficit, & mortificationis virtutumque omnium exercitia conſtituit & confirmat. Altera vero, non tam *medii* quam *finis* rationem habet, & accedit quam proxime ad Beatorum felicitatis ſimilitudinem, ſoletque ſæpenumerò eſſe *præmium* diligentiæ & laboris circa orationem ordinariam, & virtutum ſolidarum, mortificationiſque ſtudium adhibiti.

Hactenus auctor ſuprà citatus, cui adjungi poteſt *Alfonſ. Rodriguez*, qui part. I. Exercit. Perfect. Tract. 5. Cap. 4. 5. & 6. in eamdem

B 2 ferè

(*a*) *Serm.* 62. *in Cantic.* „ *Eccleſia, inquit, non* „ *opprimitur; quia non ſcrutatrix* Majeſtatis *eſt, ſed* „ voluntatis: *nam quod Majeſtati attinet, interdum* „ *quidem & in ipſo intendere audet, ſed quaſi* admirans, „ *non quaſi ſcrutans: ſed etſi aliquando* per excellum „ rapi *in illam contingat,* digitus Dei *eſt iſte dignantis* „ levare *hominem, non hominis* temeritas *inſolentis* „ *Dei alta pervadens. Cum enim Apoſtolus raptum ſe* „ *commemoret, ut auſum excuſet; quiſnam alter præ-* „ *ſumat mortalium, huic ſe divinæ Majeſtatis horren-* „ *do ſcrutinio propriis intricare conatibus, &* importu- „ nus contemplator *pavenda irruere in arcana? Ergo* „ *formidoloſa ſcrutatio* Majeſtatis; *at* voluntatis, „ *tam tuta quam pia.*

Digitized by Google

ferè ſententiam de utriuſque orationis differentia, ſapientiſſimè diſſerit.

Errores in doctrina *Michaelis Molinos* damnatos reperies, ad calcem in Appendice §. 3. itemque propoſitiones XXIII. ex Libro cui titulus *Maximes des Saints*, huic etiam materiæ affines, ibidem habes §. 6.

CAPUT III.

De Orationis NECESSITATE *&* FRUCTU.

QUæſtio 1. *Cui rei innixa eſt Orationis neceſſitas?*

(a) Matth. 7.7. Luc. 18.1. (b) Luc. 6. 12. (c) Joan. 15.5. Rom. 9. 16. 2. Cor. 3.5. Philip. 2. 13.

℟. Partim Chriſti (*a*) *præcepto* & (*b*) *exemplo*, partim (*c*) *indigentiæ* noſtræ, & inexhauſtæ Dei *beneficentiæ*, partim denique ſupremæ Dei *poteſtati* atque dominio. Chriſti Salvatoris exemplum *imitationem*, præceptum *obedientiam* à nobis depoſcit: indigentia noſtra *ſupplicationem*, Beneficentia Dei *gratiarum actionem*, ſuprema illius poteſtas *oblationem* & *orationem* à nobis requirit.

Q. 2. *Cui incumbit hæc orandi neceſſitas?*

℟. Omnibus qui *uſum rationis* adepti ſunt. Præſtat quidem Deus plurima non rogatus, inter quæ eſt *fides*, *bona voluntas*, & ipſa *oratio*: at pro aliis nobis neceſſariis rogari vult, non quaſi noſtras neceſſitates *neſciat*, aut non orantibus ſuccurrere non poſſit, ſed ut exerceat deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere quod præparat dare. Orari vult Deus à nobis, ut agnita propria infirmitate, in eo tamquam ſolo bonorum omnium auctore ſpem figere diſcamus, ejuſque dona eſſe agnoſcamus quæcumque impetramus,

Vid. S. Aug. l. 2. Cont. 1. Epiſt. Pelag. c. 8. Enchirid. c. 32. & Epiſt. 130. olim 121. cap. 8.

mus, & ſolicitis precibus impetrata, diligentiùs cuſtodire ſtudeamus. Orari denique vult, ut etiam nos cauſſa ſalutis noſtræ ſimus, hæc ab illo impetrando.

Q. 3. QUIS *orandus?*

℞. Deus, ut Largitor bonorum omnium, per (*a*) *Mediatorem* Dei & hominum Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum. Orandi etiam (*b*) *Angeli, Sanctique* cum Chriſto regnantes, ac præſertim, Sanctiſſima illius *Mater*; non ut largitores, ſed ut *interceſſores* ac patroni, qui nobiſcum & pro nobis orent communem Deum ac Dominum, in nomine Jeſu Chriſti communis omnium Redemptoris.

(*a*) *1. Tim. 2.5. Epheſ. 2.18.*
(*b*) *Vide infra latius in explicatione primi præcepti decalogi, p. 3. cap. XI.*

Q. 4. PRO QUIBUS *orandum.*

℞. Non *pro ſe* tantùm, ſed pro (*c*) *omnibus* hominibus, ſincero charitatis affectu, unumquemque orare oportet; at maximè, pro *Regibus* & *Principibus*, cunctiſque qui in *ſublimitate* ſunt, tam ſæculari quàm Eccleſiaſtica; *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Nobis quoque disertè à (*d*) Chriſto injunctum eſt, ut ipſis etiam *inimicis* noſtris & perſecutoribus, bona à Deo precemur; neque *peccatores, hæretici*, aut *infideles* à noſtris orationibus ſunt excludendi. (*e*) *Sancta* denique & *Salubris eſt cogitatio, pro* DEFUNCTIS *exorare* Deum; *ut à peccatis ſolvantur.*

(*c*) *1. Tim. 2. 2. Jac. 5.16.*
(*d*) *Matth. 5.44.*
(*e*) *2. Machab. 12.45.*

Q. 5. QUID *in oratione, pro nobis aliiſque poſtulandum eſt?*

℞. Quidquid rectè ſperatur, rectè etiam à Deo poſtulatur. Quapropter vita æterna, omniaque quæ ad eam aſſequendam ſunt neceſſaria, (*f*) *abſoluto* & indeſinenti deſiderio, à Divina largitate petenda ſunt; cæ-

(*f*) *Matth. 6.33.*

tera verò, quæ bono, aut malo uſu, utilia ad ſalutem eſſe poſſunt, aut noxia, non aliter optanda, nec poſtulanda ſunt, *niſi quatenus* ex certa Dei providentia, ad illius gloriam, noſtramque cum ipſo conjunctionem perpetuam, erunt *conducibilia*.

Q. 6. *Quinam* UTILITER *& fructuoſè orant?*

℟. Hi præſertim, qui ſpiritu & affectu *conjuncti* Jeſu Chriſto Redemptori noſtro, per ejus *nomen &* merita, corde *humili* & contrito, *attente*, ac devote, cum certa *fiducia*, patientique *perſeverantia*, à Deo poſtulant quidquid ad ſalutem eſt *neceſſarium*.

Q. 7. *Cur per* CHRISTI NOMEN & merita *bonum omne ſalutare petendum eſt?*

(a) 1. *Tim.* 2.5. (b) *Epheſ.* 2.18. (c) *Act.* 4. 12.

℟. Quia ipſe eſt (a) mediator Dei & hominum; (b) per quem acceſſum habemus ad Patrem, (c) *nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Hinc illa Eccleſiæ mens eſt & perpetuus orandi modus, ut omnes orationes ſuas iſta ferè forma concludat: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*.

Q. 8. *Quæ ratio eſt, cur* CORDE HUMILI *&* contrito *orare oporteat?*

(d) *Jac.* 4.6.

℟. Quia (d) *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: neceſſe ergo eſt ut intimo paupertatis, indigentiæ, miſeriæ & iniquitatis ſuæ ſenſu tangatur qui à Deo miſericordiam obtenturus eſt. (e) *Reſpexit in orationem* HUMILIUM *& non ſprevit precem eorum*. (f) COR CONTRITUM, ET HUMILIATUM *Deus non deſpiciet*.

(e) *Pſal.* 101. 18. (f) *Pſal.* 50.19.

Q. 9. *Cur cum* attenta devotione *Deus orandus eſt?*

℟. Quia (g) *ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant*

(g) *Joan.* 4.24. *Vide* S. Cypr. *lib. de orat. Dom. in princip.*

Digitized by Google

vant eum in ſpiritu & veritate oportet adorare; & certè res indecentiſſima eſt, in conſpectu *ſummæ Majeſtatis* indiligentem eſſe, aliudque mente verſare quàm res & tempus ferant. Ipſi *Angeli* ſupernæque virtutes ac poteſtates, *trementes* Deo aſſiſtunt, & laudes concinunt; quid igitur nos facere convenit indignos *peccatores*, vileſque *vermiculos* in hac terra repentes? Curandum ſedulo, ne contra nos divinum iſtud improperium verè intorqueri poſſit: (*a*) *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*. (*a*) *Matth.* 15.8.

Requirit porrò *attentionem*, ſive *ultro*, ſive ex *præcepto* ſuſcipiatur oratio, ita ut *peccato* non careat, nunc veniali, nunc mortali, qui ex propoſito, vel negligentia evagatur. Quamquam multæ mentis evagationes, quæ oranti plerumque ſubrepunt, per antegreſſam *piam intentionem* ejus, facilè excuſentur.

Q. 10. *Quomodo neceſſaria iſta in oratione* ATTENTIO *comparanda eſt?*

℟. Vix fieri poteſt, ut, inter vitæ hujus occupationes tam varias atque multiplices, *omnes* mentis evagationes in oratione devitentur: ſed annitendum eſt, ne in eas animus *ſua ſponte* delabatur, aut aliunde abvectus, (*b*) *libenter* inhæreat. Quocirca (*c*) ante orationem animus *præparandus* eſt, partim quidem cavendo, ne rebus externis quibuſcumque interdiu *nimium diſſipetur*, ſed quod ejus fieri poteſt, è Divini *Numinis præſentia* numquam ſe ſubducat; identidem autem brevibus *aſpirationibus* ſeſe in cœlum erigat: partim (*c*) *Eccli.* 18.23.

(*b*) „ *Aliquando oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & penè nulla, imo omnino interdum ita* „ *nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus;* „ *quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus*. S. Aug. *l.* 1. *ad Simplician.*

verò providendo, ne tanti momenti negotium quale eſt immenſæ majeſtatis alloquium, *temere* unquam, vel ex arida tantùm *conſuetudine*, ſuſcipiatur, aut peragatur.

Q. 11. *Quare* certa cum FIDUCIA *orandum eſt?*

℞. Quia Deus O. M. id à nobis exigit, ut depulſa omni *hæſitatione* ac fluctuatione, in omnipotenti benignitate ejus omne noſtrum præſidium collocemus. Quare monet Apoſtolus Jacobus, ut qui voluerit impetrare, (*a*) *poſtulet in fide nihil hæſitans.*

(*a*) Jac. 1.6.

Q. 12. *Cur cæteris omnibus adjungenda eſt patiens in poſtulando* PERSEVERANTIA?

℞. Quia ſancta quadam *importunitate* delectatur Deus, & ſæpè tantiſper *differt* nos exaudire, ut fidem ac fiduciam exerceat, teporem & languorem corrigat, deſiderium accendat, magis nos denique humiles, ferventes vigilantes, & circumſpectos reddat. (*b*) *Oportet ergo ſemper orare & non deficere*, quod duabus in Euangelio parabolis Dominus declaravit: altera (*c*) *viduæ*, importunis ſollicitationibus iniquum judicem ad juſtitiæ miniſterium compellentis: altera (*d*) *amici*, intempeſta nocte poſtulatos ab amico panes, continuatis pulſibus, impetrantis.

(*b*) Luc. 18. 1.
(*c*) Ibid. v. 2.
(*d*) Luc. 11. 5.

Q. 13. *Quòd ſi comitibus jam recenſitis oratio ſtipata fuerit, eritne* certa & infallibilis impetratio?

℞. Si quis in Chriſti *nomine*, corde *humili* & contrito, *attenta* cum devotione, certaque *fiducia*, & *perſeverantia*, PRO SE poſtulet bonum aliquod *ſalutare*, plena & infallibilis eſt impetrandi certitudo: nam ipſa Veritas id diſerte promiſit his verbis: (*e*) *Amen, Amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

(*e*) Joan. 16.23. Vide etiam Matth. 7.7. Luc. 11. 9. &c.

Hoc

Hoc tamen non ita intelligendum eſt, quaſi ſemper concedat Deus id quod determinatè petebatur: ſed cùm ſæpenumero (a) *quid oremus ſicut oportet* neſciamus, nonnumquam fit, ut vel tunc maximè nos exaudiat, cùm minimè exaudire videtur; largiendo ſcilicet quod ad ſalutem futurum eſt longè utilius, quam quod petebatur.

(a) Rom. 8.26.

CAPUT IV.

De SITU *corporis*, LOCO & TEMPORE *orationis*.

QUæſtio I. *Quis in oratione* corporis ſitus *ſervandus eſt?*

℟. In Cœtu fidelium & oratione *publica*, ſervandus eſt *mos Eccleſiæ*, quæ nunc *flexis genibus*, nunc *erecto corpore*, Deum orat: & quidem iis diebus, quibus cum gaudio & alacritate animi Dominicam Reſurrectionem recolit, diebus nempè Dominicis, totoque Paſchali tempore, vetuſtiſſima conſuetudo habet, ut *ſtando* præcipuè, preces publicæ peragantur, diebus autem luctui & pœnitentiæ deputatis, *genua* flectuntur, quòd ille corporis ſitus humili ſupplicationi maximè congruat.

Cæterùm & publicè & privatim, *indecens* corporis ſitus cavendus eſt, ne quis inſultare potius Deo, quàm ſupplicare velle videatur. Memores tamen eſſe oportet, quòd etſi *exterior* compoſitio, ad excitandam fovendamque devotionem conducere poſſit; *per ſe* tamen, ſi à *ſpiritu & veritate* ſejuncta ſit, Deo placere non poſſit.

Q. 2. *Quis* LOCUS *orationi maximè proprius?*

℞. Is qui divino cultui ſingulariter eſt *conſecratus*. Nam præterquam quòd ex Eccleſiæ *dedicantis* precibus, major quædam hìc fit impetrandi fiducia; hìc inſuper fideles, (*a*) quaſi facto *agmine*, conveniunt, ut mutuæ devotioni ſuppetias ferentes, ſanctam quamdam *violentiam* cœlo inſerant.

Vitandam interim *oſtentationem* Salvator (*b*) monuit: cùmque (*c*) totus orbis terrarum *latiori* ſenſu ſit Templum Dei, ac præſertim (*d*) *mentes* fidelium Templa ſint Spiritus Sancti, (*e*) nullus ad orandum locus ineptus eſt.

Q. 3. *Quam à Chriſtianis* REVERENTIAM *exigit* locus ſacer, *id eſt, divino cultui dedicatus?*

℞. Exigit haud dubiè maximam, & vel ideò tot tantiſque cæremoniis Chriſtianorum Templa *dedicantur*, tantaque *quotannis* ſolemnitate dedicationis illius memoria celebratur, ut profunda erga loca iſta reverentia fidelium animis imprimatur, juſtuſque omnis profanationis horror ingeneretur.

Hæc porrò reverentia locis ſacris debita, tria potiſſimum involvit: 1. *Præparationem*, (*f*) cùm templum adeundum eſt, ut nempe animo tranquillo, caſto, atque pacifico adeatur. 2. *Modeſtiam*, attentamque devotionem, quoties quis in eo verſabitur, ut ſcilicet depoſitis tantiſper occupationibus cæteris, quæ tunc omnes intempeſtivæ ſunt, id agat unicè quod agendum eſt, memineritque Templum haud aliud eſſe, quam *domum orationis*. 3. *Zelum*, in locis hujuſmodi, quæ ſupremæ divini numinis Majeſtati conſecrata ſunt, condecorandis, & pro virili exornandis, ut decenti quadam majeſtate,

(*a*) Tertull. *in Apolog.* hæc *inquit*, vis Deo grata eſt.

(*b*) *Matth.* 6. ℣. 1. 5. & 6.

(*c*) *Pſal.* 23. 1. *Act.* 7. ℣. 48. 49. & 50.

(*d*) 2. *Cor.* 6. 16. *Epheſ.* 2. 19 & *ſeqq.*

(*e*) 1. *Tim.* 2. 8. in omni loco.

(*f*) *Gen.* 28. 17. *Pſal.* 5. 8.

Digitized by Google

te, congruentique rerum omnium ordine, ac modo, ad pietatem fideles ultro provocentur.

E contrario, omnia, quæ irreverentiam, aut profanationem continent, procul eliminanda ſunt: atque inprimis, (*a*) *ſtrepitus & clamores*.

2. Deambulationes & *ſæculares* omnes *actiones*, quibus Templa in fora quodammodo vertantur, aut plateas.

3. Inutilia & *profana* colloquia.

4. Super omnia providendum, ne hæc (*b*) *abominatio* irrepat, ut loca propitiationi noſtræ deſtinata, in ſcholam vanitatis, aut theatrum impudicitiæ convertantur. (*c*) *Domus mea domus orationis eſt: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*. (*d*) *Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*. Vide Conc. VI. Prov. Mediol. ſub S. Carolo Borrom.

(*a*) Trid. *Seſſ.* 22. *Decret. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ.*

(*b*) *De his aliiſque* S. Chryſoſt. *Digna fulmine ſunt hæc. Hom.* 24. *in Act a. Vid. Ezech.* 8.6.

(*c*) *Luc.* 19.46.

(*d*) 1. *Cor.* 3.17.

Q. 4. *Quo potiſſimum* TEMPORE *orandum eſt?*

℟. Apoſtoli Pauli juſſio eſt: (*e*) *ſine intermiſſione orate*: quod eo ſenſu intelligendum eſt, ut *affectus devotionis* in nobis jugiter perſeverans, quantum per occupationes hujus vitæ mortalis licet, *identidem*, idque *ſtatis* præcipuè *temporibus*, ad orationis actum prorumpat; quo fiet, ut divina in nobis charitas & pietatis ſtudium *augeatur*, fervor Spiritus *renovetur*, tentationum vires *debilitentur*, & quotidiana nobis fragilitatis noſtræ delicta, per immenſam Dei clementiam *condonentur*.

(*e*) 1. *Theſſ.* 5.17. *Vide etiam Luc.* 18. 1. *& Eccli.* 18. 22.

Orationi nihilominùs, nonnulli præ cæteris deſtinati ſunt *dies*, Dominici ſcilicet, Feſti atque Jejuniorum. Sed & diebus ſingulis, *tria* præcipuè *tempora*, orationi fide-

lium deputata ſunt, (a) matutinum, meridianum & veſpertinum.

(a) Pſal. 54.18.

Q. 5. *Cur tribus hiſce temporibus manè, meridie, ac veſperi, orationi præcipuè incumbendum eſt?*

℞. *Matutinum tempus* id à nobis exigit, ut è ſtrato ſurgentes, de nocte feliciter tranſacta *grates habeamus* Deo, & imminentem diem, ipſius obſequio *conſecremus* & gubernationi *commendemus*.

Minimè ferendum eſt ut hæc à Chriſtianis officia negligantur.

Meridies verò, cùm *refectioni corporis* id tempus tribui ſoleat, hoc à Chriſtianis poſtulat, ut quæ reparandis viribus apponuntur, animo & corpori ſalubria, Divini Numinis *invocatione*, reddantur: ubi autem percepta ſunt, æquum eſt, ut largitas ejus indeficiens, ſincera *gratiarum actione* laudetur.

Veſperi denique, priuſquàm ad quietem ſe quiſque componat, juſtiſſimum eſt, ut & de perceptis eo die beneficiis, agat Deo Largitori *gratias*, & de erratis, quæ inſtituto *examine* agnoverit, *veniam* deprecetur; & *caſtam tranquillamque* ab ejus præſidio noctem ſatagat impetrare.

Q. 6. *Cur* publicæ *Eccleſiæ preces in varias diei noctiſque* HORAS *ſunt diſtributæ?*

℞. Ut ita *ſemper* Divina Majeſtas laudetur & adoretur, ab iis præſertim, qui *in ſortem Domini* vocati, illiuſque ſervitio ſpecialiter mancipati ſunt, quorum potiſſimùm munus eſt, (b) in lege Domini meditari *die ac nocte*. Hoc tamen & *fideles cæteri*, diebus ſaltem Dominicis, ac Feſtis, æmulari ſolebant primis Eccleſiæ ſæculis. De *Horis Canonicis* infra ex profeſſo paulo diffuſius tractabitur.

(b) Pſal. 1.2.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE ORATIONE DOMINICA: *ac de illius præſertim* PRIMA PETITIONE.

QUæſtio I. *Quid* Orationis Dominicæ *nomine apud Chriſtianos deſignatur?*

℞. Illa precationis formula, quam ipſa *Incarnata veritas*, Chriſtus Dominus noſter, Diſcipulos ſuos (*a*) id expetentes docuit, ut remota gentilium *loquacitate*, paucis verbis comprehenſum haberent, quidquid utiliter peteretur.

(*a*) *Matth.* 6. 9. *Luc.* 11. 1.

Q. 2. *Eſtne igitur inter omnes orationis formula hæc una cæteris* excellentior?

℞. Eſt procul dubio præ ceteris omnibus longè excellentiſſima, dignitate, utilitate & brevitate. *Dignitatem* habet ab unigenito Filio Dei, æterna illa ſapientia Patris, qui eam ſua auctoritate ſtabilivit. *Utilitatem* ex meritis ejus, qui nos eam docuit, Mediatoris & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei, cujus non tantùm *nomine*, ſed & *verbis* orantes, fieri non poteſt quin à Patre exaudiamur. *Brevitate* demùm ſua, in ſeptem petitionibus complectitur, quidquid pro obtinendis bonis, vel avertendis malis, à Divina munificentia ſalubriter *peti* poteſt. Quatuor prioribus, *bona* tùm æterna, tùm temporalia poſtulamus: tribus poſtremis, *mala* quælibet deprecamur.

Unuſquiſque hinc facilè ſtatuet, Divinam hanc Orationis formulam, Chriſtianis omnibus debere eſſe familiariſſimam, quippe quam (*b*) Tertullianus *breviarium Euangelii* non immeritò nuncupavit, & de qua (*c*) S. Cypria-

(*b*) *Lib. de Orat.*
(*c*) *de Orat. Dom.*

pria.

Digitized by Google

prianus ſcripſit : „ aliter orare non modo „ ignorantia, ſed & culpa eſt.

Q. 3. *Satiſne eſt illius verba tenere, ut memoriter recitari poſſit.*

℞. Nullo modo; ſed providendum eſt, ut præter *verba*, ipſe quoque (*a*) verborum *ſenſus* accuratè teneatur, ut ex *intellectu* naſcatur *affectus*, neque unquam ſine ſincera animi devotione proferatur. Quocirca neceſſe eſt, ut ſingula ejus verba penſiculatiùs expendantur.

Q. 4. *Quid igitur nobis innuit illa Dominicæ Orationis præfatio* : PATER NOSTER, QUI ES IN CŒLIS?

℞. His verbis ingeneratur nobis petendi impetrandique fiducia, cùm *Patrem* nuncupamus eum à quo beneficia poſtulamus. Simul in memoriam revocatur illa ineffabilis Dei bonitas, qua *Pater noſter* dici & eſſe vult; rerum omnium Creator omnipotens, ille qui nullius rei indigens, ſola naturæ ſuæ Majeſtate & gloria feliciſſimus eſt.

Q. 5. *Quo ſenſu Deum Opt. Max. hoc loco* Patrem noſtrum *appellamus?*

℞. Partim quidem ob (*b*) *creationem*, qua nos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam à ſe conditos, indeſinenti providentia ſuſtentat,

(*b*) *Deut.* 32. 6.

(*a*) *Orationem Dominicam explicant* Tertull. *lib. de orat.* S. Cyprian. *tract. ſpeciali de orat. Dom. ſanè elegantiſſimè.* S. Cyrill. Hieroſol. *Catech.* 5. *myſtagog.* S. Chryſoſt. *hom de orat. Dom. item in cap.* 6. *Matth.* S. Hieron. *in Matth.* S. Auguſtin. *Epiſt.* 121. *nunc* 130. *ad Probam, cap.* 11. *Item lib.* 2. *de Serm. Dom. in monte, & Enchirid. cap.* 115. *&c.* S. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 9. *&c. quos vide ſi uberiorem explicationem deſideras.*

(*b*) *Haccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? numquid non ipſe* Pater *tuus eſt, qui poſſedit, & fecit, & creavit te?* Deuter. 32. 6.

Digitized by Google

ſtentat, gubernat ac dirigit; partim verò ac præcipuè ob (*a*) *adoptionis* illud ineffabile beneficium, quo nos gratuita per Jeſum Chriſtum miſericordia (*b*) per lavacrum regenerationis in filios ſuos aſſumpſit, ut ſimus ſecundùm ſpem hæredes regni ejus, cohæredes autem Chriſti. (*a*) 1. Joan. 3. 1. (*b*) Tit. 3. 7. Rom. 8. ℣. 14. 15. 16. & 17.

Q. 6. *Cur verò cum ſingulariter quiſq; oramus, Patrem* noſtrum *potiùs, quàm* meum *dicimus?*

℞. Ut in ſpiritu *charitatis* & communionis Sanctorum orare nos meminerimus, non de propria dumtaxat, verùm etiam de aliena ſalute ſoliciti. Admonentur etiam qui ſecundùm ſæculum (*c*) aliis *ditiores*, aut *genere clariores* ſunt, cùm Chriſtiani facti fuerint, non extolli adversùs pauperes atque ignobiles, cùm ſimul in dies dicant Deo; *Pater noſter*: quod iſti verè ac piè dicere nequeunt, niſi ſe horum *Fratres* eſſe ſincerè ac libenter agnoſcant. (*c*) Act. 10. 34.

Q. 7. *Cur cùm ubique ſit Deus, hìc* in Cœlis eſſe *potiſſimùm dicitur?*

℞. Tametſi majeſtate & potentia cœlum & terram Deus (*d*) *impleat*, ſpecialiter tamen *in* (*d*) Jerem. 23. 24.

Cœ-

(*a*) *Videte* qualem charitatem *dedit nobis Pater, ut* Filii Dei nominemur, & *ſimus*. 1. Joan. 3. 1.

(*b*) *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt* Filii Dei. *Non enim accepiſtis* Spiritum ſervitutis *iterum* in timore: *ſed accepiſtis* Spiritum adoptionis filiorum, *in quo clamamus: Abba* (pater). *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus* Filii Dei: *ſi autem* filii, & hæredes: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Rom. 8. ℣. 14. 15. 16. & 17.

(*c*) *In veritate comperi, quia* non eſt perſonarum acceptor *Deus*: *ſed in* omni gente, *qui timet eum, & operatur* juſtitiam, *acceptus eſt illi*. *Ita Petrus Apoſt.* Act. 10. ℣. 34. & 35.

(*d*) *Numquid non* cœlum & terram *ego impleo, dicit Dominus?* Jerem. 13. 14.

Digitized by Google

Cœlis eum eſſe dicimus, tùm quia hæc eſt excellentiſſima univerſi portio, ubi & ſupremum gloriæ ſuæ thronum conſtituit, & theſauros benignitatis ſuæ electis amicis feliciſſima profuſione communicat; tùm etiam ut memores, *Patrem Patriamque* nos habere cœleſtem, (*a*) ab hujus exilii peregrinatione ad illam ſempiternæ habitationis noſtræ civitatem deſideria noſtra transferamus, ut unà cum Apoſtolo verè poſſimus dicere: (*b*) *noſtra* jam *converſatio in cælis eſt*.

(*a*) Hebr. 13. 14.

(*b*) Philip. 3. 20.

Q. 8. *Quid poſtulamus prima illa petitione:* SANCTIFICETUR NOMEN TUUM?

℞. Petimus, ut Deus, qui natura ſua *inviolabiliter ſanctus* eſt, ita ut illius ſanctitati, quæ undequaque *infinita* eſt, accedere nihil poſſit, nihil decedere, talis quoque à nobis *agnoſcatur*: ut numquam noſtra perverſitate ſpernatur, ſed ab omnibus hominibus modis omnibus colatur, adoretur, ac diligatur.

Paucis itaque hiſce verbis, *infidelitatis*, *hæreſeon*, *ſchiſmatum*, *blaſphemiarum*, cæterorumque criminum abolitionem, veram deinde *pœnitentiam*, vitam *Deo dignam*, *perſeverantem* in divina voluntate famulatum, atque indeſinentem in virtute *profectum*, nobis aliiſque poſtulamus.

Q. 9. *Quæ debet eſſe animi noſtri* diſpoſitio, *ut hanc orationem, ea qua par eſt* ſinceritate, *proferamus?*

℞. Summus in nobis debet eſſe horror *blaſphemiæ*, *perjurii*, cæterorumque criminum, quibus *divini nominis* majeſtas profanatur: ingens deinde ſolicitudo, ut quod *lingua* loquitur, *cor* & *vita* confirment, dum tales quiſque

(*a*) *Non habemus hìc* manentem *civitatem*, *ſed* futuram *inquirimus*, Hebr. 13. 14.

Digitized by Google

que *mores* exhibet, qui per ſe in Dei gloriam tendant, cæteroſque ad illius cultum & obſequium provocent. (*a*) *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* (*a*) *Matth.* 5. 16. *Vide Iſai.* 29. 23.

CAPUT VI.

De ſecunda petitione: ADVENIAT REGNUM TUUM. *Item de Tertia*: FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CŒLO ET IN TERRA.

QUæſtio I. *Quotuplex* Dei Regnum *in Scripturis Sacris reperitur expreſſum?*

℞. Triplex: ac 1. quidem *Regnum naturale*, quod omnipotenti rerum omnium creatori prorsùs neceſſariò competit in res, quas condidit, atque hoc ſenſu ajebat David: *Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum.* *Pſal.* 144. 13.

2. *Regnum Gratiæ*, quo per fidem, ſpem & charitatem regnat Deus in animis juſtorum, dicente Salvatore: *Regnum Dei intra vos eſt.* *Luc.* 17. 21. Apoſtolo exponente: *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* *Rom.* 14. 17.

3. *Regnum gloriæ*, feliciſſimum illud & pacatiſſimum, in quo peccato morteque deſtructis, (*b*) erunt omnes inimici Chriſti ſcabellum pedum ejus, eritque electorum omnium ſecuriſſima immortalitas. De hoc regno à Salvatore dictum eſt: (*c*) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in* REGNUM *cælorum*: atque in extremo illo die Electis dicturus eſt: (*d*) *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis* REGNUM *à conſtitutione* (*b*) *Pſal.* 109. 2. *Hebr.* 10. 13. (*c*) *Matth.* 7. 21. (*d*) *Matth.* 25. 34.

mun-

mundi : Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c.

Q. 2. *Quodnam horum trium petitur advenire, per hæc verba* : Adveniat regnum tuum ?

℞. Præcipuè *tertium* : nam primum, quod Deo *eſſentialiter* proprium eſt, fruſtrà peteretur : *ſecundum* verò tertia petitione poſtulatur. Hic ergo deſideramus regnum iſtud ſtabile ac perenne, quod nullus ultrà metus, nulla unquam ſolicitudo perturbat, in quo Deus eſt (*a*) *Omnia in omnibus*. Et quidem convenientiſſimè, ut (*b*) *S. Auguſtinus* monet, *nunc* omnium Chriſtianorum vota in ſecundum illum & *glorioſum* Chriſti adventum tendunt, ſicut ante *Verbi Incarnationem* omnium Sanctorum deſideria in *primum* Chriſti adventum ferebantur.

(*a*) 1. *Cor.* 15. 28.
(*b*) *In Pſ.* 118. *Serm.* 20. *num.* 1.

Q. 3. *Sed quid opus eſt petere, ut hoc Dei Regnum adveniat, cùm tempore à divina providentia conſtituto certiſſimè ſit adventurum ?*

℞. Regnum quidem illud *certò* adveniet tempore præſtituto, ſed non omnibus *felix* ac deſideratum adveniet. Qui enim *vitio ſuo* participes ejus non erunt in *gloria*, hi miſeranda funeſtaque neceſſitate, eidem Dei regno perpetuò ſubjicientur (*c*) in *ſupplicio*. Poſtulat igitur unuſquiſque, ut à Dei clementia *lætum* ſibi felixque obtingat, ne inter (*d*) rejectos hædos, verùm inter electas *oves*, in ſupremi judicii die locum inveniat.

(*c*) *Pſal.* 2. 9. & 109. 1.
(*d*) *Matth.* 25. 32.

Eſt porrò regnum Dei unicuique tam *vicinum*, quàm vitæ ejus *poſtremus dies* ; nam talis quiſque in extremi judicii die comparebit, qualis ex hac vita migraverit.

Q. 4. *Qualis animo noſtro cogitatio obverſari debet, cùm hanc orationem proferimus ?*

℞. Vitam hanc mortalem non aliud eſſe quàm *brevem tranſitum* ad æternitatem, quæ vel

vel Dei munere *felix*, vel culpa noſtra futura eſt *infelix*; momenta proinde ſingula, pretioſiſſima eſſe *Dei dona*, quibus felicitatem numquam finiendam liceat adipiſci, ſi regnum *cupiditatis* magis in dies in nobis deſtruentes, ad Regnum illud *gratiæ & gloriæ* indeſinenti deſiderio anhelemus.

Q. 5. *Quam Dei voluntatem fieri petimus petitione tertia*: FIAT VOLUNTAS TUA?

℞. Illam præcipuè, qua quid velit à nobis fieri, *jubendo* & *prohibendo* manifeſtat, quæ *voluntas ſigni* (a) dici conſuevit: nam licet ea voluntas *beneplaciti*, quæ *antecedens* dicitur, ab hac petitione non excludatur; illa tamen quæ *conſequens* nominatur, qua nempe Deus *abſoluto* propoſito quidpiam decernit fieri, infallibilem habet efficientiam, & fruſtrà peteretur impleri.

Q. 6. *Ut quid hoc petimus*, *cùm* noſtri arbitrii *ſit divina præcepta ſervare*? *Vide Tom. 2. p. 1. Sect. 1. cap. 22. q. 7.*

℞. Sic demùm *arbitrii noſtri* eſt divina præcepta ſervare, ſi *auxilio gratiæ* ſuæ Deus aſpiret; *imbecillitatem* ergo noſtram & *inſufficientiam*, magnamque ad malum *pronitatem* agnoſcimus, ac idcirco Dei auxilium imploramus, ut ipſo *præveniente*, *protegente*, & *adjuvante*, ſanctiſſimæ voluntati ejus per omnia nos ſubdamus; operantes bona, & mala devitantes, ut jam non ultrà ſectemur *concupiſcentias carnis*, *voluntatem propriam*, aut

(a) *Voluntas* ſigni, *quintuplex in Deo poni ſolet*, *prout hoc verſu exprimitur*:
Præcipit, *ac prohibet*, *permittit*, *conſulit*, *implet*.
Id eſt præceptum, *prohibitio*, *permiſſio*, *conſilium*, *operatio*.

De voluntate Dei antecedente & conſequente, *Vide* S. Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 6. *ad* 1. *De voluntate* ſigni, *ibid. art.* 11. & 12.

Digitized by Google

aut *ſuggeſtiones ſatanæ*, ſed ad Dei nutum ac beneplacitum omnes affectus noſtros componamus.

Q. 7. *Nonne in omnibus quoque rerum quarumcumque* eventibus *divinæ voluntati noſtræ ſubdenda eſt?*

℞. Eſt prorsùs, atque id ipſum hoc loco poſtulamus, ut ſupremæ illi providentiæ, æque in *adverſis* ac in *proſperis*, libenti animo nos ſubmittamus, pleniſſimè perſuaſi, Deum O. M. *nihil* nobis evenire velle, quod non ſit *juſtum*, *ſanctum* atque *optimum*.

(a) Vide libr. Job. *primis præſertim capitibus.*

(*a*) Hujus rei celebratiſſimum exemplar in patientiſſimo *Jobo* Sacra Scriptura propoſuit, qui non modò poſſeſſionibus, quas habebat ampliſſimas, repentè ad extremam uſque paupertatem exutus, verùm etiam numeroſa ſobole uno penè temporis momento orbatus, in has gratiarum actionis voces erupit: (*b*) *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

(b) Cap. 1. verſ. 21.

Q. 8. *Quæ ratio eſt, cur hæc verba adjecta ſint*: SICUT IN CŒLO ET IN TERRA?

℞. Verbis iſtis obedientiæ modum formamque poſtulamus, ut quemadmodum beati in cœlis Angeli & homines *ſponte* & *alacriter*, atque *ex amore*, divino Numini *in omnibus* obſequuntur; ita nos, etiamnum in terris militantes, promptè & ex animo Dei juſſa exequamur; non *adæquantes* quidem, ſed *æmulantes* supernorum civium alacritatem.

Vocat verò nos Dominus ad *exemplar cæleſtium*, quòd de iis ne ſuſpicio quidem iniquitatis haberi poſſit: ut à peſſimo multorum more nos revocet, quo, cùm de ſervandis Dei præceptis agitur, ad mortales homines officii ſui immemores ac prævarica-

tores,

Digitized by Google

tores, oculos convertentes, *delinquentium multitudine* ſe tuentur; quaſi multitudo operantium iniquitatem, non peccati ſit aggravatio, ſed tranſgreſſionum excuſatio.

CAPUT VII.

De quarta petitione : PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. *Item de quinta* ; DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

QUæſtio I. *Quid* PANIS *nomine quarta petitione poſtulamus?*

℟. Hebræa phraſi, *Panis* nomine intelliguntur ea omnia, quæ ad vitam tuendam ac ſuſtentandam ſunt neceſſaria; at illa præcipuè hic poſtulantur, quæ ad *vitam animæ* promovendam pertinent, nimirum *verbum Dei*, ſacroſanctum *Domini Corpus*, cæteraque ſalutifera *Dei dona*, quæ ad benè beatèque vivendum, paſcunt, confirmantque hominem interiorem.

Duobus itaque modis panis iſte, quem flagitamus, à Sanctis Patribus ſumitur, ſive pro neceſſitate *victus corporalis* rerumque temporalium ſufficientia, ſive prò neceſſitate *ſpiritualis alimoniæ*.

Q. 2. *At cur* Panis *potiùs quàm alterius rei nomen expreſſum eſt?*

℟. Tùm quia more ſacris Litteris uſitato, *Panis* nominè univerſa præſenti vitæ neceſſaria continentur: tùm quia panis, alimentum ut *ſimpliciſſimum*, ita *maximè neceſſarium*, præ cæte-

cæteris aptus eſt nos monere, ut ex rebus hiſce terrenis, ſola quæ *neceſſaria* ſunt appetamus, & juxta Apoſtoli monitum, (*a*) *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.*

(*a*) 1. *Tim.* 6. 8.

Q. 3. *Cur quiſque etiam privatim orans*, noſtrum *potiùs quam* meum *dicit?*

℞. Ut *fraternæ charitatis* memor, ſuam quoque ad alios curam proferat, & quæ à Dei benignitate munera perceperit, noverit non eſſe *ſibi ſoli* avare retinenda, ſed larga manu cum *egentibus* communicanda.

Q. 4. *Cur Panem* quotidianum *petimus?*

℞. Quia *quotidianæ* neceſſitates noſtræ *quotidiana* Dei ſubventione indigent. Prætereà hac voce *quotidianum*, una cum poſtrema *hodie*, admonentur Chriſtiani immodicam temporalium futurarumque rerum ſolicitudinem à ſe abdicare, totamque curam transferre in Patrem illum cœleſtem, qui & (*b*) *corvorum pullos* nutrit & cætera animata ſuſtentat.

(*b*) *Pſal.* 146. 9. *Matth.* 6. ℣. 26. & *ſeqq. Pſal.* 54. 13. *Vide* S. Thom. 2. 2. *q.* 55. *art.* 6. & 7.

Q. 5. *Ergone* omnis *temporalium rerum* SOLICITUDO *Chriſtianis eſt interdicta, ita ut in* otio & deſidia *vita illis ſit tranſigenda?*

℞. Minimè verò: *anxiam* dumtaxat illam ac *diffidentem* de divina providentia ſollicitudinem auferre à nobis Salvator voluit, cùm vetuit ne *in Craſtinum* ſoliciti ſimus. Munus quiſque ſuum cum pace & tranquillitate animi exequi debet, ſecutus de paterna Dei providentia, cui inniti debet omnis humanus labor & induſtria; (*c*) *aperit* enim *manum ſuam & implet omne animal benedictione*: (*d*) *niſi* verò *Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*,

(*c*) *Pſal.* 144. 16.
(*d*) *Pſal.* 126. 1.

Q. 6. *Etiamne opus eſt, ut qui divitiis opibuſque abundant, in dies dicant Deo*: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie?

℞. Eſt

℞. Eſt plane opus, ut omnes, nemine dempto, ſe *Dei mendicos* eſſe, illiuſque nutu non minus temporalia quàm ſpiritualia bona diſpenſari agnoſcant. Poſtulare igitur debent etiam *divites*, non ut habere *incipiant*; ſed ne habere *deſinant* quod jam habent; nam ubi ſupremæ Providentiæ viſum eſt, à ſumma opulentia ad extremam paupertatem *velox* pronuſque eſt tranſitus, id quod ipſo eventu ſæpenumerò comprobatum eſt.

Q. 7. *Quid in petitione quinta* DEBITORUM *nomine, quæ dimitti petimus, ſignificatur?*

℞. Ex Euangelio S. Lucæ (*a*) liquido patet *debitorum* nomine *peccata* intelligi, cùm in Oratione Dominica pro *debitis* (qua voce Matthæus uſus eſt) diſertè *peccata* expreſſerit. (*a*) Cap. 11. ℣. 4.

Ceterùm *peccata* vocantur *debita*, quia Divinæ juſtitiæ obſtringunt hominem, debitoremque conſtituunt pœnæ vel in hoc ſæculo, vel in futuro perſolvendæ.

Q. 8. *Quid igitur hac quinta petitione poſtulamus?*

℞. Ut quidquid in dies delinquimus, id ſua clementia condonet, deleat, & expurget Deus.

Q. 9. *Hæccine Oratio à juſtis quoque in dies recitanda eſt?*

℞. Eſt omnino: nam ſine levibus ſaltem offenſis hæc vita non ducitur, (*b*) *in multis enim*, Jacobo Apoſtolo teſte, *offendimus omnes*. Agnoſcere itaque debent omnes ſe peccatores eſſe, & Divina per Jeſum Chriſtum miſericordia quotidie indigere; alioquin, (*c*) *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt*; inquit Joannes Apoſtolus.

(*b*) Jac. 3. 2. Prov. 24. 16.

(*c*) 1. Joan. 1. 8.

Q. 10. *Quid innuunt verba huic petitioni adjuncta:* SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS?

℞. Con-

Digitized by Google

℟. *Conditionem* nobis exhibent, qua peccatorum veniam à Deo impetrare oporteat, ſi nimirum & nos ipſi condonemus *offenſas* iis à quibus læſi ſumus; alioquin firma ſtat ſententia Salvatoris: (*a*) *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter Cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra.*

(*a*) *Matth.* 6. 15.

De *debitis pecuniariis* remittendis propriè & ad litteram hìc non agitur. Exigi illa poſſunt ab iis qui ſolvendo ſunt; ſed & in his exigendis ſingulariter cavenda eſt *duritia* & immiſericordia.

Q. 11. *Quo pacto autem oportet aliis dimittere debita, ut à Deo nobis dimittantur noſtra?*

℟. Dimittere oportet (*b*) *ex animo*, ita ut irrogata nobis injuria pro infecta habeatur, omniſque animi rancor & indignatio ſupprimatur; quod tum maximè faciendum eſt, cum qui injuriam fecit, culpam agnoſcit, & *veniam* deprecatur. Res quidem ardua inimicos diligere, ſed Chriſtianis propria, quibus & (*c*) exemplum Chriſti propoſitum eſt, & (*d*) promiſſio facta, ita fore eos filios Dei, Patri ſuo ſimiles, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Qui porrò duri & in vindicandis injuriis obſtinati ſunt, hi ſeriò cum animo ſuo reputent hæc Spiritus Sancti verba: (*e*) *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius?*

(*b*) *Matth.* 18. 35.
(*c*) *Luc.* 23. 24.
(*d*) *Matth.* 5. 45.
(*e*) *Eccli.* 28. ℣. 3. 4. & 5.

CA-

CAPUT VIII.

De ſexta petitione: ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM: *item de ſeptima:* SED LIBERA NOS A MALO.

QUæſtio I. *Quid in ſexta petitione* TENTATIONIS *nomen denotat?*

℟. Illam hominis *vexationem*, qua variis modis ad deſerendam juſtitiam, Deique legem violandam inſtigatur. Quod quidem *extrinſecus fit*, & *intrinſecus?*

Q. 2. *Quomodo* extrinſecùs?

℟. Extrinſecus hominem tentat *diabolus*, tùm per ſe, tùm per impios, ſuo obſequio mancipatos, dum arduam divinæ legis difficultatem inſinuat: dum nequitiam docet, ſuadetque: dum perverſa ſenſibus mentibuſque exempla objicit; denique dum vafris ſuggeſtionibus prava in animis deſideria multipliciter excitare contendit. Quare meritò dictum eſt ab Apoſtolorum principe Petro: (*a*) *Adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* (*a*) 1. Petr. 5. 8. Epheſ. 6. 12.

Q. 3. *Unde tentamur* intrinſecus?

℟. *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, inquit (*b*) Jacobus Apoſtolus. Eſt ſcilicet in nobis ex *originali* culpa *fomes peccati*, qui *ad agonem* in ipſis quoque baptizatis remanet. Hic ad immoderatas quidem *ſenſuum voluptates* nos præcipuè (*b*) Cap. 1. 14.

(*a*) *Induite vos* armaturam Dei, *ut poſſitis ſtare adversùs* inſidias diaboli: *quoniam non eſt nobis* colluctatio *adversùs carnem & ſanguinem; ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra* ſpiritualia nequitiæ, *in cœleſtibus. Epheſ.* 6. ℣. 11. & 12.

inclinat, ſed tamen omnes *animæ vires* ita pervaſit atque infecit, ut ad reliqua etiam vitia non parùm inde propenſi ſimus. Ita veriſſimè dictum eſt: (*a*) *Militia eſt vita hominis ſuper terram*.

(a) Job. 7. 1.

Q. 4. *Etiamne* DEUS *hominem* tentat?

℞. Si *tentationis* nomen eo modo ſumatur quo jam explicatum eſt, nefas eſt cogitare, ſic à Deo optimo ac benigniſſimo, cui (*b*) odio eſt impius & impietas ejus, tentari hominem. (*c*) *Nemo ergo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur*, inquit Jacobus apoſtolus; nam inviolabili iſti ſanctitati non minùs adverſum eſt ad malitiam tentando provocare, quàm provocari.

(b) Sap. 14 9.
(c) Jac. 1. 13.

Q. 5. *Quo ſenſu igitur ſubinde in Sacris Litteris* tentaſſe *Deus legitur?*

℞. Non alio, quàm quòd virtutem hominis, fidem atque conſtantiam, non *ſibi*, ſed *aliis*, eventu ipſo fecerit *manifeſtam*; ſic (*d*) tentaſſe *Abrahamum* dicitur, cùm illi imperavit, ut *Iſaacum* filium unigenitum atque chariſſimum, ſibi immolaret: quod Dei præceptum, ubi pius ille Patriarcha animo promptiſſimo implendum ſuſcepit, *palàm* facta eſt orbi, & in exemplum propoſita, fides ejus & obedientia.

(d) Geneſ. 22. 1.

Q. 6. *Quis ad hujus petitionis ſenſum in tentationem* induci *dicitur?*

℞. Is qui pravæ *ſuggeſtioni*, aut *delectationi conſenſum* præbet, atque ſuccumbit; tribus quippè gradibus docente (*e*) S. Gregorio Magno, ad peccatum ducimur, *ſuggeſtione*, *delectatione*, *conſenſu*. Ut *ſuggeſtionem* non patiamur, in noſtra plerumque non eſt poteſtate: *delectationem*, mox ut exorta fuerit, reprimere, Deo juvante poſſumus & debemus, ita ſaltem ut *conſenſum* non præbeamus.

(e) Hom. 16. in Evang. Vide etiam S. Aug. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, cap. 23. & lib. 12. de Trinit. cap. 12.

Q. 7.

Digitized by Google

Q. 7. *Quid igitur poſtulamus hac ſexta petitione?*

℟. *Infirmitatem* noſtram divini [illegible] auxilii *neceſſitatem* agnoſcentes, peti[illegible] *ſi* periculoſa tentatio *ingruat*, nos divina gratia fulti ſuperem[illegible] Tunc itaque Deus *in tentationem induc*[illegible] dicitur, quando juſto judicio *ſpeciale* ill[illegible] auxilium gratiæ ſuæ ſubtrahit, ſine [illegible] tentatio non ſuperabitur.

Q. 8. *Quænam inter cæteras juventuti maximè formidanda* tentatio *eſt?*

℟. Illa, qua pudicitia & caſtitas oppugnatur; nam, teſte (*a*) *S. Hieronymo*, ignita *luxuriæ* jacula adversùs adoleſcentiam prima ſunt arma dæmonum. Norunt hi ſcilicet, *quàm difficilè* emergat, qui huic *luto* ſemel immerſus eſt. Atque eo major eſſe debet omnium ſolicitudo, ne innocentes animi hujus tentationis peſtifera labe corrumpantur.

(*a*) S. Hieron. *Epiſt. ad Euſtoch.*

Nulla quoque *clericis* hac una tentatione periculoſior eſt, quia nuſquam lapſus fœdior, nuſquam tanta puſillorum offenſio ac ſcandalum; nuſquam operoſior emendatio.

Q. 9. *Quibus armis iſthæc tentatio repellenda eſt?*

℟. *Principiis* fortiter obſiſtendum eſt, (*b*) cum *humilitate*, divini auxilii *fiducia*, *ſobrietate* & abſtinentia, omniumque illecebrarum & occaſionum *fuga*. Certa *victoriæ* ſpes eſt, ſi quis ſuis ipſe viribus diffiſus, totam in omnipotenti Dei protectione & auxilio fiduciam collocet.

(*b*) *Vide infrà explicat. ſexti Præcepti Decal. & Pſ.* 136. 9.

Q. 10. *Quid poſtulamus petitione ſeptima,* SED LIBERA NOS A MALO?

(*b*) *Beatus qui tenebit, & allidet* parvulos *tuos ad* Petram, *Pſalm.* 136. 9. Petra *autem erat* Chriſtus. 1. *Cor.* 10. 4.

Digitized by Google

bus; Petimus, ut hujus ſæculi *calamitati*- nos Deibus exercentur etiam *pii*, non ſinat benignitate [illegible] & everti cum *impiis*, ſed ut *noſtræ* congruit, [illegible] liberet, quatenùs *ſaluti* corporis tum animæ, ſive [illegible] *omni malo*, cum [illegible] hac vita, ſive in futura, propitius tueatur.

Agnoſcimus ergo bonorum everſi[illegible]es, exilia, bella, famem, peſtem, (*a*) cæter[illegible]que morbos atque miſerias ſine *ſpeciali Dei providentia*, juſtoque judicio nemini evenire: neque ea aliter deprecamur, niſi quatenùs à conſequenda ſalute nos vitio noſtro impediunt.

(*a*) *Vide Amos* 3.6. *& intellige de* malo pœnæ, *non* culpæ.

Q. 11. *Cur totam hanc precationem concludimus voce* Amen?

℞. Vox illa Hebræo ſermone *aſſeverationem* continet, & in *fine orationis* deſiderium ac fiduciam, ut idem ſit ac ſi dicatur: *fiat*, ſive *fiet* quod petitur: proinde dum ea hoc loco utimur, noſtrum in orando deſiderium renovamus, ſimul & impetrandi fiduciam teſtificamur, tùm propter Chriſti, qui non fallit, promiſſionem; (*b*) *Petite*, inquit *& dabitur vobis*: tùm propter Patris erga nos immenſam clementiam, & propenſam in omnes miſericordiam, ut hinc Joannes dixerit: (*c*) *Quodcumque petierimus ſecundùm voluntate ejus, audit nos.*

(*b*) *Matth.* 7. 7.

(*c*) 1. *Joan.* 5. 14.

CAPUT IX.

De Salutatione Angelica.

Quæſtio I. *Quæ hujus* Salutationis, *& precationis origo eſt?*

℞. Tres partes complectitur hæc Precatio. Prima originem habet ab Angelo *Gabriele*, qui à Deo

à Deo miſſus ad *Mariam Virginem*, nuntiaturus Dominicæ Incarnationis myſterium, his eam verbis affatus eſt: (*a*) *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* (*a*) *Luc.* 1. 28.

Secunda pars deſumpta eſt ex verbis *Eliſabethæ* matris Joannis Baptiſtæ, quæ, cùm à *Maria* cognata ſua viſitaretur, Divini Spiritus afflatu, matrem Domini ſui agnovit ac venerata eſt, dicens (*b*) *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* (*b*) *Luc.* 1. 42.

Tertia pars, quæ digniſſimæ Matris *invocationem* continet, ex uſu *Eccleſiæ* & (*c*) antiqua Fidelium devotione profluxit. (*c*) *Præcipuè invaluiſſe putatur, circa tempus* Concilii Epheſini, *celebr. an.* 431.

Q. 2. *Quis primæ partis ſenſus eſt,* AVE MARIA, GRATIA * PLENA, DOMINUS TECUM?

℞. Hæc angelicorum verborum res eſt atque ſententia: *gaude* & exulta, digniſſima Virgo, quòd Divinæ munificentiæ largitate, gratiæque ubertate *præventa*, Deo rerum omnium *Domino* ſingulariter accepta, & intima unione conjuncta ſis.

Q. 3. *Quid ſibi vult ſecunda pars:* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI?

℞. Hoc nempè indicat: Sanctiſſimam hanc Virginem, præ cæteris omnibus mulieribus, inuſitatos Divinæ dilectionis effectus percepiſſe, cùm à (*d*) veteri *maledicto* immunis, ſemperque (*d*) *Geneſ.* 3. 16.

* *Benè* gratia plena, *quia cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſe tota ſimul infudit gratiæ plenitudo. Serm. de Aſſumpt. B. M. V. apud* Hieron. *Tom.* 9. Plenus Chriſtus *gratiæ, tamquam* fons, *in quo ſcaturit & ſtagnat gratia, & in omnes homines, ſicut ex capite in membra derivatur.* Plena Chriſti Mater, *tamquam fonti proximus* fluvius, *qui etſi minùs quàm fons aquæ habet, pleno tamen fluit alveo.....* Plenus Stephanus (*Act.* 6. 8. *& c.* 7. 55.) *tamquam* rivulus *&c.* Maldonat. *in cap.* 1. *Luc. num.* 96.

perque illibata, ſine dolore concepit, geſtavit & peperit Filium, qui ſicut in tempore eſt homo, ita ab æternitate eſt Deus.

Q. 4. *Quid potiſſimùm cogitare nos convenit, dùm hanc Salutationis partem recitamus?*

℞. *Grata* animi recordatione venerari oportet ineffabile *Dominicæ Incarnationis* Myſterium, quod olim pro noſtra ſalute in hujus Virginis utero Divina virtute peractum eſt.

Q. 5. *Quid ſibi volunt verba ſequentia*: SANCTA MARIA, MATER DEI, ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS, NUNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ?

℞. Mariam ſupremæ dignitatis titulo venerantes, MATREM DEI dicimus, quòd ejus *Filii* Mater ſit, qui non tantùm *Homo*, ſed ſimul *Deus* eſt.

Perſuaſi deinde, potens eſſe illius apud Deum *Patrocinium*, quam tanto ipſe favore dignatus eſt, nec dubitantes, quin ſanctiſſima Chriſti Mater, benigniſſimæ quoque erga nos *Matris* partes gerat, interceſſionem ejus cum fiducia imploramus, ut nos variis peccatis obnoxios, quovis tempore protegat: at præcipuè in *hora mortis*, quando & periculoſior eſt conflictus, & æternitatis alea jacienda eſt.

Q. 6. *Eſtne ordinata Fidelium devotio, quæ ad honorem Virginis Matris, precationem Angelicam unà cum Oratione Dominica certo numero aliquoties repetunt, quod* Roſarium, *aut* Pſalterium *Virginis vocant?*

℞. Eſt utique devotio jam pridem ſalubriter inſtituta, atque à Beato *Dominico* propagata, cùm *omnibus*, tùm *rudioribus* præſertim utilis, ut præcipua vitæ, mortis & glorificationis Chriſti myſteria recolant. Nam cum quindecim decades *Pſalterium Virginis* complectatur, prioribus quinque totidem gaudia ſanctiſ-

ſimæ

Digitized by Google

ſimæ Matris accommodata ſunt, quibus illa ex his quæ circà humanam Chriſti naturam contigerunt, affecta fuit, nimirum *Annuntiatio* Dominicæ Incarnationis, *Viſitatio* Eliſabethæ, *Nativitas* Domini, *Oblatio* Chriſti in templo, *Inventio* pueri JEsus inter Doctores.

Decadibus quinque ſequentibus, memoria celebratur quinque myſteriorum paſſionis Chriſti, quæ ſunt: *Oratio & captivitas* Domini, in horto: *Flagellatio*: *Coronatio*: *Bajulatio Crucis*: *Dolores* in cruce tolerati.

Poſtremis quinque Decadibus recoluntur quinque myſteria glorioſa, quæ poſt Chriſti Domini mortem conſecuta ſunt, videlicet: *Reſurrectio* Domini: *Aſcenſio* ejus in cœlos: *Adventus Spiritus Sancti* in Diſcipulos: *Aſſumptio* Virginis Deiparæ: ac denique in *Cæleſti vita* gaudium ejus ſempiternum.

Horum myſteriorum FRUCTUS, *repetita* hac oratione, rectè & ſalubriter à Deo per interceſſionem Virginis Matris poſtulatur.

Q. 7. *Cur manè, meridie ac veſperi campanæ pulſu ad ſalutationem Angelicam Fideles excitantur?*

℟. Id eo præcipuè intuitu laudabilis uſus inſtituit, ut iis diei temporibus *gratam* in nobis *Dominicæ Incarnationis* memoriam renovemus, cùm tanta ſit illius beneficii magnitudo, ut perpetuò ob oculos verſari debeat homini verè Chriſtiano. Hinc ea partim Eccleſiæ, partim Euangelii verba, unà cum precatione Angelica, recitantur: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Subjungitur denique Oratio, qua Dominicæ Incarnationis fructus poſtuletur: *Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris in-*

ſunde, ut, qui Angelo nuntiante Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus, per Paſſionem ejus & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur, per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. De veneratione B. Mariæ Virginis, *Feſtiſque* diebus in eam rem inſtitutis; vide infrà latiùs, Parte 3. cap. 32.

CAPUT X.

De HORIS CANONICIS.

QUæſtio 1. *Quid intelligitur nomine* Horarum Canonicarum?

℞. Uſu pridem recepto, nomen iſtud deſignat *publicas quaſdam preces, certo ritu, ordine ac modo, horis tam diurnis quàm nocturnis, juxta ſacrorum* CANONUM *præſcriptum, ab Eccleſiaſticis perſonis, totius Eccleſiæ nomine, ad Deum perſolvendas.*

A deſignatis per *SS. Canones* pſallendi præcandique *horis*, *horarum Canonicarum* nomen derivatum eſt. Res eadem ab *obligatione* perſonis Eccleſiaſticis impoſita, *officium Eccleſiaſticum* vocari conſuevit. Sæpè etiam (*a*) *divinum*, quia ad Dei cultum primariò inſtitutum eſt, & ad eumdem ſolum pura mente referendum. Variis etiam nominibus aliis horariæ preces reperiuntur expreſſæ: *Pſalmodia*, vel *hymnodia* divina, *curſus* divinus, vel Eccleſiaſticus, *agenda*, græcis *canon*, *ſynaxis* paſſim apud Caſſianum, alibi *collecta*, nonnumquam (*b*) *miſſa*, denique apud S. Benedictum (*c*) *opus Dei* crebrò nominantur.

(*a*) *Cap.* Dolentes *de celebr. Miſſ. &c.*

(*b*) Conc. Agath. c. 30.

(*c*) *Regul.* c. 43. & 47. *Item.* 48. 10.

Q. 2. *Quæ eſt earum origo & antiquitas?*

℞. *Beatorum ſpirituum* ordines, ab exordio tempo-

temporis *exemplum* præbuerunt in cœlis, quod homines imitarentur in terris; unde dubitari nequit, quin quotquot unquam fuerunt pii homines, tam ſub lege naturæ quàm ſub lege moſaica, certa ſibi tempora delegerint, quibus Deum creatorem ſuum laudarent in dies, & precarentur.

A Veteri teſtamento ad *novum* pia obſervatio tranſiit, certòque ſtatui poteſt, pſalmodiam *Horaſque Canonicas*, ſi rem ipſam & *ſubſtantiam* ſpectes, ſimul (*a*) exortas eſſe cum Eccleſia Chriſtiana, eaſque ab *Apoſtolica traditione* ad noſtra uſque tempora perveniſſe.

Non tamen unus ſemper & ubique fuit earum *numerus*, *ordo moduſve*, aut pſallendi *ritus*, non eadem ſemper *obligatio*. Vetuſtiſſimorum interim ſæculorum clerici, cùm eſſent omnes certæ Eccleſiæ *adſcripti*, ejuſdemque ſervitio mancipati, quotidiano, quod in ea fiebat, officio erant obſtricti; (*b*) à quo ſi abeſſe cogerentur, conſtat *privatim* perſolviſſe ſolitos, quod unà cum aliis *publice* præſtare non poterant. Conſtat etiam ante medium (*c*) ſæculi ſexti, ætate ſcilicet *S. Benedicti*, ſeptem horas canonicas, eo ferè modo quo hodiè, fuiſſe uſitatas. Eodem ſæculo putatur *Pelagius I.* aut *II.* legem ſtatuiſſe, qua clerici horarias preces *ſepties* in die perſolvere cogerentur, ita ut quod antiqua jam tum conſuetudine ſervabatur, lege deinde lata perpetuò in Eccleſia ille juſſerit obſervari. Unde & poſt hæc tempora in *Conciliis* & ſcriptoribus Eccleſiaſticis frequens reperitur mentio ſeptem ho-

(*b*) *Vide* Conc. Carthag. IV. *Can.* 49. Conſtitut. Apoſt. *l.* 8. *c.* 34. S. Baſil. *in Reg. c.* 10. 7. *&c.*

(*c*) *Obiit* S. Benedictus *circ. an.* 543. *Vide Regula cap.* 6.

C 5 rarum

(*a*) Conſtit. Apoſtol. *l.* 8. *c.* 24. & 34. Tertull. *de Jejun. cap.* 10. & 11. S. Cypr. *de Orat. Dom.* S. Hieron. *Ep. ad Euſtoch.* S. Aug. *Ep.* 55. *olim* 119. *cap.* 18. *Vide* Baron. *ad an.* 34. *à num.* 251. & *ad an.* 60. *à num.* 24.

Digitized by Google

rarum canonicarum. *Pius V.* in Bulla Breviario Romano præfixa ait, divini officii formulam pie ac ſapienter à ſummis pontificibus, præſertim *Gelaſio* ac *Gregorio* primis fuiſſe conſtitutam; à *Gregorio* autem VII. reformatam; prout & poſtea ſæpe factum eſt, & adhuc forſitan fieri poſſet.

Q. 3. *In quot & quænam tempora ex antiquo uſu* preces publicæ *ſunt diſtributæ?*

℞. Horarum canonicarum officium duplex eſt, *nocturnum & diurnum*. Iſtud in (*a*) *tria* noctis tempora, ſeu *vigilias*, aliquando diſtributum fuit; unde uſque hodie ex *tribus*, ut vocant, *nocturnis* conſtat plerumque officium illud, quod nunc dicitur *matutinum*, quia à pleriſque ſummo mane perſolvitur.

(*a*) S. Tho. *lect.* 6. *in cap.* 13. *Ep.* 1. *ad Corinth.*

Diurnum, quod à matutinis *laudibus* inchoatur, *ſeptenario* numero comprehenditur.

1. Pars, quæ *Laudum* nomine nuncupatur, ad auroram pertinet.

2. Ad primam poſt ſolis ortum diei horam, unde illi *Primæ* nomen adhæſit,

3. Ad horam diei *tertiam*, unde & *Tertia* appellatur.

4. Ad ſextam diei horam, ſive meridiem, *Sexta* vocatur.

5. Ad nonam diei horam, quæ noſtræ tertiæ pomeridianæ fere reſpondet, *Nonæ* nomen retinuit.

6. Ad ſolis occaſum, *Veſperarum* nomen obtinuit.

7. Denique preces aliquas complectitur, quibus ante quietem cæteræ concludantur, iiſque *Complectorii* nomen inditum eſt.

His omnibus ratio myſtica, eaque multiplex, attributa eſt; quæ communior eſt, vulgatis hiſce verſibus continetur:

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis; Ma-

Digitized by Google

Matutina LIGAT *Chriſtum, qui crimina purgat:*
Prima replet SPUTIS: CAUSSAM *dat tertia mortis,*
Sexta CRUCI *nectit:* LATUS *ejus nona bipertit:*
Veſpera DEPONIT, TUMULO *completa reponit.*

Cæterum fuit aliquando cum hæc tempora *accurate* ſervarentur, hodie pleriſque in locis ſolum pene *nomen* ſupereſt, niſi quòd in nonnullis *Cœnobiis* hucuſque retenta ſint.

Q. 4. *Quinam ad precum horariarum recitationem ſunt* obligati?

℟. Ea obligatio ex triplici capite naſcitur, nimirum ex ſuſceptione *ordinis ſacri*, ex *beneficio* Eccleſiaſtico, & ex Religioſi ſtatus *profeſſione*, quæ choro addita ſit: ac proinde tria ſunt genera perſonarum, quæ ad recitationem illam obligantur, nempe quæ vel ſacro ordine initiatæ ſunt, vel beneficium Eccleſiaſticum obtinent, vel in monaſterio quopiam *ad chorum* profeſſæ ſunt, ſive *viri*, ſive *mulieres*.

(*a*) Patet hæc obligatio partim ex jure ſcripto, partim ex generali Eccleſiæ praxi & *conſuetudine*, quæ in re tam laudabili vim legis meritò cenſenda eſt obtinere.

Q. 5. *Quid ſentiendum de iis, qui ratione beneficii Eccleſiaſtici* choro *adſtricti ſunt, & omiſſo interim* cantu, *privatim officium recitant, dum ab aliis decantatur?*

℟. Hoc multis locis, multiſque diverſorum *Conciliorum* canonibus ſæpe fuit interdictum: & facilè agnoſcunt omnes, ſi juſta cauſſa abſit, non parum id eſſe incongruum & à decore divini cultus alienum. Decrevit idcirco Tridentina Synodus, ut omnes, qui ad hujuſmodi Sacerdotia promoti ſunt, divina *per ſe* &

C 6 non

(*a*) *Cap.* dolentes *de celebr. Miſſar. cap.* quia per ambitioſam, *de reſcriptis in 6.* Conc. Later. *ſub Leone X. ſeſſ.* 9. Pius V, *Bulla* 135. S. Thom. *opuſc.* 65. *cap.* 1.

Digitized by Google

non per ſubſtitutos compellantur obire officia iniquum utique eſt, ut qui bonis Eccleſiaſticis plerumque tam liberaliter ſuſtentantur, in alios totum pſallendi onus cum quadam velu-ti deſpicientia, vel certe inſigni negligentia rejiciant.

Quod *ad frequentationem Chori* attinet, cenſet *Joannes Wiggers*, auctor minimè rigidus, eos à peccato mortali excuſari non poſſe, qui ſine juſta cauſa unum, aut alterum è tribus officiis principalibus, ordinariè ac veluti de induſtria quotidiè prætermittunt, etiamſi ad explendam probandamque reſidentiam, unius tantum officii frequentationem, collegii ſtatuta decreverint. Verba ejus hæc ſunt: (*a*) „ Dico „ quinto: ut prædicti beneficiati, qui præ- „ bendas habent liberas ſine alio officio, V. G. „ docendi, concionandi, audiendi confeſſio- „ nes, aut ſimili onere non gravatas, ritè „ peragant ſuam reſidentiam, non ſufficit quòd „ in die ſemel interſint officio Chori, etiamſi „ forſitan ex conſuetudine Eccleſiæ permittan- „ tur tales gaudere proventibus cum aliis, ſed „ debent intereſſe divinis officiis omnibus, ita „ ut à *peccato* mortali non videantur excuſan- „ di illi, qui *juſta ceſſante cauſſa* abſentant ſe „ *ordinarie* ab uno, aut pluribus officiis.

(*a*) *Tract. 7. de beneficiis Eccl. Cap. 3. dub. 20. num. 90.*

Q. 6. *Satiſne eſt quotidianum iſtud officium vel* voce, *vel labiis recitare?*

℞. Jam ſupra ſatis dictum eſt *orationem omnem* attento devotoque animo fieri oportere; quod cum ubique, tum vero præcipuè locum habet in iis precibus, ad quas quiſque *ex officio*, ceu communis Eccleſiæ miniſter, adſtrictus eſt.

Q. 7. *Quotuplex eſt* ATTENTIO?

℞. Triplex diſtinguitur; 1. *Ad verba*, ut recte diſtincteque proferantur: 2. Ad *ſenſum* ver-

verborum, ut mente & corde percipiatur: 3. Ad ſcopum *finemque* orationis; hoc eſt, ad Deum tamquam præſentem, & ad rem pro qua oratur; qualis attentio & in ſanctimoniali facile reperiri poteſt, tametſi ignoret idioma, quo officium divinum recitatur. Utraque poſterior certo ſufficit. *Prima* neceſſaria eſt, ſed non ſufficit, ſi cum *voluntaria* mentis evagatione conjuncta ſit; uſque adeò ut communior longe ſit Theologorum ſententia, *voluntariam* hic diſtractionem, ſeu *deliberatam* mentis evagationem, quæ *non diſpliceat*, etiam cum animadvertitur, ſi notabilis ea fuerit ac diuturna, non carere peccato mortali; præcepto quippe Eccleſiaſtico graviter, diſtrictè, & in virtute obedientiæ injunctum eſt omnibus ad Horas Canonicas obligatis (*a*) *ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus*, STUDIOSE *celebrent pariter &* DEVOTE. Et certe hic, ſi uſquam, locum habet illud Prophetæ: *Maledictus homo qui facit opus Domini fraudulenter*, vel ut eſt apud LXX. *negligenter*, qualis utique eſt, qui cùm Deum *labiis honorat*, *cor* ex propoſito habet *longe* ab eo diſſitum, res palane alias vanaſque eas ac inutiles mente verſando. (*b*) Cum ergo ad Eccleſiam venerimus, *corde* magis quam *ore* Deo cantandum eſſe meminerimus. Operæ etiam pretium erit, ut hæc (*c*) *S. Cypriani* verba memoriæ commendentur. „ Quando
„ ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi,
„ invigilare & incumbere ad preces *toto corde*
„ debemus: cogitatio carnalis hominis & ſæ-
„ cularis abſcedat, nec *quidquam* tunc animus
„ *aliud* quam id ſolum cogitet quod precatur.
„ Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione
„ præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo *ſur-*
„ *ſum corda*; ut dum reſpondet plebs: *habemus*

„ *ad*

(*a*) *Cap.* dolentes *ex Conc. Later. IV.* ſtudioſe, *inquit gloſſa, quantum ad officium oris* & devote, *quantùm ad officium cordis. Jerem. 48. 10.*

(*b*) *Can.* cum autē *diſt.* 92.

(*c*) *Lib. de orat. Dom.*

Digitized by Google

„ *ad dominum* ; admoneatur nihil ſe aliud „ quam Dominum cogitare debere. Claudatur „ contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pa„ teat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore ora„ tionis venire patiatur.

Q. 8. *Quis in recitatione divini officii ſervandus eſt* ritus *ac* modus?

℞. Servandus unicuique eſt *ritus* Eccleſiæ, cui eſt adſcriptus. In hac re, uti paſſim in aliis hujuſmodi, *conſuetudo* legitime præſcripta *vim legis* obtinet. In cæteris ſervandæ ſunt *Rubricæ*, ut vocant, *Breviarii Romani*, quo uno uti debent omnes, qui Eccleſiæ ſuæ particularis *proprium* nullum habent.

Officium, quod in certum diem præſcriptum eſt, * temere *commutare* non licet, nec culpa omnino vacat, qui per negligentiam, aut culpabilem incogitantiam aliud pro alio recitat, aut partium *ordinem intervertit*. In re tanti momenti, & functione ſanctiſſima, in qua pro populo fideli *legatione* ad Deum fungimur, non decet quemquam eſſe *incurioſum*.

* *Vide Prop.* 34. *Alex. VII.*

Quapropter in tempore, quo officium perſolvitur, evitandæ ſunt *actiones* omnes, quæ cum hac orandi functione ſtare non poſſunt, aut quæ neceſſariam pariunt diſtractionem; omnes etiam (*a*) *interruptiones*, præſertim notabiles, ac maxime, quibus nulla juſta ratio cauſſam præbeat: omnis præterea *præcipitatio*, & indebita *feſtinatio*: *locus* indecens, aut *tempus* incongruum: indecora denique ad Deum alloquendum *corporis*, aut animi *compoſitio*.

(*a*) *Vide* S. Aug. in Pſal. 85.

In hanc rem memorabilia ſunt hæc verba (*b*) *S. Caroli Borromæi*: „ Omnes in *choro* di„ vina

(*b*) *Conc. Mediol.* 1. *Tit. Quomodo verſandum in choro*. *Conſonat.* & Conc. Senonenſe *an.* 1528. *cap.* 19. *his verbis*: „ *Qui ad horas canonicas tenentur*, *ſi oratio*„ *nes ſuas Deo acceptas fore cupiunt*, *non* in gutture,

„ vina officia, ut temporis ratio poſtularit, „ *alternis* vicibus *canant*, recitent, *attenteque* audiant.

„ Id non *curſim*, non perturbate, non „ oſcitanter, ſed leniter, *diſtincte*, ac ſtu„ dioſè faciant.

„ In choro pro temporis & officii ratio„ ne, ex inſtituto & more Eccleſiæ, *ſe„ deant*, *ſtent*, *flectant genua*, caput aperiant „ & ſubmittant, cæteraque ejus generis ad„ hibeant; *omnes* vero *æque idem* faciant.

„ Faceſſant ſomnus, *riſus*, joci, rixæ, „ *colloquia*. Ne vagentur in choro, vel Ec„ cleſia: neve locum mutent, ne occaſione „ quidem genua flectendi.

„ Ne in choro, ubi *communi* officio opera „ datur, *privatim* officium dicant: neve lit„ teras, libros, aliave ſcripta legant.

„ Ne *exeant*, niſi divino officio confecto, „ ne cauſſa quidem de *communi re* agendi, ſi „ neceſſitas non coegerit, &c.

In his aliiſque, qui circa divinum officium, ſive publice, ſive privatim occurrere ſolent, *defectibus*, aliquod *culpæ* genus facile agnoſcunt omnes, ſed in definienda *quantitate* ejus, ſitne *mortalis* ſcilicet an *venialis*, magna ſæpe inter auctores opinionum eſt *diverſitas*, quæ ipſa, ob *incertitudinem* quam parit, omnes qui ad horarum officium obligantur, tanto in ea functione obeunda *vigilantiores* reddere debet ac magis circumſpectos.

Q. 9. *Quibus* temporibus *horariæ preces hodie* ca-

„ *vel* inter dentes, *ſeu diglutiendo*, *aut* ſyncopando „ *dictiones*, *vel colloquia*, *aut riſus intermiſcendo*; „ *ſed ſive ſoli*, *ſive aſſociati*, *diurnum nocturnum*„ *que officium*, reverenter *verbiſque* diſtinctis *peragant*: *ac in* tali loco, *unde à devotione non retrahantur*. *Tom. XIV. Concil. col.* 472.

canendæ in publico, vel privatim extra Chorum recitandæ ſunt?

℞. *In publico*, tantum valet (uti jam aliquoties dictum eſt) *conſuetudo* quantum lex.

Privatim, quamvis (*a*) *crimine* vacet qui *integrum* officium Canonicum intra ſpatium 24. Horarum à media nocte ad mediam noctem recitat, nihil tamen *conſultius* eſt, quàm ut unuſquiſque annitatur, ut quoad fieri poteſt, *interpolatis vicibus*, cæteris occupationibus Horas Canonicas interponat, & ad *primævam* temporis rationem quam proxime accedat. Penſum utique horarum ſibi *leviſſimum* fecerit, quiſquis ea *ſuo tempore*, attentaque cum *devotione* recitare ſtuduerit.

(*a*) S. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 4. §. 5. *Vide etiam Prop.* 35. Alex. VII.

In quadrageſima conſuetudo habet, ut *veſperæ* ante prandium recitentur, eaque ſervanda eſt.

Si juſta ratio ſuppetat, matutinum cum laudibus, à *veſpera* præcedentis diei ſub ſolis occaſum perſolvi poſſe, piorum praxis & antiqua conſuetudo demonſtrat.

Notatu digna ſunt hæc verba *S. Thomæ* (*b*) „Dicendum, quod conſideranda eſt intentio „ejus, qui prævenit tempus in matutinis di„cendis, vel in quibuſcumque Horis Cano„nicis: ſi enim hoc facit propter laſciviam, „ut ſcilicet quieti, ſomnolentiæ & voluptati „vacet, non eſt abſque peccato: ſi verò hoc „faciat propter neceſſitatem licitarum & ho„neſtarum occupationum, licite poteſt de ſe„rò dicere matutinas, & in aliis Horis Ca„nonicis tempus prævenire.

(*b*) *Quodlib.* 5. *art.* 28. *Recte etiam & apposite dixit* Hugo de S. Victore: *Ante horā orare, providentia eſt: poſt horam, negligentia: in hora, obedientia.*

Q. 10. *Quam* POENAM *incurrunt, qui officium horarum, cui obſtricti ſunt, perſolvere negligunt?*

℞. 1. Apud omnes exploratum eſt, reatum *peccati mortalis* incurrere, qui, vel *totum*, vel

nota-

notabilem aliquam partem ejus ſine juſta cauſſa ſcienter omittunt, quocumque etiam titulo ad Horas Canonicas adſtringantur. Quæ verò *notabilis pars* cenſenda ſit, non omnino inter authores convenit. Conſentiunt plerique, talem ſaltem eſſe *Horam* quamlibet, etiam ex minoribus: quas dolendum eſt multis in locis tam *neglectim* in choro decantari.

2. Si is qui beneficium Eccleſiaſticum poſſidet, penſum iſtud horarium & in choro decantare, & privatim recitare negligat, ex decreto (*a*) *Concilii Lateranenſis V.* quod (*b*) *Pius V.* renovavit, privatur fructibus, qui officio diei, aut partis ejus reſpondeant pro rata omiſſionis, ita ut eos retinere non valeat, ſed in pios uſus expendere teneatur. „ Statuimus, inquit Pontifex, ut qui horas omnes „ Canonicas, uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum „ ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui verò matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, tametſi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præſens adſit.

„ Eodem loco decrevit idem Pontifex, ut „ quicumque *penſionum* fructus, aut alias res „ Eccleſiaſticas ut *clericus* percipit, modo prædicto

(*a*) *Sub Leone X. Bulla 7. qua incipit:* Supernæ diſpoſitionis, §. 58.

(*b*) *In Bulla 135. qua incipit:* Ex proximo. *Debetur autem hac reſtitutio in conſcientia, etiam ante quamcumque* ſententiam declaratoriam *judicis; ex Prop. 20. Alex. VII. Nec obligationi iſti ſatisfieri poteſt per* alias eleemoſynas, *quas* antea *Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit. Ex Prop. 33. ibid.*

Digitized by Google

„ dicto ad dicendum *Officium parvum B. Ma-*
„ *riæ Virginis* ſit obligatus, penſionum, fru-
„ ctuum, rerumque ipſarum amiſſioni obno-
„ xius.

Q. 11. *Quæ cauſſæ ab injuncta horarum recitatione excuſant?*

℞. 1. *Impotentia*, ſive *abſoluta*, puta ob defectum vocis, oculorum, aut libri: ſive *moralis*, ut nonnumquam inter hæreticos, vel infideles.

2. *Infirmitas*, talis ac tanta, ut vel ipſa rei evidentia, vel medici, confeſſarii, alteriuſve prudentis viri judicio, recitationem horarum ſine notabili incommodo, morbique incremento tolerare non poſſit. Sed una meminiſſe oportet reprobatam eſſe ab *Innocentio XI.* (a) propoſitionem hanc: *Qui non poteſt recitare matutinum & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.*

(a) Num. 54. inter 65.

3. *Neceſſariæ* aliæ *occupationes* * in officiis charitatis, vel pietatis, quæ tales ſint ac tantæ (id quod raro accidit) ut ad recitationem precum horariarum nihil temporis reliquum faciant.

Suſpenſi à functionibus ſacris, *Excommunicati*, vel *depoſiti*, non excuſantur, quo minus horarias divini officii preces *privatim* recitare debeant; quin eo *ferventius* orare eos oportet, ut per veram pœnitentiam quamprimum *reſtituantur*.

Q. 12. *Quid ſi beneficium aliquod tam tenues proventus habeat, ut ad honeſtam ſuſtentationem minime ſufficere poſſint, eritne clericus, qui id poſſidet, ad Horas Canonicas obligatus?*

℞. Exi-

5 * *Qui ſtudio literarum vacat, non ſatisfacit, ſi per alium recitet.* Ex *Prop.* 21. Alex. VII.

Digitized by Google

℞. Exiſtimant multi cum *S. Antonino* (a) adhuc fore obligatum, quia nulla lege, aut canone eximitur à generali omnium beneficiatorum obligatione, cui ſe ultro ſubdidiſſe videtur beneficium acceptando.

(a) 3. *Par. tit.* 13. §. 41.

Alii paulo *benignius* ſentiunt. Optimum factu erit, ut res ad judicium Epiſcopi deferatur, quodque is injunxerit, accurate ſervetur.

Qui pleniorem, eamque accuratam de Horis Canonicis tractationem deſiderat, is adeat *Card. Bona* de divina Pſalmodia; *Bonartium* de Horis Canonicis, *Martinum Navarrum* tom. III. operum, commentatio in C. *quando ſtamus*; aut *Suarezium* tom. II. de Religione, l. 4. de Orat.

De ſingulis divini officii partibus * aliquid hic adjungi poſſet, ſi inſtituta operis brevitas pateretur. Monuiſſe ſufficiet, ut circa *Pſalmos*, qui præcipuam illius officii partem conſtituunt, unde & Pſalmodiæ nomen derivatum eſt, præcipuum ſtudium collocetur, ut nempe, qui tam crebro leguntur, etiam intelligantur. Latet in iis mira inſtructio, mira ſpiritus unctio, mira chriſtiani hominis ad pietatem ædificatio, unde frequentiſſima ſunt apud SS. PP. Pſalmorum encomia, eaque talia ac tanta, ut paucis verbis attingi vix poſſint. *Pſalterium* ipſis eſt conſummatio totius Theologię, totius Scripturæ ſummarium, omnium artium omniumque ſcientiarum collectio & promptuarium, aſpirationum fons uberrimus; omnis denique devotionis, veræque pietatis theſaurus. Quocirca Eccleſiaſticos omnes monere & exhortari ſolent, ut *Pſalterium* & verbo-

* *Partes præcipuæ ſunt*, Pſalmi, Hymni, Cantica, Antiphonæ, *variaque ex Sacra Scriptura, Patrum tractatibus, Sanctorumve vitis, deſumptæ* lectiones; *quæ omnia aptiſſimo inter ſe ordine digeſta ſunt*.

bo tenus memoriter ediſcere, & myſticam ejuſdem intelligentiam percipere ſtudeant. Notum eſt illud Auguſtini, vix nomen Sacerdotis mereri, qui Pſalterium ignoraverit; & Concil. Toletanum (a) ſacris ordinibus eos prohibuit inſigniri, qui totum Pſalterium & cantica uſualia neſcirent. Ex authoribus pene innumeris, qui pſalterium præclaris lucubrationibus illuſtrarunt, cenſeo cum Card. Bona, hominibus clericis, mediocri præditis litteratura, ſufficere poſſe commentarium Card. *Bellarmini*, & paraphraſim *Cornelii Janſenii* Epiſcopi Gandavenſis.

(a) *VII. cap.* 10. *anno* 646.

IN-

INSTITUTIONES
DOCTRINÆ CHRISTIANÆ,
SIVE
COMPENDIUM THEOLOGIÆ DOGMATICÆ & MORALIS.

PARS TERTIA.

DE CHARITATE, PRÆCEPTIS DEI ET ECCLESIÆ, CÆTERISQUE OFFICIIS JUSTITIÆ CHRISTIANÆ.

DE *Fidei Speique* virtutibus, quibus ſpirituale ædificium inchoatur, dictum eſt hactenus. Supereſt CHARITAS, ſolum hujus ædificii complementum, (*a*) *plenitudo legis*, (*b*) *vinculum perfectionis*, ſumma juſtitiæ, quam qui non habet (*c*) *manet in morte*, quo, (*d*) teſte Auguſtino, refertur quidquid in Sacris Literis continetur. De hac igitur tam præcellenti, tamque neceſſaria virtute jam tractandum eſt, unaque de *Legibus*, & PRÆCEPTIS, quorum omnium (*e*) *finis eſt Charitas*.

(*a*) *Rom.* 13.10.
(*b*) *Coloſſ.* 3.14.
(*c*) 1.*Joan.* 3.14.
(*d*) S.Auguſtin. *lib.* 1. *de Doct. Chr. c.* 35.
(*e*) 1.*Tim.* 1.℣.5.

CA-

Digitized by Google

Vide S. Thom. 2.2. q. 23. 24. & 25.

CAPUT PRIMUM.

De CHARITATE generatim, ejuſque ſubjecto & objecto.

QUæſtio I. *Quid eſt* Charitas?

℞. Eſt *virtus divinitus infuſa, qua Deus propter ſe, & proximus propter Deum diligitur.*

Inter virtutes *Theologicas* ordine *tertia* eſt, ſed *prima* dignitate, quæ *numquam excidet*, etiam cum fides, & ſpes finem accipient. Virtus *una* eſt, quia ſub *una eademque* divinæ bonitatis *ratione*. Deum attingit & proximum; idque perfectiſſimo modo: ideoque virtutum omnium *maxima* eſt & excellentiſſima, cæterarumque omnium *Regina* & *forma*; tum quia conſortio ſuo egregium illis adfert *ſplendorem*: tum quia actus earum ad *finem ultimum* dirigit, adeo ut ſine charitate nulla ſit * *ſimpliciter vera* virtus: Ipſa tamen virtus eſt non *generalis*, quaſi omnes alias in ſe complectens, ſed *ſpecialis*, à cæteris objecto modoque diſtincta, neque aliarum virtutum, aut præceptorum obſervationi ſufficienter imbibita.

1. Cor. 13. 13.

S. Thom. 2.2. qu. 23. art. 7.0.

Q. 2. *Quid inter ſe differunt tria hæc vocabula*, Amor, Dilectio, Charitas?

℞. *Uſus* jam pridem obtinuit, ut *primum* generaliſſime dilectionem tam *malam*, quàm *bonam* ſignificet: *ſecundum*, magis ad *bonam* reſtringi ſoleat: *Tertium* verò, eam ſolam dilectionem bonam denotet, qua *Deus* propter ſe diligitur, & *proximus* propter Deum, idque affectu præcipuè jam radicato, quem *habitum* dicimus. *Latius* quidem *charitatis* nomen ſumitur

* Sine Charitate *dari poteſt* vera virtus, *non tamen* perfecta, *ſed* informis.

mitur apud *Auguſtinum* & alios, ubi ſæpe nihil aliud eſt quam *bona voluntas*; verum longo jam pridem uſu invaluit, & ſic hodie loquendum eſt, ut *charitas* ſit dilectio Dei, (*a*) *diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, quem proinde vel dari ſupponit, vel datum eſſe. (*a*) *Rom.* 5. 5.

Non eſt tamen charitas, etiam habitualis, niſi *creatum aliquid*; non ipſe *Spiritus Sanctus*. Eſt ſingularis quædam Deum inter & creaturam rationalem *amicitia*, *nova* quædam in anima „ *creatura*, *nova* ſpiritus *origo*, *novus* cordis „ *fundus*, quo intus *reparamur*, divinæ *natu-* „ *ræ conſortes* efficimur, & coram ipſis *Dei ocu-* „ *lis* vere mundi, pulchri & accepti *appare-* „ *mus*, adeoque & *ſumus*. *Vid.* Steyartium *diſp.* 27. *de Charit.*

Q. 3. *An ergo* charitas habitualis *reipſa idem eſt quod* gratia ſanctificans?

℞. Hæc duo, non niſi *officio* & *reſpectu* diverſo, diſtingui inter ſe videntur, ita ut res eadem *charitas* ſit, quatenus per eam diligimus; *gratia* vero, quatenus per eamdem Deo grati ſumus & digni qui diligamur. Hoc certum eſt, *charitatem*, de qua hic ſermo eſt, cum *gratia ſanctificante* indivulſo nexu eſſe conjunctam, ſoliſque adeo *juſtis* eſſe propriam, ſemperque ſtipatam eſſe comitatu ceterarum virtutum *infuſarum*.

Q. 4. *Daturne vera aliqua & ſalutaris* Dei dilectio *quæ non ſit* charitas?

℞. Talis illa eſt in *catechumeno*, vel *pœnitente*, qua erga Deum *ſincere* afficitur, ipſum etiam *propter ſe* amando, & ad ejus *amicitiam* aſpirando, quem tamen nondum ut *amicum* amplectitur, ſed adhuc ut *offenſum* reſpicit, idque affectu tam adhuc imbecilli, ut nondum *amori ſæculi* prævaleat. Ceterum (*b*) „ is „ amor, qui charitatis naturam aſſequitur, ſeu „ vera

(*b*) *Ita facultas Theo. Lovan. adverſus Bajum. Vide Propp.* 31. 32. 33. 70. & 71. *inter Bajanas.*

Digitized by Google

(a) 1. Tim. 1. 5. „ vera illa & ſincera charitas, quæ eſt (*a*) *ex* „ *corde puro*, *conſcientia bona & fide non ficta*, „ cum æternæ damnationis reatu non conſiſtit. An verò *omni* dilectioni Dei ſuper omnia, ſive hæc talis ſit *effectu*, ut loquuntur, ſive *affectu* tantum, ea vis & efficacia competat ut ſtata lege *juſtificet*, etiam ante perceptionem *Sacramenti*, cujus includat *votum*, id inter Theologos controverſum eſt.

Q. 5. *Quodnam eſt* ſubjectum *charitatis?*

℟. Subjectum ejus eſſe *voluntatem* noſtram, cui à Deo *infundatur*, manifeſtè demonſtrant verba Apoſtoli jam ſuprà adducta: *charitas Dei* DIFFUSA *eſt in* CORDIBUS *noſtris*, *per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Cum autem per *naturales vires* charitas acquiri non poſſit, ſequitur eam etiam, quod ad *quantitatem* attinet, ex ſola Spiritus Sancti infundentis gratia, non autem ex *naturæ* conditione, vel naturali hominis *capacitate*, pendere.

Q. 6. *An & quomodo charitas* augeri *poteſt?*

(b) S. Aug. Tract. 5. in Joan.

(c) Conc. Vienn. contra Begardos & Beg.

℟. Charitas (*b*) utique meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, poteſtque uſque ad ipſum *vitæ terminum* novum in dies ſumere incrementum, majoremque adipiſci *intenſionem*, ad (*c*) quemcumque quis *gradum* in hac vita pervenerit. Recte nihilominus, etiam pro hac vita mortali, charitas diſtinguitur in *incipientem*, *proficientem*, atque *perfectam*, quarum prima cum vitiis adhuc luctatur, ſecunda magis in virtutis exercitatione occupatur, tertia autem in ſtatu aliquo *eminenti*, *amori* & *contemplationi* rerum divinarum, ſine tot obſtaculis, felicius conſtantiuſque inhæret.

Quam-

(*b*) *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem, (nempe, beatitudinis æternæ,) Prov.* 4, 18.

Digitized by Google

Quamquam aliquo etiam ſenſu verum eſt *Charitatem Patriæ*, qua beati *totò* cordis affectu, *ſemper*, *ſine interruptione*, aut impedimento, *actualiter* Deum diligunt, *ſolam* eſſe *perfectam*.

Ceterùm an *quolibet actu* charitatis, non tantùm *ferventiori*, verùm etiam *remiſſiori*, charitas *augeatur*, inter Theologos non convenit. Mens (*a*) *S. Thomæ* eſt, quemlibet charitatis actum *mereri* augmentum, ſed tunc demùm reipſa obtinendum, cùm in actum *ferventiorem* proruperit.

(*a*) 2. 2. q. 24. art. 6.

Q. 7. *An, ut* augeri *poteſt charitas, ita etiam poſſit* minui?

℞. Charitatis habitus *ſecundùm ſe* ac *directè* nullatenus diminui poteſt, cùm nihil ſit quod illi directè repugnet, præter peccatum mortale, quo is non minuitur, ſed perimitur. Certum tamen eſt, *indirectè* & *diſpoſitivè* charitatem minui poſſe; nempe, quoad *exercitium actuum* & *fervorem*, quæ per negligentiam & peccata venialia, ſæpenumerò non parùm tepeſcunt.

Q. 8. *An & quomodo charitas amitti poteſt, quibuſque indiciis innoteſcere poteſt, amiſſam eſſe?*

℞. Quamlibet *charitatem viæ* amitti poſſe certum eſt; neque enim fruſtrà dictum eſt: (*b*) *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*; & alibi (*c*) *Cùm averterit ſe juſtus à juſtitia ſua &c.* Nec minus certum eſt hanc *charitatis amiſſionem* fieri per quodlibet, etiam unicum, peccatum *mortale*, quod vel ideò *mortale* dicitur, quòd charitatem Dei, gratiamque ſanctificantem, in quibus *vita animæ* ſita eſt, auferat.

(*b*) 1. Cor. 10. 12.
(*c*) Ezech. 18. 26.

Quod *ad indicia* amiſſæ charitatis attinet, ea ſæpè ſatis *æquivoca* ſunt in eo, qui ſibi non

eſt conſcius alicujus peccati *certò mortalis*: communiter enim amiſſo habitu *ſupernaturali* charitatis, adhuc tantiſper manere ſolet habitus *naturalis* ei aliquatenùs *ſimilis*, quo fit ut quæ peccando facta eſt in corde *mutatio*, non ſatis ab ipſo peccatore animadverti poſſit. Contrà verò, fieri etiam poteſt, ſive per defectum *occaſionum*, ſive per *teporem*, aut *negligentiam*, ortam ex peccatis venialibus, ut charitas, etſi in corde adſit, hic tamen & nunc nihil *magni operetur*. (a) Nam quamvis amor Dei ſemper magna operetur *in propoſito*, non tamen ſemper *in actu*, propter diſpoſitionem ſubjecti, inquit (b) *S. Thomas*. Ita (c) *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit.*

S. Franc. Saleſ. *de amore Dei, lib. 4. cap. 9.*

(a) *Vide* S. Gregor. *Hom. 30. in Evang.*

(b) 1. 2. q. 24. ar. 11. ad 3.

(c) *Eccle.* 9. 1.

Q. 9. *Quodnam eſt charitatis* OBJECTUM?

℟. *Materiale primarium*, eſt ipſe DEUS, *ſecundarium*, proximus; id eſt, omnis creatura *intellectualis*, quæ adhuc æternæ *beatitudinis capax* ſit.

Objectum formale, eſt divina *bonitas*; qua nempe *in ſe* ſummè bonus, excellens, atque perfectus eſt: quæ ratio non modò in charitate *Dei*, verùm etiam *proximi* reperitur, quatenus non ipſam tantùm Dei bonitatem diligimus, ſed eam diligendo, *volumus* etiam & *amamus*, eamdem ab iis omnibus, qui ejus rei adhuc capaces ſunt, *æternùm diligi*. Ita *proximus* in *Deo*, & Deus in proximo diligitur charitate *ſupernaturali* ac Theologica.

Q. 10. *Quinam ſub nomine* proximi *à nobis diligendi ſunt?*

℟. *Unuſquiſque* ſibi ipſi poſitus eſt in exemplar dilectionis, quam proximo impendere debeat, adeoque ſeipſum *primo* poſt Deum loco diligere debet ad vitam æternam. Quin charitas etiam extendenda eſt ad *corpus* noſtrum,

Digitized by Google

ſtrum, quod ſuo quoque modo * *beatitudinis* capax eſt, tametſi odio (*a*) habenda ſit *corruptio* ejus, ideòque coercenda, refrænanda, & quoad fieri poteſt, extirpanda. Comprehenduntur deinde creaturæ omnes *rationales*, quatenus in *capacitate beatitudinis* nobis conjunctæ, & ea ratione *proximæ* ſunt; Angeli beati, membra omnia Eccleſiæ triumphantis, item patientis: viventes omnes, ſive juſti ſive peccatores, ſive amici ſive inimici, ſive fideles ſive infideles, non item *dæmones*, aut homines cum illis damnati, quia jam *beatitudine* ejuſque *ſpe* in perpetuum exciderunt.

* *Per redundantiã uti loquitur* S. Th.

Q. II. *Quæ & quanta eſt charitatis* NECESSITAS?

℟. Tanta, ut ſi cæteræ virtutes adſint, hæc ſola deſit, iſtę ad ſalutem perducere non poſſint. Cæteræ nempe virtutes à charitate ſejunctæ, *proſunt* certè, ſed non ita *ad ſalutem*, quaſi per eas ſolas, ſine charitate, ea obtineri poſſit. (*b*) *Si* LINGUIS *hominum loquar & angelorum*, inquit Apoſtolus, *Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero* PROPHETIAM, *& noverim myſteria omnia, & omnem* SCIENTIAM, *& ſi habuero omnem* FIDEM, *ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum* OMNES FACULTATES *meas, & ſi tradidero corpus meum ita ut* ARDEAM, *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

(*b*) 1. *Cor.* 13.

(*a*) *Si benè oderis, tunc amaſti. Si malè amaveris, tunc odiſti: felices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.* S. Aug. *tract.* 51. *in Joan. ſub. med.*

CAPUT II.

De Charitate erga DEUM.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 17. & 44.

QUæſtio I. *Quotuplex eſt Charitatis* PRÆCEPTUM?

(a) Luc. 10. 27. Matth. 22. 35. Deut. 6. 5.

℞. Duplex; primum & maximum eſt (a) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Secundum autem ſimile eſt huic: *Diliges Proximum tuum ſicut te ipſum.* In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ, inquit (b) Chriſtus Salvator.

(b) Matth. 22. 40.

Q. 2. *Quid eſt* diligere Deum, *& quomodo diligendus?*

(c) Art. 2.

℞. Deum diligere eſt ipſi *bonum velle*, cum quadam, uti docet (c) *S. Thomas*, *unione affectus; bonum* utique *ſuum*, perfectionem ſuam, gloriam ſuam, ſanctificationem nominis ſui, in ſe ipſo, in nobis, in omnibus.

Diligendus eſt autem *propter ſe*, id eſt, non ideò tantum quod *nobis bonus* atque beneficus ſit, ſed quòd *in ſe* ſit fons inexhauſtus bonorum omnium, qui in ſe omnes rerum omnium perfectiones, ob quas diligibiles ſunt, infinito modo poſſidet, omnique adeò dilectione ſolus ab æterno uſque in æternum dignus eſt.

Diligendus etiam eſt *ſuper omnia*, idque ex *toto corde, tota anima, omnibus viribus, & omni mente*, de quibus mox infrà dicetur.

Q. 3. *Eſtne primum hoc maximumque Charitatis præceptum, homini in hac vita ſervatu poſſibile?*

℞. Abſit ab animo Chriſtiano, ut Deum cenſeat *impoſſibilia* præcepiſſe. Eſt igitur ſervatu

Digitized by Google

vatu poſſibile, ſed per gratiam Dei, qui ipſe (*a*) *Charitas eſt*, & (*b*) per Spiritum Sanctum charitatem diffundit in cordibus noſtris. Idcircò in charitatis definitione dictum eſt, virtutem eſſe *divinitùs infuſam*.

(a) Joan. 4. 8.
(b) Rom. 5. 5.

Ceterum *plenitudini* dilectionis, durante hac vita mortali, *concupiſcentia* perpetuò reluctatur; proinde *conſummata*, ſine impedimento, charitas, ad quam tendere quidem & aſpirare debemus, ſed quæ nobis pro hujus vitæ infirmitate *præcepta* non eſt, futuro ſæculo reſervatur.

Q. 4. *Num Dei dilectio, quæ nobis hoc præcepto injungitur, ſufficienter* imbibitur *& continetur in obſervatione* ceterorum mandatorum?

℟. Certiſſimè tenendum eſt, charitatem virtutem eſſe *ſpecialem*, cujus actus à ceterarum virtutum actibus diſtinctus eſt, adeòque *præceptum charitatis*, præceptis ceteris non ita eſſe *imbibitum*, ut per *ſolam* ceterorum mandatorum obſervationem impleatur. Eſt ùtique præceptum *dilectionis internæ*, verum ac *rigoroſum*, quod & ſub *pœna* & ſub *culpa* obliget, non mera *monitio*, aut invitamentum; unde ab *Alexandro VIII.* hæreſeos damnata eſt hæc propoſitio: *Hunc* (ſcilicet Deum ut finem ultimum) *homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*. Vide etiam infrà in App. Prop. 1. inter damnatas ab *Alexand. VII.* & Prop. 7. inter damnatas ab *Innocentio XI.* An. 1690.

Q. 5. *An obſervatio cæterorum mandatorum ſaltem* ſignum *ſufficiens eſt debitæ* dilectionis?

℟. Signum hoc ipſemet Chriſtus in Euange-

(*a*) *Neſcio utrùm magnificentiùs nobis charitas commendari poſſit quàm ut dicatur*: Deus charitas eſt. *S. Aug. Tract. 9. in Epiſt. Joan.*

(a) Joan. 14. 21. (b) Ibid. ℣. 23. (c) Homil. 30. in Evang.

lio aſſignavit, (a) *qui habet*, inquit, *mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*; & contrà, (b) *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; *Probatio nempe charitatis*, interprete (c) S. Gregorio P. *exhibitio eſt operis*, id eſt, ceterorum omnium Dei mandatorum ſeria *conſtanſque* obſervatio. Hæc igitur, pro directione tum propria tum aliena, ſufficere debet ad pellendam ex animo anxietatem; quippe cùm apud omnes ſatis conſtet, ſublata ſemel *charitate*, diſſolutiſque adeò animæ *viribus* per peccatum *mortale*, non diu ſtaturam animam ſine *novo* mortali, poſtquam jam (d) *inſtabilis facta eſt*, & tentationum ventis ita exponitur, ut facilè proſternatur.

(d) Thren. 1. 8.

Ceterùm varia Charitatis indicia & characteres proponit Apoſtolus his verbis; (e) *Charitas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam*: (id eſt, non eſt præceps, aut temeraria) *non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

(e) 1. Cor. 13. 4.

(f) Vide Comment. Eſtii in hunc locū.

(f) His verbis Doctor gentium Paulus potiſſimùm quidem commendat charitatem, quatenus exercetur erga proximos, per officia hominibus conſpicua; ſed ex iis deinde, vel ut ab effectis & ſignis viſibilibus charitatis in Deum inviſibilem (à qua nec ſeparari poſſunt) cognoſcendum cuique relinquit, utrùm Deum diligat, necne. (g) *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?*

(g) 1. Joan. 4. 20.

Q. 6. *Quomodo dilectio Dei debet eſſe* ſuper omnia?

℟. Certum eſt 1. Deum plus *objective* amandum

dum eſſe, quàm quidvis aliud; cùm manifeſtum ſit, *majus* nos illi *bonum velle* debere quàm nobis ipſis, aut creaturæ cuilibet. 2. Certum etiam eſt, quòd ſuper omnia diligendus ſit *appretiativè*, ut loquuntur, ita nempe ut non *intellectu* tantùm, ſed & voluntate, ipſum rebus omnibus præponamus, parati quidvis potiùs aliud quàm ipſum *deſerere*. An verò etiam *intenſivè*, hoc eſt, *ferventiori* & intenſiori cordis *affectu*, ſuper omnia alia neceſſariò diligendus ſit, ita ut alioquin incurratur reatus peccati mortalis, id (*a*) controverſum eſt.

(*a*) *Vid.* Sylvium 2. 2. *q.* 26. *art.* 1. *concl.* 2. *ubi tuetur negat.* Steyaert. *affirmativ.*

Q. 7. *Quomodo ex toto corde diligendus eſt Deus, & quid ſibi vult adjectarum vocum congeminatio*, ex tota anima, mente, & viribus?

℞. Partes hæ non videntur curioſè eſſe *diſtinguendæ*, ſive quatuor, ſive tres, ſive pauciores ponantur: nam cùm (*b*) *David* dicitur *toto corde* ſecutus Deum, *Joſias* verò (*c*) *ex toto corde, anima & virtute*, non minus laudatur David quàm Joſias. Id unum ergo nobis inculcatur, ut Deum *quantùm poſſumus*, diligere ſtudeamus, & omnia quæ habemus, illi impendamus, quod *S. Auguſtinus* his verbis expoſuit: (*d*) „ hæc Regula dilectionis conſtituta eſt, diliges proximum tuum ſicut teipſum; Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: ut omnes cogitationes tuas & omnem vitam & omnem intellectum in eum conferas, à quo habes ea ipſa quæ confers. Cùm autem ait: toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut *alia re velit frui*: ſed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.

(*b*) 3. *Reg.* 14. 8.

(*c*) 4. *Reg.* 23. 25.

(*d*) *Lib.* 1. *de Doct. Chriſt. cap.* 22.

Digitized by Google

Itaque *ex toto corde* Deum in hac *vita mortali* diligere dicitur, & huic præcepto eatenus ſatisfacit qui in dilectione illa *præcipuum* ſuum ſtudium, curam, cogitationemque conſtituit, etſi non *tanto* Deum affectu diligat, *quanto* abſolutè diligere *poſſet*; hoc enim *præmii* loco *patriæ* reſervatum eſt potius quàm pro hac vita *præceptum*.

Q. 8. *Præceptum charitatis Dei qualiter & quando obligat?*

℞. Cum præceptum hoc ſit *affirmativum*, certum eſt non obligare ad actus *continuos*. Initio *uſus rationis* unumquemque hoc præcepto teneri, celebris eſt ſententia (*a*) *S. Thomæ*: ſimiliter in *fine vitæ* obligari unumquemque ad *actum* charitatis, uti & ceterarum virtutum Theologicarum, præſertim ſi memoriæ occurrant, communis eſt ſententia. *Quandonam* verò, & *quoties* per vitæ decurſum *per ſe* obliget, non ſatis certum eſt. Dubitari non poteſt, quin *ſæpè*: damnatique ſunt (*b*) qui ne ſingulis quidem *rigoroſè quinquenniis* præceptum charitatis *per ſe* obligare docuerunt. Bonæ *fidei ſpeiquè* Chriſtianus nullum (*c*) facilè prætermittit *diem*, quin huic officio ſatisfacere ſatagat, ſaltem per attentionem ſedulam mentis & cordis ad verba præcipua orationis Dominicæ: *Pater noſter*: *ſanctificetur nomen tuum*: *fiat voluntas tua* &c. à quibus, ſi ex animo proferantur, vix abeſſe ſolet actus dilectionis Dei.

(*a*) 1. 2. q. 89. art. 6. *& alibi*.

(*b*) *Prop. 6. inter damnat. ab Innoc. XI.*

(*c*) *Eccli.* 13. 18. *Omni vita tua dilige Deum.*

Q. 9. *Quid ſentiendum de celebri hodiè quæſtione: an omnia* opera deliberata *ex charitate in Deum ceu finem ultimum neceſſariò* REFERENDA *ſint?*

℞. Nonnulla hìc certa ſunt, alia *uſque hodie* controverſa.

Certum eſt 1. Relationem hanc non debere

eſſe

eſſe *actualem*, ſed ſi qua neceſſaria ſit, ſuffi-cere *virtualem*; impoſſibile enim eſt in hac vita tota diſtractionibus plena, ut *actu* ſemper de Deo cogitetur, aut omnis affectus noſter ſine interruptione *actualiter* in Deum dirigatur.

Certum eſt 2. Hanc ipſam relationem, ſi neceſſaria ſit, non debere procedere ex charitate *propriè & ſtrictè* dicta, ſed ſatis eſſe ut ex *caſto* aliquo *amore*, in Deum opera referantur. In actibus quoque (*a*) *fidei*, aut *ſpei* ſupernaturalis, nulla alia charitatis relatione opus eſſe, ut & ab opere & ab operante omnis penitus culpa abſtergatur: abſit enim ut quis peccet, dum merum exercet *actum alicujus virtutis Theologicæ*. Idemque planè dicendum videtur de actibus aliarum virtutum *ſupernaturalium*, puta Religionis, timoris &c. tametſi certum ſit, nullum cujuslibet virtutis actum vitæ æternæ de condigno eſſe *meritorium*, (*b*) niſi à *charitate actu*, vel *virtute* procedat, aut *imperetur*, eaque ratione in Deum, ceu finem ultimum referatur.

(*a*) *Vide inter damnat. ab Alex. VIII. Propp.* 9. 10. 11. 13. 15. *& inter Quenell. Propp.* 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 53. 54. 55. 56. *&* 58.

(*b*) *Vide* S. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 4.

Certum eſt 3. Opera in Deum *non relata*, ſi aliunde *moraliter* bona ſint, ex eo ſolo capite, quòd ſic *relata* non ſint, non poſſe dici *peccata*; ſed ſi quid hic vitii ſit, id *agentem* inficere, non ipſum *opus*; certiſſimè enim tenendum eſt, (*c*) non *omnia opera infidelium eſſe peccata*, nec Philoſophorum virtutes inter vitia deputandas: non *omnem amorem creaturæ rationalis* eſſe vel vitioſam cupiditatem, vel laudabilem illam charitatem, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur. Neutrum certè eſt *amor naturalis* erga communem naturam, quo ad *operiendum nudum*, infidelis aliquis provocatur.

(*c*) *Vide inter* Bajanas *Propp.* 16. 25. 35. 38. *&* 40. *Item* 8. *inter* 31. Alex. VIII.

Hæc ergo tantùm ſupereſſe poteſt controver-

Digitized by Google

ſia, an, ut *operans*, præſertim *Chriſtianus*, ne *venialiter* quidem, *inter agendum*, delinquat; opus quodlibet deliberatum ex charitate aliqua *late dicta*, in Deum ceu finem ultimum & ad D. N. *Jeſum Chriſtum*, actu, vel *virtute*, referre teneatur: qua in re alii ſentiunt *conſilii* id eſſe, non *præcepti*, ſufficienter ſcilicet opus quodlibet *per ſe honeſtum* in Deum referri, per hoc ipſum quod *rectæ rationi* & *honeſtati* congruat, modo nec pravo fine, nec perverſa aliqua circumſtantia vitietur: alii hic agnoſcunt veri nominis *præceptum*, ex primo illo maximoque mandato profluens, quod in (*a*) Scriptura & (*b*) Traditione, ipſaque ratione naturali putant eſſe fundatum.

In utramque partem à variis variè trahitur *S. Thomas*, mens ejus præcipuè ſpectari debet in his locis. 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. „ Dicendum, inquit, quod ſub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto „ corde; ad quod pertinet, ut omnia referan„ tur in Deum; & ideo præceptum charitatis „ implere homo non poteſt, *niſi etiam omnia* „ *referantur in Deum*. Sic ergo, qui honorat „ parentes, tenetur ex charitate honorare, „ non ex vi hujus præcepti quod eſt, honora „ parentes: ſed ex vi hujus præcepti, diliges „ Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. „ Et cum iſta ſint duo *præcepta affirmativa* non „ obligantia *ad ſemper*, poſſunt pro diverſis „ temporibus obligare: & ita poteſt contin„ gere, quod aliquis implens præceptum de „ honoratione parentum; *non tunc tranſgre-*

„ *dia-*

(*a*) 1. *Cor.* 10. 31. & *cap.* 16. 14. *Coloſſ.* 3. 17. *Vide* Eſtium *in hac loca*.

(*b*) *Citantur* S. Baſil. *variis locis*. S. Auguſt. *lib. de corrept. & grat. c.* 3. *Enchir. c.* 111. *lib.* 4. *contra Jul. c.* 3. *&c.*

„ *diatur* præceptum de omiſſione *modi chari-*
„ *tatis*. 2. 2. q. 83. art. 14. Omnia, in-
„ quit, debemus *in gloriam Dei* facere, ut
„ dicitur 1. Cor. 10. Ibid, q. 89. art. 4. ad 3.
Omnia quæ facimus, debemus *in Dei reveren-*
tiam facere.

Q. *De Charitate*, *art.* 11. *ad* 2. *inter q. diſp.*
„ Omnia, inquit, *actu* referre in Deum,
„ non eſt poſſibile, in hac vita, ſicut non eſt
„ poſſibile quod ſemper de Deo cogitetur;
„ hoc enim pertinet ad perfectionem Patriæ:
„ ſed quod omnia *virtute* referantur in Deum,
„ hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad
„ quam omnes *tenentur*. Hanc porro relatio-
nem *virtualem* ita explicat: Sicut in cauſis
„ efficientibus, *virtus primæ cauſſæ manet in*
„ *omnibus cauſis ſequentibus*: ita etiam inten-
„ tio principalis finis, *virtute* manet in o-
„ *mnibus* finibus ſecundariis. Unde quicumque
„ actu intendit aliquem finem ſecundarium,
„ VIRTUTE *intendit finem principalem*, ſicut
„ medicus, dum colligit herbas, actu intendit
„ conficere potionem, nihil fortaſſis de ſanitate
„ cogitans, *virtualiter* tamen intendit ſanita-
„ tem propter quam potionem dat. Sic igitur
„ cum aliquis ſeipſum ordinat in Deum ſicut
„ in finem, *in omnibus quæ propter ſeipſum fa-*
„ *cit*, *manet* VIRTUTE *intentio ultimis finis*,
„ qui Deus eſt: unde *in omnibus mereri* po-
„ teſt, ſi charitatem habeat: *hoc igitur modo*
„ *Apoſtolus præcipit*, *quod omnia in Dei glo-*
„ *riam referantur*. (*a*)

Utut eſt, rationem iſtam, ſive præceptam,

 ſive

(*a*) *Vide etiam* 2. 2. *q*. 69. *art*. 1. *in arg. ſed contra. Item in* 2. *d*. 40. *art. ult. ad* 7. & *Lect*. 3. *in cap*. 3. *ad Coloſſ*.

Digitized by Google

ſive dumtaxat commendatam, (*a*) negligere vix ſolent fideles, qui *ſerio* agunt negotium ſalutis ſuæ. „ Hi nempe in dies, quin & crebro per diem, ſive per *precationum* formulas fidelibus omnibus familiares, ſive aliter „ excitant in ſe *amorem* Dei, ſe ſuaque omnia „ illi ſubjicientes, ac propter illum *vivere* & „ *mori* cupientes: tum identidem ſi quid novi operis *aggrediantur*, intentionem *generalem* initio præſertim diei formatam, ſubinde renovant, & huic, aut iſti actioni particulariter applicant. Ita (*b*) *coram Deo ambulantes*, haud ſecus ac *avarus* omnia paſſim ad divitias, *ſuperbus* ad vanitatem, *vindictæ cupidus* ad ultionem, *guloſus* ad ventrem; illi è diverſo, ad Deum verum, cui ſerviunt, ſe ſuaq; paſſim omnia, ſaltem *virtualiter*, referunt.

(*b*) *Vide Geneſ.* 17.1

Q. 10. *Qua præſertim conſideratione Dei in nobis dilectio accendenda & fovenda eſt?*

℞. *Ignis* divinæ Charitatis in nobis ſemel accenſus (*c*) debet *in altari* cordis noſtri *ardere* jugiter, ita ut nec *extinguatur* unquam, nec *profanus* illi ignis ſubſtituatur. Quocirca ſollicite *conſervandus*, alendus & *nutriendus* eſt; quod ut ritè fiat, oportet nos indeſinenter memores eſſe, immenſam Dei majeſtatem, non modo creaturarum omniũ amore digniſſimam eſſe,

(*c*) *Vide Levit.* 6.12.

(*a*) *Qui nullum hic* præceptum *agnoſcunt, non ideo minus exclamant*: „ *utinam inflammentur, & ſine intermiſſione ardeant omnes, quotquot uſpiam terrarum* „ *ſunt homines, pura puta illa charitate, qua amantes Deo amabiles reddit: utinam quiſquis vivit mortalium, in vita ſua auctorem, velut in finem ultimum,* „ *ex amore benevolo, ſingula opera ſua ita referat, ut* „ *ſingulis operibus reſpondeant actus ſinguli, vel* formaliter *referentes, vel ſaltem* virtualiter, *non modo ex* „ *parte* operis, *verum etiam ex parte* operantis, *ut* „ omnia *noſtra* in charitate fiant, & *referantur* in „ gloriam Dei.

Digitized by Google

eſſe, (*a*) ſed id ipſum ſummum quemdam eſſe erga nos favorem, quod *à nobis diligi velit*: cum creaturæ rationali nihil eſſe poſſit *glorioſius*, quam ſi Conditorem ſuum toto cordis affectu diligat, nihil vero *infelicius*, quam ſi non diligat. *(a) Vide S. Auguſt. lib. 1. Conf. cap. 5.*

Debet prætereà ſibi unuſquiſque frequenter ob oculos ponere gratuitam illam dilectionem, qua Deus ipſe (*b*) prævenit nos. (*c*) *Prior* utique *dilexit* nos, cum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit: *prior dilexit*, cum per unigenitum Filium ſuum, peccato perditos, reparavit. Quin etiam (*d*) *in Charitate perpetua* dilexit nos, ideoque attraxit nos, miſerans noſtri. *(b) Pſal. 58. 11.* *(c) 1. Joan. 4. 10.* *(d) Jerem. 31. 3.*

(*a*) *Quid tibi ſum ipſe, ut* amari te jubeas à me, *& niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias?* parvane eſt ipſa miſeria, ſi non amem te? *S.* Aug. *lib.* 1. *Conf. cap.* 5.

CAPUT III.

Vide S. Th. 2. 2. q. 25. 26. & 27.

De Charitate PROXIMI, *ejuſque ordine.*

QUæſtio 1. *Quid complectitur præceptum dilectionis proximi:* DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TE IPSUM?

℞. (*e*) Jubet, ut bona omnia, quæcumque *nobis* ipſis *recte & propter Deum* optamus, *eadem* quoque proximo noſtro *ſimili affectu* deſideremus, & quantum in nobis eſt, *procuremus*. *(e) Vide S. Aug. lib. 1. de verâ Relig. c. 36. item l. 50. Homil. 31. Item Epiſt. 54. ad Maced. nunc 153.*

Dum *dilectio* præcipitur, à contrario *odium* vetatur, & quidem ſic ut eatenus præceptum hoc *negativum* ſit, adeoque *pro ſemper*, ut ajunt, obligans.

Q. 2.

Q. 2. *Quis* PROXIMI *nomine hoc loco intelligitur?*

℞. Jam ſupra dictum eſt Cap. 1. q. 10. *quemvis hominem* æternæ beatitudinis adhuc capacem, eo nomine cenſendum eſſe, id quod integra parabola hominis à latronibus ſpoliati ac vulnerati, (*a*) nos ipſe Salvator noſter docere dignatus eſt. Omnes ſcilicet *ejuſdem naturæ* participes, ab *eodem* omnipotenti *Deo*, ad *imaginem* & ſimilitudinem ejus, atque *ad eumdem finem* conſequendum, conditi ſumus.

(*a*) *Luc.* 10. 29. *& ſeqq.*

Eo ergo potiſſimum *fine* atque intuitu, proximus à nobis diligendus eſt, ut aliquando ſempiternæ in Deo felicitatis *nobiſcum particeps* fiat: atque hoc eſt diligere proximum *propter Deum*, in proximo Deum ipſum diligere, cujus ille eſt *imago*: nec alio fine, niſi ut in illo æternum *glorificetur Deus*.

Q. 3. *Quid ſignificatur verbis hiſce*: ſicut te ipſum?

℞. Primum ſignificatur etiam *nos* ipſos nobis amandos eſſe, & quidem dilectione *ſupernaturali*, in Deo, propter Deum, & ad vitam æternam. Deinde dilectionem *noſtri*, exemplar eſſe dilectionis *aliorum*, ita ut poſt Deum *primi* ſimus, quos ſimpliciter amare teneamur. Non ergo *æqualitatem*, ſed *ſimilitudinem*, vox hic illa, *ſicut*, importat. Quam in rem hæc nobis à Christo dilectionis proximi præſcripta eſt REGULA: (*b*) *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Cui ſimilem Tobias ſenior filio ſuo præſcripſit, (*c*) *Quæ ab altero oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris?*

(*b*) *Matth.* 7. 12.

(*c*) *Tob.* 4. 16.

Q. 4. *Quid ex hac dilectionis* Regula *de charitatis officiis conſequens eſt?*

℞. Conſequens eſt, nos, *quibus poſſumus* charitatis officiis, *neceſſitati*, calamitati, & indi-

indigentiæ proximi debere ſubvenire, cum in iiſdem rerum circumſtantiis conſtituti, ſubveniri nobis enixe cupiamus. Hæc charitatis officia, *opera miſericordiæ* vocari conſueverunt, de quibus Cap. ſequenti.

Q. 5. *Debetne dilectio proximi eſſe* interna & formalis, *an verò illi ſatisfieri poteſt per* ſolos actus externos?

℟. Omnino certum eſt (*a*) teneri nos proximum diligere *actu interno & formali*, neque (*b*) præcepto proximum diligendi ſatisfieri poſſe *per ſolos actus externos*. Id ipſa verborum *proprietas*, utriuſque præcepti dilectionis *ſimilitudo*, (*ſecundum* enim *ſimile eſt* primo) ſcriptura, & traditio manifeſtè evincunt, ita ut *Innocentius XI.* oppoſitam opinionem, quæ apud nonnullos authores aliquando viguit, merito duxerit proſcribendam. Et ſane (*c*) *Qui non* DILIGIT *Fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?*

(*a*) Ex Prop. 10. inter. 65. Innocent. XI.

(*b*) Ex Prop. 11. ibid. quas vid. in Appendice.

(*c*) 1. Joan. 4. 20.

Q. 6. *Quo autem potiſſimum* tempore *huic interioris erga proximum dilectionis præcepto ſatisfaciendum eſt?*

℟. Id quia diſerte nuſquam in ſcripturis expreſſum eſt, ægrè quidem determinari poteſt; attamen colligi poteſt, partim ex eo quod non pro nobis ipſis tantum, verum etiam pro aliis *quotidie* orare jubemur, dicentes: pater *noſter*: panem *noſtrum*: *dimitte nobis*: *libera nos* &c. partim inde, quod nos omnes *Petrus Apoſtolus* admoneat (*d*) ut *mutuam in nobis charitatem* CONTINUAM *habeamus*. Neque dubitari poteſt, quin etiam *interior* dilectionis affectus adjungendus ſit, quoties proximo *benefaciendum* eſt. In hoc, aliiſque hujuſmodi pro *Regula practica* teneri poſſe videtur, *nulla paſſim præcepta* SÆPIUS *obligare, quam* qui-

(*d*) 1. Petr. 4. 8.

Digitized by Google

quibus nullum obligationis ſuæ tempus diſerte ſtatutum eſt.

(a) De hominibus agitur.

Q. 7. *Quis inter* (a) proximos *à nobis diligendos* ORDO *ſervandus eſt?*

* Lib. 1. de Doctr. Chr. c. 28.

℟. Etſi juxta S. *Auguſtinum* * omnes homines *æque* diligendi ſint, eo nempe ſenſu quod omnibus *idem* æternæ felicitatis *bonum* optandum, & quantum in nobis eſt, procurandum ſit, quodque nemo à *dilectione* noſtra *excludendus* ſit, ſicut multi neceſſario excluduntur à *beneficentia noſtra;* conſtat tamen, alium alio *magis* eſſe diligendum *intenſiori* ſcilicet *actu*, ut loquitur *S. Thomas*. Quis vero hic ſervandus ſit *ordo*, id partim *natura*, partim *unctio*, docere nos poterit. *Meliores* quidem, ac per hoc Deo *propinquiores*, magis diligere debemus, hoc ſenſu, quod eis juxta *Dei juſtitiam* optemus majus bonum, perfectiorem ſcilicet beatitudinis participationem: „ Illos tamen, qui *ſibi* ſunt *propinquiores*, *in-* „ *tenſiori* actu diligit homo ad illud bonum ad „ quod omnes diligit, quam meliores ad ma- „ jus bonum, inquit *S. Thomas:* quin etiam, „ *uti adjungit*, ex charitate velle poſſum, quod „ iſte qui eſt mihi conjunctus, ſit melior alio, „ & ſic ad majorem beatitudinis gradum per- „ venire poſſit.

Vide S. Th. q. 26. art. 7.

Inter eos qui nobis *conjunctiores* ſunt, in his quæ ad naturam pertinent, primo loco diligendi ſunt *carnaliter* propinqui, & inter hos præ cæteris *Pater*, poſteà *Mater*, quoad honorem ſcilicet & *reverentiam : intenſius* tamen *conjux*, ac deinceps *liberi;* tum alii conſanguinei. *Amicus* præ *inimico* diligi *ſolet*, etiam dilectione *Charitatis*, quia hæc minus in illo quam in hoc invenit *impedimenti;* unde etiam fieri ſolet, ut dilectio amici *melior* ſit quam inimici; quia *intenſior ;* alioquin hæc magis

Vide S. Th. q. 27. art. 7.

ardua

ardua eſt, adeoque ceteris paribus foret etiam magis *meritoria*, ſaltem ſi *labor* & *difficultas* operis, uti multi putant; aliquid etiam ad *meritum* conferant.

Q. 8. *Quis in amore* beneficentiæ *ſervandus eſt* ordo?

℞. Cum *ſinguli omnibus* ſubvenire non poſſint, in impendendis *beneficentiæ* officiis regulam hanc ſervandam ſtatuit *Auguſtinus*, (*a*) ut his potiſſimum conſulamus, qui pro locorum & temporum, & quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius nobis, quaſi quadam ſorte, junguntur. *Arctius* autem cuique conjuncti ſunt conjux, parentes, liberi, conſanguinei & affines, ſuperiores, ſubditi, cives & amici, quam extranei, ignoti, & alienigenæ: niſi hi in *majori* infirmitate & *indigentia*, nobis conſciis, fuerint conſtituti: etenim major neceſſitas promptiorem ſubventionem exigit, & ut ait (*b*) *Auguſt.* charitas quæ tamquam nutrix fovet filios ſuos, non *ordine amandi*, ſed *ordine ſubveniendi*, *infirmiores* fortioribus anteponit.

(*a*) *Lib.* 1. *de Doct. Chriſt. cap.* 28.

(*b*) *Epiſt.* 158. *nunc* 139.

In his aliiſque, quando ad particularia deſcenditur, timentes Deum docet *unctio*, & (*c*) *ordinatam* in eis efficit charitatem.

(*c*) *Cantic.* 2. 4.

Q. 9. *An & quomodo nobis etiam diligendi ſunt* inimici?

℞. Diligendos eſſe, etiamſi primi læſerint, & in injuria perſeverent, hæc Chriſti verba luculente convincunt: (*d*) *diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Alia tamen hic ad *præceptum*, alia ad *conſilium* pertinent.

(*d*) *Matth.* 5. 44.

Ad *præceptum*, 1. *Generalis* dilectio *interior*, vera & ſincera, non *quatenus inimici*, ſed quatenus hominis æternæ beatitudinis capacis. Abeſſe

eſſe ergo omnino debet (*a*) *odium* & vindictæ cupiditas, multoque magis horum *ſigna* exteriora, maxime è quibus *ſcandalum* naſci ſolet. 2. *Communia* & generalia dilectionis *ſigna* omnibus paſſim exhiberi ſolita, ab inimico ſubtrahi non poſſunt. Proinde à *communi oratione* inimici non ſunt ſecludendi. Salutans *reſalutandus*; imo id *prior* facere debes, ſi *ante* conſueveris, præſertim ubi periculum eſt *ſcandali*. Pari ratione *benefaciens* toti cuipiam *communitati*, non excludat eos qui in ea ſibi inique adverſantur, niſi forte ſit *ſuperior*, qui noverit id ad eorum ſalutem, aliorumve exemplum & cautelam *expedire*. *Judæis ipſis* plus aliquid à Deo præceptum fuit Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc eum*. 3. *Specialia* etiam dilectionis indicia reipſa exhibenda ſunt *in neceſſitate*, ad quam forte devenerit inimicus, nempe (*b*) *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere*. Atque hæc omnia hactenus ſpectant ad illud *præceptum* Apoſtoli (*c*) *noli vinci à malo*.

(*b*) *Prov.* 25.21. *Rom.* 12. 20.
(*c*) *Ibid.* ℣. 21.

Quæ ſequuntur, ad illud ejus *conſilium* pertinent (*d*) *ſed vince in bono malum*; vel ad illud Chriſti: *benefacite his qui oderunt vos*; videlicet 1. *Speciali* dilectionis affectu inimicos proſequi. 2. *Specialia* dilectionis indicia & *beneficia* eis exhibere; hæc utique charitatis perfectio eſt, non neceſſitas. Neque enim tenemur talia paſſim omnibus exhibere, niſi in caſibus *ſingularibus*, proinde nec inimicis. Verumtamen Chriſtianis omnibus exemplar in monte propoſitum eſt, quod omnes pro virili æmulari convenit: (*e*) *Pater dimitte illis*, *non*

(*d*) *Ibid.*
(*e*) *Luc.* 23.34.

(*a*) Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas; & in ruina ejus ne exultet cor tuum. *Prov.* 24. 17.

non enim ſciunt quid faciunt. (*a*) „ Hæc perfecta & propria bonitas noſtra, non communis: amicos diligere omnium eſt; inimicos, ſolorum Chriſtianorum.

(*a*) Tertull. *ad Scapulam.*

Q. 10. *Permittitne charitas homini Chriſtiano ut actionem in foro externo intentet injuriantibus, ſive ad conſulendum incolumitati ſuæ, ſive reparandæ famæ, aut honori?*

℞. Id utique *licet*, ſalvo moderamine *inculpatæ tutelæ*, modo abſit animus vindicandi, rancor & indignatio; plerumque tamen *non expedit*, niſi forte qui læſus eſt, in *ſuperiori gradu* conſtitutus, *fama* ſua non pro ſe tantum, ſed magis pro aliorum commodo & ſalute indigeat. Cæterum unuſquiſque caveat, ne (*b*) *mentiatur iniquitas ſibi.*

(*b*) *Pſal.* 26. 12.

CAPUT IV.

De operibus Miſericordiæ, & ſpeciatim de ELEEMOSYNA.

Vide S. Th. 2. 2. q. 30. 31. & 32.

E*ffectus*, ſive *actus* charitatis à *S. Thoma* recenſentur ſeptem, quorum primus atque præcipuus eſt *dilectio*, de qua ſupra dictum eſt: reliqui *ſecundarii*. Horum tres ſunt *interni*, nempe *gaudium*, *pax* & *miſericordia*, tres itidem *externi*, *beneficentia*, *Eleemoſyna*, & *correptio fraterna*.

Ex charitatis affectu ultro profluit cœleſte quoddam ac ſpirituale (*c*) *gaudium* de mutua Deum inter & hominem amicitia, de infinita ejus perfectione, deque ejuſdem laude & cultu.

Ex

(*c*) *Rom.* 14. 17. *Galat.* 5. 22. *Philip.* 4. 4. 1. *Theſſ.* 1. 6. & *c.* 5. 16.

Digitized by Google

Ex eodem quoque fonte oritur ſtabilis quædam (*a*) *pax* cordis, quæ exſuperat omnem ſenſum, quæque non obtingit impiis, ſed diligentibus legem Dei.

(*a*) *Philip.* 4. 7. *Iſai.* 57. 21. *Pſal.* 118. 165.

De miſericordia, eleemoſyna & correptione fraterna plura tractari ſolent, quæ ſolita hic brevitate ſubjicimus.

Q. 1. *Quid hoc loco eſt* Miſericordia?

(*b*) S. Aug. *lib.* 9. *Civ. c.* 5.

℞. Eſt (*b*) alienæ miſeriæ in noſtro corde *compaſſio*, qua utique, ſi poſſumus, ſubvenire compellimur.

Hæc autem ex duplici potiſſimum capite oritur nempe vel ex *amore*, qui amici malum reputat velut *proprium*, facitque idcirco (*c*) *flere cum flentibus*, uti facit *gaudere cum gaudentibus*: vel ex noſtra quadam cum aliis conjunctione, (*d*) qua fit ut cogitemus malum quod illis accidit, ad nos quoque poſſe pertingere.

(*c*) *Rom.* 12. 15.

Utrumque, *miſericordiæ* affectum à nobis poſtulat in neceſſitatibus maliſq; proximorum. *Amor* enim *communis* omnium à nobis exigitur, qui, ut ſupra viſum eſt, omnes ut nos ipſos jubemur diligere, atque adeo aliorum mala reputare tamquam propria. Conjuncti etiam ſumus omnibus hominibus, ſaltem *communis naturæ* vinculo; proinde ad nullius malum poſſumus eſſe *inſenſibiles* (præſertim ſi *concives* etiam ſint, ejuſdemque *Religionis conſortes*) ſed perſuaſos nos eſſe oportet nihil cuiquam evenire, quod nobis etiam evenire non poſſit.

Q. 2. *Quinam oppoſito vitio* immiſericordiæ *ſolent præ cæteris eſſe obnoxii?*

℞. Vi-

(*d*) *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco*. Dido apud Virg.

Digitized by Google

℞. Vitio iſti, docet (*a*) *S. Thomas*, obnoxios, præſertim eſſe *ſuperbos*, eoſque qui ſe felices ac *præpotentes* reputant: illos, „ quia „ contemnunt alios, & reputant eos malos, „ unde reputant quod digne patiantur quid„ quid patiuntur: „ hos autem, quia cum nihil mali putent ſe poſſe pati, non ita commiſerentur. Contra faciunt *humiles*, quia agnoſcunt ſe eadem, vel majora promeritos; item *ſapientes*, qui conſiderant ſe poſſe in eadem, vel ſimilia mala incidere. Recte ergo dixit (*b*) *B. Gregorius* „ vera juſtitia compaſſionem „ habet, falſa dedignationem.

(*a*) *Q. 30. art. 2.*

(*b*) *Homil. 34. in Euang.*

Q. 3. *Sufficitne ad virtutem miſericordiæ* interioris compaſſionis *affectus?*

℞. Hæc interna *compaſſio*, cum vera eſt miſericordia, proximo, quoad *poſſumus*, nos ſubvenire compellit, uti ex *Auguſtino* audivimus; illa ergo demum (*c*) vera miſericordia eſt, quæ præter compaſſionis *affectum*, habet etiam ſubventionis *effectum*, quando is in noſtra poteſtate ſitus eſt, qui effectus per opera miſericordiæ comprobatur.

(*c*) *Jac. 2. ℣. 15. & 16.*

Q. 4. *Quotuplicia ſunt* opera Miſericordiæ?

℞. Ut duplex eſt hominis neceſſitas atque indigentia, altera corporis, altera animæ; ita duplicia ſunt opera miſericordiæ, alia *corporalia*, alia *ſpiritualia*. Utraque ELEEMOSYNÆ etiam nomen gerunt; *famoſius* tamen eo nomine *corporalia*, utpote magis ſenſibilia, deſignantur.

Q. 5. *Quot & quænam recenſentur* Opera Miſericordiæ corporalia?

℞. Septem recenſeri ſolent, quorum ſex priora

(*a*) *Graviter vituperantur in Scripturis qui ſine* affectione *ſunt &* ſine miſericordia. *Vide Rom. 1. 31. 2. Tim. 3. 3.*

ra ex Chriſti verbis *Matthæi* 25. *cap.* deſumpta ſunt, ſeptimum ex facto (*a*) *Tobiæ*, quod in ſacris litteris ſingulariter commendatur. Sunt autem, eſurientes paſcere: potum præbere ſitientibus: veſtire nudos: hoſpitio peregrinos excipere: infirmos inviſere: captivos redimere: mortuos ſepelire:

(*a*) *Tob.* 2. 4. & 12. 12.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Q. 6. *Quot & quænam recenſentur* Opera miſericordiæ ſpiritualia?

℞. Septem pariter recitari ſolent: videlicet, Peccantes corrigere: ignorantes docere: dubitantibus recte conſulere: pro ſalute proximi Deum orare: conſolari mœſtos: ferre patienter injurias: offenſam remittere.

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Hæc porro opera miſericordiæ *ſpiritualia*, cum præſtantiori hominis parti ſubveniant, *corporalibus* iſtis ſunt excellentiora, annitendumque eſt, ut quoties corporale charitatis officium proximo impenditur, ſpirituale etiam aliquod, quoad ejus fieri poterit, adjungatur.

Vide Oſea 6. 6. *Matth.* 9. & 12. *Luc.* 6. 36. *Coloſſ.* 3. 12 *Hebr.* 13. 16.

Cæterum nemo cauſſari poterit, deeſſe ſibi occaſionem, vel facultatem *miſericordiæ opera* exercendi: *ubique* occurrunt corporaliter, vel ſpiritualiter indigentes; ſi facultatum defectu primis ſubvenire non potes, habe ſaltem ſincerum commiſerationis *affectum*, & tanto ferventius ſubveni iis qui in *ſpiritali* neceſſitate verſantur. Opus exercebis aliquanto minus in oculis hominum glorioſum, ſed tanto coram Deo ſublimius, tibique ſecurius.

Q. 7. *De* Eleemoſyna corporali *ſpeciatim quæro: ſitne ea* conſilii *tantum, an etiam præcepti?*

℞. Eleemoſyna non tantum ut *opera bona*, verum etiam ut *remedia peccatorum*, mirifice

in

in (*a*) ſacris literis *commendari*, id ſane omnibus ſatis notum atque compertum eſt. At prætereà certum eſt, eas non tantum *conſuli*, verùm etiam *diſtricte injungi*, adeo ut in illa multorum divitum perſuaſione contraria, graviſſimus error ſit, quem & *judicii forma*, quam Chriſtus delineavit, & ipſum etiam quod cordibus hominum inſculptum eſt, *jus naturale* revincit.

(*a*) *Vide Tob.*4. 11. *Dan.*4. 24. *Luc.*11.41. *&c.*12. 33.

In *forma judicii*, (*b*) ob Eleemoſynarum *neglectum* æternæ damnationis ſententia in eos, qui immiſericordes fuerint, pronuntiatur: nemo autem damnatur, niſi ob tranſgreſſionem *præcepti graviter obligantis*. Ad *jus* porro *naturale* pertinet, ut diligamus proximos *ſicut nos ipſos*, quod obſervari nequit, niſi proximo in neceſſitate conſtituto ſubveniatur.

(*b*) *Matth.* 25.

Q.8. QUANDONAM *præceptum hujuſmodi obligat?*

℞. Quando hæc duo concurrunt: 1. Cum is qui petit, in *neceſſitate* verſatur; 2. Cum is qui daturus eſt, habet *ſuperflua*. Extra hos duos caſus Eleemoſyna ad *conſilium* pertinet.

Eſt porro triplex NECESSITAS, extrema gravis & communis. *Extrema*, ubi proximum, vel certe valde probabile, periculum mortis imminet, niſi ſuccurratur: *gravis*, ubi remotius mortis, vel proximum alterius mali morte minoris, ſed tamen valde notabilis, evidenter impendet; puta gravis morbi, amentiæ, omnium fortunarum ſubverſionis &c. *Communis*, cujuſmodi eſt in conſueta & obvia pauperum indigentia.

Dupliciter etiam aliquid *ſuperfluum* dicitur, nempe vel ultra *naturæ* indigentiam, vel ultra ipſam *ſtatus* conditioniſque decentiam.

Cæterum nemo tenetur facere Eleemoſynam de eo quod ad *naturæ* indigentiam pertinet,

id

id eſt, ſine quo ipſe, aut ejus *familia* vivere non poteſt; imo *plerumque* nec *licite* poteſt, cum amor bene ordinatus à *ſemetipſo* incipiat. Verùm *crimen* committit qui in *extrema neceſſitate* exiſtenti nihil tribuit ex iis quæ ſibi non *ſimpliciter*, ſed tantum ſecundum decentiam ſui ſtatus, ſunt neceſſaria, ſi modo *naturæ ſuperflua* ſint; id quod multi etiam extendunt ad eum caſum, quo proximus, non quidem in *extrema*, ſed in *gravi* urgentique neceſſitate conſtitutus eſſe cognoſcitur, cui aliunde nemo prævidetur eſſe ſubventurus.

Qui habet *ſimpliciter ſuperflua*, id eſt, quæ neque ad conſervationem vitæ, neque ad ſtatus decentiam, ſed ad ſolam commoditatem, aut copiam ſunt neceſſaria, penſatis non tantum *præſentibus*, ſed iis etiam quæ *probabiliter ſequi* nata ſunt, is tenetur, Eleemoſynam dare, non tantum in *gravi*, verùm etiam in *communi* pauperum neceſſitate: cum hoc tamen *diſcrimine*, quod *huic pauperi* neceſſitatem dumtaxat communem patienti, non teneatur qualibet occaſione illico dare aliquid de ſuperfluo, ſed ſufficiat ut *tempore* & *loco*, juxta ſuam quiſque conditionem, eleemoſynam talibus impendat.

Hanc divitum *obligationem* probant (*a*) ſcripturarum patrumque locutiones generales. Horum (*b*) expreſſiones ſæpe tam ſunt vehementes, ut quadam ferè *mitigatione* indigeant; adeò nonnumquam inculcare videntur, ſuperflua divitum, non modo *ex*

(*a*) 1. Joan. 3.17. &c.

Cha-

(*a*) *Qui* habuerit *ſubſtantiam hujus mundi*, & viderit *fratrem ſuum neceſſitatem habere*, & clauſerit *viſcera ſua ab eo: quomodo* Charitas Dei *manet in illo?* 1. Joan. 3. 17.

(*b*) S. Chryſoſt. *Hom.* 34. *ad Pop.* S. Baſil. *Hom.* 6. *in Divit. avar.* S. Aug. *in Pſ.* 47. *Vide* S. Th. *q.* 32. *art.* 5. *ad* 2.

Digitized by Google

Charitate, verum etiam *ex juſtitia*, debita eſſe pauperibus.

Q. 9. QUANTA *debet eſſe Eleemoſyna?*

℟. Non mox *omnia ſuperflua* eroganda ſunt, ſed pro loco & tempore: (*a*) non enim debent *effundi* opes, ſed *diſpenſari*; idque cum (*b*) *proportione* ad facultates: ſanè qui *abundant* opibus, ſi nihil omninò dent, aut tam modicum pro ratione facultatum ſuarum, ut ſi cæteri divites eumdem ſervarent modum, neceſſe eſſet pauperibus in communi neceſſitate verſantibus neceſſarium deeſſe ſubſidium; illi utique à *peccato mortali* excuſari poſſe non videntur.

(*a*) S. Ambr. *l.* 1. *offic. c.* 30.
(*b*) *Tob.* 4. 8. 2. *Cor.* 8. 12.

Gravior porrò plerumque eſt neceſſitas in hyeme; item in caritate annonæ, peſte etiam, aliiſve morbis paſſim graſſantibus &c. tuncque adeò urgentior etiam eſt ſubveniendi obligatio.

Q. 10. *Cùm & parentes* Theſaurizare *debeant filiis ſuis, mèritoque ad altiorem gradum ſe ſuoſque promovere ſtudeant; & quæ illis jam ſuperfluunt, futura ſint forſitan poſtmodùm neceſſaria; nonne conſequens eſt* PAUCOS *eſſe ſæculares, quibus* ſuperflua *ſuppetant, unde Eleemoſynas dare teneantur?*

(*b*) *Ex* ſubſtantia tua *fac Eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam* ab ullo paupere: *ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomòdo* potueris, *eſto miſericors. Si* multum *tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam* exiguum libenter *impertiri ſtude. Præmium enim bonum theſaurizas tibi in die neceſſitatis. Quoniam Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo, Eleemoſyna, omnibus facientibus eam.* Tob. 4. ✱7. 12
Si enim voluntas prompta eſt; ſecundùm id quod habet, *accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.* Cor. 8. 12.

℞. Cupiditati nihil ſatis eſt, ſed multa ſe habere ſuperflua plerumque comperiet, qui ſola *neceſſaria* concupiſcet. Sanè ab *Innoc. XI.* damnata eſt hæc aſſertio, (a) *Vix in ſæcularibus, etiam Regibus, ſuperfluum ſtatui inveniri, vixque adeò aliquem teneri ad Eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatus.*

(a) Prop. 12.

Theſaurizare (b) quidem debent parentes *Filiis*, ſed magis etiam debent (c) *theſaurizare* SIBI *fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

(b) 2. Cor. 12. 14.
(c) 1. Tim. 6. 19.

Eſto etiam, aliquando liceat ad *altiorem gradum* eniti, ubi adeſt capacitas & divinæ voluntatis ſignificatio; at non niſi ſalva obligatione pauperibus ſubveniendi.

At, inquis, quæ jam ſuperfluunt, erunt fortè poſteà neceſſaria; reſpondet (d) *S. Thomas*: „ hoc eſt de craſtino cogitare, quod Dominus „ prohibet Matth. 6. ſed debet dijudicari ſuper„ fluum & neceſſarium ſecundùm ea quæ *pro*„ *babiliter*, & *ut in pluribus* occurrunt.

(d) Art. 5. ad 3.

Q. 11. UNDE *Eleemoſyna facienda eſt?*

℞. *Ex propriis*, (e) non ex *alienis*, niſi fortè in *extrema* neceſſitate, quæ facit omnia communia. Non etiam ex bonis (f) *reſtitutioni* obnoxiis, cujuſmodi ſunt omnia, quæ (g) *certum notumque* habent Dominum, ſive *juſta via* ad manus tuas devenerint, ſive *injuſtè* fuerint acquiſita. Niſi tamen *contra juſtitiam* & data fuerint & accepta, ut in *ſimoniaca* largitione, muneribus *judicum*, mercede *ſicariorum* &c. uſu venit; ubi omnia neceſſariò in uſus pauperum, aut eccleſiarum eroganda ſunt, non ut pura Eleemoſyna, ſed per modum *reſtitutionis penalis*.

(e) Prov 3. 9. Tob. 4. 7.
(f) Rom. 13. 7.
(g) *Aliud erit, ſi poſt diligentem inquiſitionem Dominus non innoteſcat.*

Q. 12.

(e) *Honora Dominum de* tua *ſubſtantia*. Prov. 3. 9.
(f) Reddite *ergo omnibus debita*. Rom. 13. 7.

Digitized by Google

Q. 12. QUIS *ergo & quomodo Eleemoſynam dare poteſt, quis non poteſt?*

℞. 1. Is cujus *majora* jam inde *debita* ſunt quàm facultates, eleemoſynam de rebus ſuis facere nequaquam poteſt.

2. Iis, qui *ſui juris* non ſunt, non licet eleemoſynas erogare, præſertim notabiles, niſi de ejus, ſub cujus ſunt poteſtate, licentia, ſaltem probabiliter & *rationabiliter* præſumpta. Id quod locum habet 1. In *Religioſo*, citra ſuperioris commiſſionem, aut permiſſionem. 2. In *Filio-Familias*, niſi de propriis à parentum voluntate non pendentibus; in cæteris non niſi cum ipſorum ſaltem tacito conſenſu, qui adeſſe præſumitur, quando *modica* tantùm, ad cibum potumve pertinentia, præcipuè ſibi ſubtracta, erogat.

3. Eadem ferè eſt *famulantium* conditio, ſed adhuc reſtrictior. His præcipuè vitandum eſt, ne *conſanguineos* aliterve *conjunctos*, citra dominorum conſenſum, juſto partialiùs ac liberaliùs foveant.

4. Reſtricta etiam hac in parte, *largior* tamen quàm præcedentium, eſt conditio *Uxoris*; qua de re videri poteſt (a) *Aug.* ad Ecdiciam; *nihil.... de rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio tui mariti facere debuiſti*, &c. Sed aliter de *uxore* loquendum eſt, quando ipſa quàcumque ex cauſſa rem familiarem *admi-niſtrat*. Quando *propria* habet præter (b) *dotem*; quando *negotiando* lucratur; quando *in re lauta maritus* eleemoſynarum largitionem notabiliter *negligit*, tunc quippe prudentiam (c) *Abigail* meritò imitabitur; verbo, bona fide ſectetur morem uxorum iſtius *loci & conditionis*, caveatque *exceſſum* circa proprios conſanguineos pauperiores. Denique *ordina-*

(a) *Ep. 199. Vet. Ed. nunc 262. qua ſane pulchra & vehemens eſt.*

(b) Paraphernalia *vocantur*.

(c) 1. *Reg.* 25.

Digitized by Google

rie damnanda non eſt eleemoſyna *modica* & *rara* uxoris, filii, aut famuli.

Q. 13. Quibus *&* quo ordine *ſubveniendum eſt?*

(a) Galat. 6. 10.

℞. Subveniendum eſt (*a*) *indigentibus*, inter quos ne *mali* quidem omnino negligendi ſunt, vel nimis *curioſè* à *bonis* ſecernendi, modò ne per eleemoſynam in malo foveantur; id quod facilè accidit in nonnullis mendicis *validis* & *voluntariis*, qui, cùm poſſint laborare, non volunt. (*b*) *Si quis non vult operari, nec manducet.*

(b) 2. Theſſ. 3. 10.

(c) 1. Tim. 5. 8. Vide etiã, ſupra c. 3. q. 8.

Quod ad *ordinem* attinet, (*c*) *conjunctiores* nobis, ceteris; *meliores*, minùs bonis, *utiliores* Eccleſiæ, vel Reip. minùs utilibus; *egentiores*, minùs egentibus; & *domeſtici*, extraneis, ceteris paribus, anteponendi ſunt.

(d) S. Ambr. l. 1. Offic. c. 30. & 31.

Conſideranda (*d*) etiam in largiendo *ætas* atque *debilitas*; nonnumquam etiam *verecundia*, quæ ingenuos prodit natales. Tum ſi quiſè *divitiis* cecidit in *egeſtatem*, & maximè, ſi non *vitio ſuo*. Pulchrum quoque eſt propenſiorem ejus haberi rationem, qui tibi, aut *beneficium* aliquod, aut *munus* contulit, ſi in neceſſitatem incidit: qua in re aliqui vehementer ingrati ſunt.

Ceterùm *fundationes piæ*, & *ultimæ voluntates* certis *locis perſoniſve* addictæ, inviolabiliter obſervandæ ſunt, niſi ob manifeſtam utilitatem mutandum aliquid judicarit *Epiſcopus*.

Q. 14. *Utrùm in vita, an poſt mortem Eleemoſynæ potiſſimùm dandæ ſunt?*

℞. Ne-

(a) *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad* domeſticos fidei. *Galat.* 6. 10.

(c) *Si quis autem* ſuorum, *& maximè* domeſticorum, *curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*, 1. Tim. 5. 8.

Digitized by Google

℟. Nemo excuſatur ab eleemoſynis ſtatui & conditioni ſuæ *convenientibus*, eo prætextu quòd multa in pias cauſſas teſtamento legare ſtatuerit. *Da tua, dum tua ſunt;* tum etiam provide, ut (*a*) *partem* ſuam *Chriſtus* cum ceteris heredibus habeat. Quamvis autem *præſentibus* neceſſitatibus magis ſuccurrere conveniat quàm *futuris*, dum tamen beniginiora ſunt tempora, rectiſſimè exemplo *Joſeph* (*b*) Patriarchæ in futurum aliquid colligitur. Inde tanto mortalium commodo, tot extant *piæ fundationes*, pro majori parte poſt mortem inſtitutæ.

(*a*) *Vide* S. Aug. *in Pſal.* 48. *n.* 14. *& in Pſal.* 38. *n.* 12. *& ſerm.* 49. *de diverſis.*
(*b*) *Gen.* 44.

Q. 15. *Quis eleemoſynæ, cæterorumque operum miſericordiæ fructus eſt, quæ eorum in SS. Litteris commendatio?*

℟. *Fructus* his verbis Salvatoris exprimitur: (*c*) *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, audituri ſcilicet à Chriſto judice: (*d*) *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me: nudus & cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere eram & veniſtis ad me.... Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Verùm ſicut (*e*) Apoſtolo Jacobo teſte, *ſuperexaltat* atque ad clementiam compellit *miſericordia judicium*, ita *judicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Quapropter extremo illo die, idem judex reprobis dicturus eſt: (*f*) *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram & non collegiſtis me: nudus, & non viſitaſtis me.... Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minimis his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſup-*

(*c*) *Matth.* 5. 7.
(*d*) *Matth.* 25. ℣. 34. *& ſeqq.*
(*e*) *Jac.* 2. 12.
(*f*) *Matth.* 25. ℣. 41. *& ſeqq. Vide Tob.* 4. ℣. 7. 12. *Pſal.* 40. 1. *Prov.* 21. 14. *Eccli.* 4. 8. 2. *Cor.* 9. 7.

Digitized by Google

plicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Quem iſta veritatis ipſius verba non commovent, omnem penitùs ſenſum amiſerit neceſſe eſt.

CAPUT V.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 33. & Euangelii interpretes, in Cap. 18. Matth.

De CORREPTIONE FRATERNA *ejuſque modo & ordine.*

QUæſtio I. *Quid intelligitur nomine* correptionis Fraternæ?

℟. *Secreta proximi delinquentis monitio, quæ illi ad emendationem ejus, fraterna dilectione impenditur.* In hoc differt à correptione *judiciaria*, quòd hæc *coactiva* ſit, neque adeò ad bonum *correpti* quàm *communitatis* dirigatur, & authoritate *ſuperioris* fiat; ſecùs in iſta. Judiciaria igitur *Prælatis* propria, & actus juſtitiæ eſt, ideòque correptione hujuſmodi ſuperiores ſuos *ſubditi* corripere non poſſunt: *Prælati* verò eam loco & tempore congruis exercere tenentur, *etiam tum* cùm nulla veriſimilis *ſpes* eſt fore ut emendetur qui corripiendus eſt. *Fraterna*, eſt actus miſericordiæ & charitatis, inter eleemoſynas *ſpirituales* numerari ſolitus, quo utique ſpiritali fratris neceſſitati ſubvenitur; unde magnam apud Deum meretur gratiam, adeò ut in corripiente nonnumquam (a) *operiat multitudinem peccatorum*.

(a) *Iac. 5. 20. & 1. Petr. 4. 8.*

Q. 2. *Correptio Fraterna an & quomodo* PRÆCEPTA *eſt?*

℟. Præcepta eſt perindè ac *magis* quàm eleemoſyna corporalis, quod & ipſum naturæ lumen ſatis indicat; & Euangelii textus perſpicuè demonſtrat: (b) *Si* PECCAVERIT, inquit Chriſtus,

(b) *Matth. 18. 15. & ſeqq.*

ſtus, IN TE *Frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum* SOLUM. *Si te audierit,* LUCRATUS *eris Fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium* TESTIUM *ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos,* DIC ECCLESIÆ. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*

Q. 3. *Quæ* CONDITIONES *adeſſe debent, ut adhiberi ea poſſit ac debeat?*

℟. Hæ potiſſimùm tres: 1. *Certa* peccati *notitia*: 2. Peccantis *neceſſitas*: 3. *Spes* emendationis, ſi non certa, ſaltem *probabilis*.

1. *Si peccaverit* IN TE *Frater tuus*, inquit Chriſtus, id eſt, vel adversùs te, vel certè *te conſcio*, non ex vano tantùm rumore, aut ſuſpicione, ſed certa ſcientia; & quidem ſic peccaverit, ut corripiendo eum *lucrari* opus ſit, id eſt *mortaliter*: vix enim niſi propter *ſcandalum*, malumve aliquod notabile ſecuturum, *venialiter* tantùm delinquenti correptio impendenda eſt. Sæpè ergo corripiendo peccant qui *imprudenter* corripiunt, ubi non ſatis conſtat peccare fratrem & in peccato perſiſtere; vel qui levi *ſuſpicione* permoti, alios incondita correptione confundunt atque dejiciunt.

2. *Peccantis neceſſitas*, ita nempè ut ſciatur nondum eſſe *emendatus*, neque facilè *emendandus*, niſi noſtra correptio interceſſerit.

3. *Spes emendationis* ſaltem veriſimilis; ſi enim ea deſit, aut ſi *probabiliùs* exiſtimetur corripiendus per correptionem futurus *deterior*, correptio omittenda eſt. Quamquam faciliùs accidit, ut *temerè* quis *judicet* correptionem non profuturam, quàm *temere ſperet* profuturam. Et quamvis probabile ſit, correptionem non *ſtatim* profuturam, ſed *odioſam* & in-

gratam fore; ſi tamen probabilis ſpes ſit *poſtea* profuturam, nequaquam omittenda eſt.

Q. 4. *Quis in correptione exequenda adhibendus eſt* modus?

℞. Is totus *prudentia*, *manſuetudine* & *amoris* teſtificatione temperandus eſt, cavendumque ne quis ſe *acerbiorem* & inclementiorem exhibendo, vel *importuno* loco, aut tempore increpando, corripiendi animum irritet potiùs, quàm curet. (a) *Corripiat* me *juſtus in miſericordia*.

(a) *Pſal.* 140. 5. *Galat.* 6. 1.

Q. 5. *Debetne quis iſtud correptionis officium obire, etiamſi aliquod ſibi inde prævideret, aut timeret* incommodum?

℞. Ob ſolius *indignationis* periculum, quod à correptione abeſſe vix ſolet, omitti non poteſt; quòd ſi ſolito *gravior* ſit peccantis neceſſitas, etiam cum *gravioris* alicujus *mali*, aut jacturæ periculo exercendum erit. Cæterùm *gravior* hac in parte eſt Prælatorum, *Paſtorum*, & Superiorum *obligatio*, quippe qui ſaluti ſubditorum (b) *vitam* etiam, ubi opus eſt, tenentur impendere.

(b) 1. Joan. 3. 16.

Q. 6. *Teneturne aliquando inferior ac* ſubditus *ad correptionem* ſuperioris?

℞. Certum eſt aliquando teneri, ſi alius deſit qui id officii ſuſcipiat; nam & ipſe *Frater* eſt, præ aliis etiam diligendus, & *conditio* ejus non debet aliorum conditione eſſe *deterior*: verùm hic ſi uſquam ſumma circumſpectione opus eſt, ut hoc remedium *prudenter*, *opportunè*, *manſuetè* ac *reverenter* adhibea-

(a) *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite* in ſpiritus lenitatis. *conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*. Galat. 6. 1.

(b) *Et nos debemus* pro fratribus animas *ponere*. 1. Joan. 3. 16.

Digitized by Google

beatur, non à quocumque, ſed ab eo qui veroſimiliùs prodeſſe poterit & *permovere*, non *increpando*, ſed obſecrando (a) *ut Patrem*. Interdùm tamen, ubi manifeſtum *fidei* periculum imminet, etiam *publicè* coram omnibus ab inferiore ſuperiorem agui oporteret, ſi illud aliter præverti, aut arceri non poſſet.

(a) 1. Tim. 5. 1.

Q. 7. *Quid dicendum de peccatoribus, qui conſcientiam propriam gravi peccato obſtrictam ſentiunt?*

℞. Certum eſt hos citra *novam culpam* delinquentes corripere poſſe, & *aliquando* etiam debere, ſi modò vero *Zelo* commoti, & de (b) *trabe* quam in oculo proprio ſentiunt, *dolentes*, alienam interim ejicere ſatagant. Cæterùm conſultò etiam aliquando abſtinent, ne ob præcedens peccatum ſuum, emendationi proximi *impedimentum* afferant, id quod non raro contingit.

(b) Matth. 7. 5.

Q. 8. *Quid agendum erga eos qui* per ignorantiam *delinquunt?*

℞. Et his *monitionis* atque *inſtructionis* officium impendendum eſt, ſi ſperetur profuturum, maximè ſi meritò timeatur, ne ex ignorantia in peccatum *formale*, illudque *mortale* labantur. Si de peccato dumtaxat *levi*, vel *materiali* agatur, & correptio timeatur obfutura potiùs quàm profutura, quatenus qui correptus fuerit, aut monitus, *formaliter* jam & *graviùs* peccaturus eſt, omittatur: niſi tamen *propter alios* qui ſimul audiunt, corripere, vel monere neceſſariò oporteat, uti in *concionibus* publiciſque inſtructionibus uſu venit.

Q. 9. *Quod* genus peccati *admittit, qui ubi corripere debet, fraternæ correptionis officium prætermittit?*

 ℞. Mor-

(a) *Seniorem* ne increpaveris, *ſed* obſecra, *ut patrem*. 1. Tim. 5. 1.

℞. *Mortaliter* peccare cenſendus eſt adverſùs præceptum de dilectione proximi, qui correptionem lethaliter delinquentis, quam probabiliter credit profuturam, *ex intentione* negligit: *venialiter* verò, ſi *timore*, aut *cupiditate* tardior quidem redditur ad corripiendum, non tamen tam tardus, quin correpturus eſſet, ſi *conſtaret* fratrem per hoc fore à peccato retrahendum. Culpa autem omiſſionis hujus non parum augebitur, ſi vel extrema proximi neceſſitas tam ſalubre remedium prorſus exigat, vel is qui correptionem prætermittit, ad eam *ex officio* obligetur.

Cæterùm nemo tenetur peccatores *quærere* quos corripiat, nec *privatus* quiſquam debet in aliorum vitam curioſius inquirere; *ſuperioribus* tamen id muneris incumbit reſpectu ſubditorum, ut eorum vitam moreſque ſcrutantes, ſi quid correptione dignum deprehenderint, *tempeſtivè* ſtudeant emendare.

Q. 10. *Quis* ORDO *in correptione ſervandus?*

℞. *Si* crimina non ſint aperta ac *manifeſta*, occulta *admonitio*, nec non duorum, aut trium teſtium inductio, *denuntiationem* publicam præcedere debent, uti patet ex verbis Chriſti (*a*) ſuprà relatis: niſi tamen crimen aliquod *occultum* vergeret in (*b*) *commune multorum nocumentum*, ſive corporale, ſive ſpirituale, aut veriſimile ſit occultum peccatorem per denuntiationem, minimè verò per ſecretam monitionem, revocandum & emendandum eſſe.

(a) Q. 2.

Si *mandet* ergo Prælatus *occultum* crimen revelari, cujus nulla in publico præceſſit *infamia*, *regulariter* obedire non licet, ſi ſecreta monitio & teſtium inductio non præceſſerit.

At

(*b*) *Uti vergunt* Hæreſis, conjuratio *adverſùs principem*, proditio *civitatis* &c.

At in *criminibus publicis*, ſecreta admonitione & teſtibus poſthabitis, ad *denuntiationem* illicò rectè proceditur, niſi ſecreta correptione *malum* omninò *impediri* poſſe crederetur.

Denique contra fraternæ correptionis ordinem non peccat, qui proximi peccatum occultum denuntiat Prælato, non quidem ut *judici*, ſed ut *patri*, ut is officium charitatis majori quadam efficacia fructuque certiori delinquenti impendat, priuſquam *teſtes* adhibeantur.

Q. 11. *Quis eſt fraternæ correptionis* FINIS?

R. Finis fructuſque eſt *correctio* & emendatio, quæ cùm à Dei gratia expectetur, correptioni jungenda *oratio* eſt, eventus verò Deo committendus; nec quiſquam *animo turbari* debet, ſi poſtquam correptionis officium peccanti impenderit, is præter agentis intentionem & operis conditionem, *pejor* evadat.

Porro qui recta monenti & corripienti acquieſcere nolunt, meminerint à *Salomone* dictum eſſe (*a*) *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* (*a*) *Prov.* 29. 1.

Contra, qui in hoc Chriſtianæ Charitatis officio explendo negligentes ſunt, ad hæc *Auguſtini* (*b*) verba attendant: „ non mihi vi„ detur hæc parva eſſe cauſſa, quare cùm *ma-* „ *lis* flagellentur & *boni*, quia ea ipſa quæ „ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque „ corripere. (*b*) *L.* 1. *Civ. c.* 9.

CAPUT VI.

Vide S. Th. 2. 2. q. 34. 35. 36. & 43. Vide etiam infra explicationem V. præcepti decalogi.

De vitiis Charitati adverſis, ac præſertim ODIO, INVIDIA, ACEDIA, *&* SCANDALO.

QUæſtio 1. *Quænam præcipuè vitia & peccata Charitati adverſantur?*

℞. Tametſi omne peccatum *mortale* aliquo ſenſu charitati adverſetur, quatenus eam excludit ac deſtruit, nonnulla tamen vitia & peccata Charitati ſtrictiùs ac directiùs præ ceteris opponuntur, quæ nempè dilectioni, Deo aut proximo debitæ, (*a*) ſingulariùs adverſantur. Huic nihil directius opponitur quàm *odium*: *gaudio* Charitatis adverſantur *Invidia* & *Acedia*: Beneficentiæ & *correptioni fraternæ* è diametro repugnat offenſio & *ſcandalum*.

Q. 2. *Poteſtne odio haberi Deus?*

(b) Pſal. 73. 4. & 23. Pſal. 138. 21. &c.

℞. Sic plane variis locis (*b*) S. Scriptura loquitur, ut Deum tametſi *ſolum & ſummum* bonum, ob *effectus* tamen quoſdam inordinatæ voluntati contrarios, à quibuſdam peccatoribus *odio* haberi ſignificet; ab iis nempe, qui in abominandæ malitiæ barathrum eo uſque prolapſi ſunt, ut cupiant Deum *non eſſe*, vel *iniquum*, aut *miſerum* eſſe. Peccatum horrendum, prorſus *Diabolicum*, & cæteris paribus inter omnia *maximum*, utpote *ſummæ* virtutum omnium *ſummè* repugnans.

Quam-

(*a*) *Præter* odium, invidiam, acediam, *&* ſcandalum (*quæ præcipuam apud Theologos conſiderationem habent*) *hæc etiam vitia recenſet* S. Thomas *tamquam charitati contraria:* diſcordiam, contentionem, ſchiſma, bellum, rixam & ſeditionem, *quæ omnia* paci *repugnant, quæ eſt charitatis effectus. Tractat. de iis, q. 37. 38. 39. 40. 41. & 42.*

Quamquam autem *peccatores* omnes *generali* quodam *odio*, uti & *contemptu* erga Deum eſſe dicantur, ſi tamen de hoc *formali & ſpeciali* Dei odio agatur, certum eſt iſtud *paucis* proprium eſſe, non vero *omnibus* convenire.

Q. 3. Odium proximi *cujuſmodi peccatum eſt, & unde oritur?*

℟. Odium proximi *propriè dictum*, quo quis in eo odit quod bonum eſt, *naturam* ſcilicet, aut *gratiam* ejus, eique *malum* vult, ut ipſi *malè* ſit, *ſemper* (*a*) proculdubiò peccatum eſt, & quidem (*b*) *graviſſimum*, ſi ſola ſpectetur *deordinatio voluntatis*, quæ peccati radix eſt: tametſi alia poſſint eſſe *graviora*, quantum attinet ad *nocumentum*. (a) 1. *Joan. cap.* 3. 15. & 4. 20. (b) S. Th. *q.* 34. *a.* 4.

Propriè dictum odium non eſt, quo quis in altero malum *culpæ* odit, vel ei optat malum *pœnæ*, ut ipſi *bene* ſit. Verumtamen affectus hujuſmodi ſollicite *moderandus* eſt, ne, uti facile fit, *mentiatur* hic iniquitas ſibi, dum quod fratri optatur malum, ab emendationis ejus deſiderio promanare fingitur, re autem vera ab *odio* in corde latenti proficiſcitur.

Odium non eſt vitium *capitale*, ex quo alia profluere ſoleant, ſed eſt potius aliorum *terminus*; ipſum autem ex *invidia* ortum ducit, quatenus per *invidiam*, quæ de bono proximi contriſtatur, illud ipſum invidenti redditur *odioſum*. *Ibid. a.* 5. & 6.

Q. 4. *Quid eſt* (*c*) INVIDIA, *quæ ejus malitia, quæ proprietates, quod remedium?* (*c*) *Vide Tom. I. ſect.* 2. *cap.* 10. *quaſt.* 8. *num.* 6. *ubi ejus filiæ recenſentur.*

℟. Eſt

(*a*) *Omnis qui odit fratrem ſuum*, homicida *eſt*. 1. Joan. 3. 15.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? Ibid c. 4. 20.

Digitized by Google

℞. Eſt triſtitia de bono alterius, & odium alienæ felicitatis, quatenus ea propriam invidentis excellentiam diminuere exiſtimatur.

Crimen eſt *ex genere ſuo* non parùm execrandum, *directè* repugnans charitati proximi, quæ aliena bona reputans velut propria, in iis exultat potiùs quàm triſtetur, aut contabeſcat. Vitium eſt *Capitale*, cujus *filias* alibi recenſuimus; tametſi & ipſum aliunde, nempe ex (*a*) *ſuperbia*, originem trahere ſoleat. Homines porro *dæmonibus* perſimiles reddit; (*b*) *Invidia enim Diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius*. Cæterùm juſto Dei judicio ſolet *invidia* ſuum ſecum ferre ſupplicium, dum invidentis animum alienæ felicitatis conſideratione indeſinenter excruciat.

(a) Galat. 5. 26.

(b) Sap. 2. 24.

INVIDIA *mortalis* eſt, aut *venialis*, pro diverſitate boni quod proximo invidetur, tametſi nihil obſtare videatur, quo minus bonum *magnum* parum, adeoque non niſi *venialiter*; *parvum* vero acerrimè, atque adeo *mortaliter* invideatur. *Diſcrimen* colligendum præcipuè erit ex *effectibus*, V. G. detractionibus, calumniis, ſuſurrationibus, aliiſve injuriis, quibus *bonum ſibi inviſum* auferre quis, aut deſtruere moliatur. Peſſimum autem invidiæ genus, quod & inter peccata in Spiritum S. recenſetur, eſt *fraternæ gratiæ*, ſeu charitatis invidentia.

Differt invidia ab (*c*) *æmulatione*, quod hæc non tam triſtetur de bono proximi, quàm de defectu ſuo, ad alienum bonum, virtutem, felicitatem, aut excellentiam comparato, ideoque ſemetipſam erigit & excitat, non ut aliena malignè arrodat, ſed paria, ſi poſſit,

(c) *Quæ etiam* Zelus *dicitur.*

aut

(*a*) *Non efficiamur* inanis gloriæ *cupidi*, *invicem provocantes*, *invicem* invidentes, *Galat*. 5. 26.

Digitized by Google

aut ſimilia conſequatur. Hæc quidem vitio aliquando non caret, eſt tamen animi erecti & egregii, neque male inter *pueros* laudibus, præmiis, & honoribus excitatur.

Non omnis ergo *triſtitia* de bono proximi, dicenda eſt *invidia*. Nam 1. Si quis de bono alterius triſtetur propter *juſtitiam*, ut ſi *maniſeſtè indigno* magna aliqua in Eccleſia, vel Rep. dignitas conſeratur, *Zelus* eſt, non invidia; quamquam ſe hæc hujuſmodi *pallio* ſæpè ſoleat obvelare. 2. Si quis triſtatur de bono *minore* alterius, quia *majus* impedit, ut de vegeta *ſanitate* juvenis, quia *laſciviam* generat; triſtitia hæc ad *Charitatem* potius quam ad invidiam pertinebit. 3. Si triſtetur de bono alterius, quia vult, ut illi *male* ſit, effectus *odii* eſt. 4. Si quia ipſe eo bono caret, *æmulatio* eſt. 5. Si, quia inde ſibi male metuit, effectus *timoris* eſt.

Remedium invidiæ eſt, *niti in contrarium*, benignitate erga proximum (*a*) *æmulando Chariſmata meliora*; gaudendo de bono alterius tamquam ſuo; omnibus bene volendo, &, ubi facultas adeſt, bene faciendo: hoc denique perſuaſum habendo, quod per aliorum bonam vitam nos ipſi adjuvemur, & eorum dona, felicitas, excellentia, variis modis nobis ipſis plerumque deſerviant.

(*a*) 1. *Cor.* 12. 31.

Q. 5. *Quid eſt* ACEDIA, *quæ ejus malitia, quod remedium?*

℟. Nomen hoc, ſi (*b*) græcam etymologiam ſpectes, *incuriam*, remiſſique animi languorem ſonat. Eſt autem *torpor*, *& triſtitia de bono divino, aggravans animum, ut nihil circa iſtud agere libeat.*

(*b*) *Ex a privat. &* Κῆδος, *id eſt, ſollicitudo.*

Circa bonum divinum *gaudet & fervet* charitas, Acedia *torpet & friget*. Eſt ergo vitium oppoſitum charitati & ſpecialiter con-

Digitized by Google

trarium præcepto de *ſanctificatione ſabbati*; quatenus per illud, ut morale eſt, ſingulariter injungitur, ut mens *Deo vacet*; & in eo *quieſcat*.

(a) Vide Tom. I. ſect.2.cap. 10.quæſt.8 enum.7. ubi ejus filiæ recenſentur.

(b) 2.Cor. 7.10.

Peccatum eſt (a) *Capitale* & *ex genere* ſuo (b) mortale, ac tunc reipſa grave, cum opera ad ſalutem *neceſſaria* præ tædio, eoque *deliberato*, vel non inchoantur, vel inchoata dimittuntur. Aliter dicendum de motibus acediæ *imperfectis*, qui uſque ad *conſenſum rationis* non pertingunt, cujuſmodi & in *viris ſanctis* interdum reperiri poſſunt.

(c) Matth. 25.24.30. Vide etiam c.7.19. Luc.13.7.

Ad Acediam pertinet *pigritia* illa, qua quis tametſi legitimæ vocationis indicia habeat, ſive metu periculorum, ſive amore vitæ mollioris (c) *talentum*, per quod adminiſtrandæ Eccleſiæ utilis eſſet, abſcondit.

(d) Eccli. 30.14.

(e) S.Gregor. in 1. Reg.14.

(f) Philip. 4.4.

(g) Rom. 14.17.

Primum hujus mali *remedium* eſt *expulſio*; de hoc quippe triſtitiæ genere præcipuè dictum eſt: (d) *Triſtitiam longè* REPELLE *à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in ea*. Facilè autem repelletur, (e) ſi ſemper bona cœleſtia cogitentur. (f) *Gaudete ergo in domino ſemper; iterum dico*, ait Apoſtolus, *gaudete*. (g) *Non eſt* enim *Regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax &* GAUDIUM *in Spiritu Sancto*. Gaudium hoc charitatis, *devotionem* generat, *promptam* ſcilicet *voluntatem* ample-

(b) *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*; ſæculi autem triſtitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7. 10.

(c) Serve male & piger ... Tollite *itaque ab eo talentum* ... & inutilem *ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit* fletus & *ſtridor dentium*. Matth. 25. ℣. 26. 28. 30.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, *excidetur, & in ignem mittetur*. *Ibid. c.* 7. 19. *Sola inutilitas ad damnationem ſufficit*. Bern. *Succide illam, ut quid etiam terram occupat*. *Luc.* 13. 7.

Digitized by Google

amplectendi ea, quæ ad divinum cultum pertinent, & ſtudioſè pro ſua quiſque vocatione in alios adminiſtrandi talentum, quod à Deo acceperit.

Alterum remedium præbebit humilis ac ſæpè repetita *oratio* cum *agnitione* propriæ infirmitatis: (*a*) *dormitavit*, ajebat David, *anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis*. „ Cùm (*b*) ergo te torpore, vel acedia, vel „ tædio affici ſentis... juvantis require ma„ num, trahi te obſecrans ſponſæ exemplo; „ donec... ſuſcitante gratia promptior & ala„ crior factus, curras & dicas: *Viam manda„ torum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor „ meum*... Denique... in die virtutis tuæ noli „ eſſe ſecurus, ſed clama ad Deum cum pro„ pheta, & dic: (*c*) *cùm defecerit virtus mea, „ ne derelinquas me*.

(*a*) *Pſal.* 118.28.

(*b*) S. Bernard. *ſerm.* 21. *in Cant.*

(*c*) *Pſal.* 70.9.

Q. 6. Quid & quotuplex eſt SCANDALUM?

℟. *Scandalum* vox græca, propriè ſonat *offendiculum* quodvis (*d*) in via poſitum, ad quod qui impingit, ruat. *Metaphorice*, & ex uſu Eccleſiaſtico Novi Teſtamenti, ſemper accipitur pro eo, quod eſt alicui occaſio, ut labatur in *via veritatis*, aut *juſtitiæ*. A *Tertulliano* (*e*) deſcribitur: *Rei malæ exemplum, ædificans ad delictum*: à (*f*) *S. Thoma* & Scholaſticis: *dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Sub *dicto*, vel *facto* comprehende eorumdem, quando poni debent, *omiſſiones*: id quod multis exemplis, ac præſertim *parentum* illorum, qui coram liberis ſuis officia hominis Chriſtiani apertiſſime negligunt, declarari poteſt. Dicitur *minus rectum*, id eſt, quod in hiſce rerum circumſtantiis

(*d*) *Vide Pſ.* 139.6.

(*e*) *L. de velãd. virginib.*

(*f*) *Q.* 43. *Art.* 1.

(*d*) *Juxta iter* ſcandalum *poſuerunt mihi*. *Pſalm.* 39. 6.

Digitized by Google

(a) 1. Theſ. 5. 22.

ſtantiis (a) *ſpeciem* ſaltem *mali* habet, etſi revera malum in ſe non ſit; uti facilè accidit in eo, qui *venia*, aut *privilegio* indiſcretè utitur, domos *ſuſpectas* frequentat &c. *Occaſionem præbens*, non *cauſſam*, quæ utique citra peccantis hominis voluntatem eſſe non poteſt.

Porrò *Scandalum* aliud *activum* dicitur, aliud *paſſivum*: Aliud *datum*, aliud *acceptum*, ſive aliud *puſillorum*, aliud *Phariſaicum*. Per *activum* item *datum*, proximum *ſcandalizare* quis dicitur: per *paſſivum* item *acceptum*, *ſcandalizari*: cum hac tamen differentia, quod ex ſcandalo *dato*, puſillorum ruina ex *infirmitate*, vel *ignorantia* conſequatur; ex *Phariſaico* autem non niſi ex *malitia* peccantis, (b) quemadmodum *Phariſæi* ex *diviniſſimis* Chriſti operibus in odium, indignationem, & invidiam proruebant.

(b) Vide Matth. 11. 6.

Q. 7. *Quandonam ergo propriè, ſenſuque Theologico* ſcandalizari *aliquis dicitur?*

℞. Cùm occaſione facti dictive alieni à virtute in peccatum *dejicitur*, in peccato *obfirmatur*, vel ad ejus perpetrationem *audacior* redditur. Hoc autem potiſſimùm fieri ſolet *juſſione*, *conſilio*, *conſenſu*; aurium, oculorum, tactuſve *illecebra*, *exemplo*, & rectè agendorum *omiſſione*.

(c) Vide aliam etiam ſcādali acceptionem apud S. Bernard. ſerm. 2. in Feſto S. Michaelis.

Cæterùm (c) *ſcandali* vocem planè aliter *vulgus* uſurpare ſolet, ut nempe aliud fere nihil denotet, quam notabilem animorum *commotionem*, *pudorem*, aut *confuſionem*: adeo ut ſi occaſione facti dictive improbi *bonus* aliquis graviter *offendatur*, juſteve indignetur, hunc *ſcandalizatum* fuiſſe dicere ſoleat: contra

(a) *Ab* omni ſpecie mala *abſtinete vos*. 1. *Theſſ.* 5. 22.

(b) *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me*. Matth. 11. 6.

Digitized by Google

tra verò ſcandalum abeſſe credat, ſi homines nequam adeò non offendantur talibus, ut etiam ultro delectentur. Hi certè *ſcandalum verum* ſubeunt, prior autem iſte nequaquam.

Q. 8. *Scandalum an & quale peccatum eſt?*

℞. *Paſſivum* proculdubiò ſemper peccatum eſt, ſed *generale*, neque diſtinctum ab eo quod *activi*, vel *accepti* ſcandali occaſione committitur. *Activum* peccatum eſt *ſpeciale*, quatenus proximi ruina *intenditur*, vel factum dictumve tale eſt, ut in ruinam alium per ſe inducere *natum* ſit. *Gravitas* ejus non ex ruinæ *eventu*, ſed ex *intentione* & ipſius operis *conditione* æſtimanda eſt. *Atrociſſimum* ſcandali genus eſt & malitiæ diabolicæ, cùm ſpiritualis proximi ruina *directe* intenditur, tametſi Deo prohibente non ſequatur; ille *ſtat*, ſed tu totius coram Deo flagitii reus es. Neque tamen ad rationem ſcandali neceſſe eſt alterius lapſum *directe* intendi: (*a*) ſufficit *præviderì* poſſe ac debere, ex facto dictove tuo minùs recto ſecuturum, vel certe natum eſſe ut ſequatur. Quinimo ſcandalum *mortale* admitti poteſt, etiamſi res, per quam datur, in ſe *mala* non ſit, quando ſcilicet ſalus proximi, quæ periclitari poſſet, contemnitur, (*b*) „ ut ſi pro ea conſervanda non prætermittat „ aliquis facere, quod ſibi libuerit.

(*b*) *Ibid. art. 4. c.*

Peccatum ſcandali *gravius* & *pericoloſius* eſſe ſolet in *ſuperioribus*, perſoniſque divino cultui *conſecratis*, ac præſertim in publicis Eccleſiæ *miniſtris*. Hic, ſi uſquam, verum eſt, (*c*) *væ mundo à ſcandalis: væ homini illi, per quem ſcandalum venit*.

(*c*) *Matth. 18. 7.*

Q. 9.

(*a*) S. Thom. *art. 1. ad 3. Vel etiam ſi hoc ipſe non intendat, & ipſum factum eſt tale, quod de ſui ratione habet, quòd ſit inductivum ad peccandum.*

Digitized by Google

Q.9. *Quænam ad* evitandum *ſcandalum* fieri; *quænam* omitti *debent?*

℟. Quidquid *ſalva pietate* fieri, aut omitti poteſt, agatur, aut omittatur; quapropter (*a*) *ſi eſca ſcandalizet Fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne Fratrem meum ſcandalizem*, ſi modo ex infirmitate, vel ignorantia, non verò (*b*) ex animi ſui pravitate offendendus ſit. 2. Nullum evitando ſcandalo *peccatum* committendum eſt, vel præceptum omittendum; *propria* enimvero ſalus præponderat *alienæ*, neque ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Imo hæc Regula *ordinarie* ſervanda eſt: (*c*) *ſi de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur*. 3. Interdum tamen ad evitandum ſcandalum *puſillorum*, omittenda, *occultanda*, vel ad tempus *differenda* ſunt bona etiam *ſpiritualia*, modo ne ſint ad ſalutem *neceſſaria*. Bona etiam *temporalia*, de quibus liberam habemus diſpoſitionem, ſi aliter *puſillorum* ſcandalum ſedari non poteſt, nonnumquam negligenda ſunt; quamquam iis ordinariè cedendum non eſt, ſi ex *malitia* ſcandalum oriatur. 4. Conſequitur, longè magis vitanda eſſe quæ vel ex ſe mala ſunt, vel certe (*d*) malo valde affinia, ex quibus aliena ruina ſequi nata ſit, cujuſmodi ſunt: oculus laſcivus, verba impura, geſtus obſcæni, colli & pectoris nuditas, libri, ſtatuæ, imagines, & cantiones ad luxuriam provocantes: (*e*) Væ Mu-

(*a*) 1. *Cor.* 8. 13. *vide etiã Rom.* 14. 14.

(*b*) *Matth.* 15. 14. *Vide ſupra q.* 6.

(*c*) S. Gregor. *Hom.* V. *in Ezec.*

(*d*) *Vide Matth.* 15. 16. *Rom.* 12. 17 1. *Theſſ.* 5. 22.

(*e*) *Vide Matth.* 18. 6.

(*b*) *Tunc accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: ſcis quia* Phariſæi, *audito verbo hoc*, ſcandalizati ſunt? *At ille reſpondens ait; omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cæleſtis, eradicabitur*. Sinite illos, *cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem ſi &c. Matth.* 15. 12. 14.

Digitized by Google

Mulieribus impudentibus! væ pictoribus, ſculptoribus, ſcriptoribus, poetis, librariis, cæteriſque artificioſa *venena* ad animarum perniciem diffundentibus!

Q. 10. *Quid contra faciendum eſt, ut adversùs ſcandala* muniamur?

℞. 1. Quidquid charum eſt, ſi perniciem animæ adferat, abjiciendum eſt. (*a*) *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum & projice abs te.* 2. Animo contra vim mali exempli obfirmato, omnibus quorumcumque hominum *exemplis* doctrinæ *Euangelicæ* ſtabiliſſima veritas præponatur. *Imitatores mei eſtote*, ajebat Apoſtolus, (*b*) ſed addebat, *ſicut & ego Chriſti*. Non *mos*, non *conſuetudo*, ſed (*c*) *Sermo, quem locutus* eſt nobis, *ille judicabit in noviſſimo die*. Soli ergo Deo firmiter inhærendum, cujus eſt immutabilis bonitas: ceteris non aliter, niſi quatenus & ipſi inhærent Deo & J. C. Qui ſic animo affecti ſunt, quantumcumque videant alios *inordinate* ſe habere dictis, vel factis, ipſi à ſua rectitudine non recedunt; nempe (*d*) *pax multa diligentibus legem* Domini, & *non eſt illis ſcandalum*.

(*a*) *Matth.* 5.29.

(*b*) *Philip.* 3.17.

(*c*) *Joan.* 12.48.

(*d*) *Pſal.* 118. 165. *Vide etiam Pſal.* 124. 1. & 90.12. *Rom.* 8.38. 1. *Joan.* 2.10.

CAPUT VII.

De LEGIBUS, *ac primò quidem de* ÆTERNA, & NATURALI.

Vide S. Th. 1.2. *qu.*90. & *quatuor ſeqq.*

AD *Charitatem*, de qua hucuſque tractavimus, leges & præcepta reducimus: quia teſte Apoſtolo (*e*) *finis præcepti eſt Charitas*, & quidquid in utraque Legis decalogicæ tabula

(*e*) 1. *Tim.* 1. 5.

Digitized by Google

bula continetur, ad geminam Dei & proximi dilectionem, (*a*) Christo ipſo atteſtante, revocatur. Priuſquam verò ad *Decalogi* explicationem procedatur, generalior tractatio præmittenda eſt de *Lege* æterna, naturali, ac divina poſitiva: de Legibus autem *humanis* dicetur infra, poſt præcepta decalogi.

(*a*) *Matth.* 22. 40.

Q. 1. *Quid eſt* Lex, *& quotuplex?*

℟. *Lex*, (*b*) ſive à *legendo*, ſive à *deligendo*, ſive à *ligando* dicta ſit, generatim ſpectata, eſt quædam morum regula, *per* quam & *ſecundum* quam, ad *agendum* inducimur, vel ab *agendo* retrahimur, utrumque cum *obligatione* parendi; qua in re *lex* à *conſilio* diſtinguitur: à *præcepto* verò, quod hoc perſonam ac bonum *privatum* poſcit, illa communitatem ac bonum *publicum*, reſpicere debeat.

(*b*) Νόμος *à Græcis dicitur, quod per eam ſuum cuique tribuatur.*

Lex à Theologis poſt *S. Thomam*, hoc modo definiri ſolet: ſtabilis *quædam ordinatio rationis*, id eſt, rationabile imperium, *ad bonum commune*, *ab eo qui curam habet communitatis*, *promulgata*. Etenim, ut lex vim *obligandi* obtineat, *promulgatione* opus eſt, qua innoteſcat, eaque hujuſmodi, quæ & *conditione* ipſius legis, & ſtatutis ac *moribus* eorum, quibus fertur, congruat. Quòd ſi *rationi* contraria eſt, hoc ipſo *nulla* eſt, quia *injuſta*; erit autem rationi contraria, ſi *bono communi* adverſetur. Omnis porrò legum ferendarum (*c*) *poteſtas*, ſi non immediatè, ſaltem mediatè *à Deo* eſt, & per eam, aut ipſa *communitas* ſibi ipſi, aut is qui legitima authoritate eam *gubernandam* ſuſcepit, ipſi leges imponit.

(*c*) *Rom.* 13. 1.

Lex alia *naturalis* eſt, alia *poſitiva*. Naturalis in Deo *æterna* eſt, in creatura rationali *tempo-*

(*c*) ***Non eſt enim*** poteſtas niſi à Deo ***: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Rom.*** 13. 1.

Digitized by Google

temporalis; poſitiva, alia *divina* eſt, alia humana. Humana, diſpertitur in *jus gentium*, legemque *Eccleſiaſticam* & *civilem*: ſed de his infra tractabitur.

Q. 2. *Quæ differentia eſt inter legem* ÆTERNAM & NATURALEM?

℞. Cùm voluntas humana, quia defectibilis eſt, ſua ſibi *Regula* eſſe non poſſit, neceſſe eſt, ut actus ejus ab *indefectibili* voluntate tamquam à regula ordinentur; cui ſi conformes fuerint, boni; ſi difformes, mali erunt atque perverſi. Regula hæc eſt lex *æterna*, quæ ab (*a*) *Aug.* deſcribitur: *Ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*: ſive eſt, ratio divinæ *ſapientiæ* & incommutabilis æquitatis, *directrix* actuum & omiſſionum, quæ ex ſe ſunt *neceſſariæ*, ut creatura rationalis *fini ſuo*, uti par eſt, inhæreat. (*a*) *L. 22. cont. Fauſt. c. 27.*

Æternæ hujus legis *participatio in creatura rationali*, lex *naturalis* dicitur. *Æterna* igitur in Deo eſt, & ipſemet Deus: *naturalis*, radius illius eſt menti rationali impreſſus, ita ut hæc ab illa vix aliter differat, quàm à *ſigillo* ejuſdem ſigilli *impreſſio* in cera, aut alia quavis materia.

Cæterùm à lege *naturali* & æterna, *omnis* lex humana, ſi juſta eſt, *derivatur*; addens quidem aliquid, ſed quod ab illa *non deviet*, quin potiùs ad illius *obſervationem* aliqua ex parte conducat. *Ex libro lucis illius, qui veritas dicitur*, ait (*b*) *Aug. omnis lex juſta deſcribitur*, quin nec aliunde *vim obligandi* accipit, quatenus ea ipſa lex æterna juſtis hominum legibus obtemperandum eſſe præſcribit. (*b*) *L. 14. Trin. c. 15. Vide etiam L. 1. de lib. arb. c. 6. & q. 67. in Exod. & Prov. 8, 15.*

Legi

(*b*) Per me *reges regnant, & legum conditores* juſta *decernunt. Prov. 8, 15.*

Legi *æternæ* ſubſunt creaturæ *omnes*; aliter tamen *irrationales*, quæ utique non agunt, ſed aguntur in finem; aliter *rationales*, id eſt, Angeli & homines, qui, ſi *boni* ſunt, ei *perfectè* ſubduntur, quatenus ſecundùm eam plerumque operantur: ſi verò *mali*, dumtaxat *imperfectè*. Verùm, quod hac ex parte deficit, aliunde ſuppletur, quando fugientes voluntatem Dei *jubentem*, juſte incurrunt in *punientem*. Denique lex *naturalis* obligat *omnes homines*, etiam *pueros* & *amentes*; ſed hos obligatione tantùm radicali & *imperfectâ*.

Q. 3. *Quomodo lex naturalis* differt à DIVINA POSITIVA?

℞. *Naturalem* Deus creator ſingulorum hominum (*a*) *cordibus* indidit, eamque cum *natura* quodammodo *promulgavit*: nempe (*b*) *gentes*, *quæ legem* ſcriptam *non habent*, NATURALITER, inquit Apoſtolus, *ea quæ legis ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*. Ea (*c*) igitur lex non ſcribitur, „ ſed innaſcitur, nec aliqua percipitur lectio„ ne, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſin„ gulis exprimitur, & humanis ingeniis hau„ ritur, „ proinde juxta divinæ ſapientiæ & incommutabilis æquitatis regulas, creaturam rationalem *inſeparabili* nexu conſequitur, ita ut ſine *naturali* lege *condi* hæc neque potuerit, neque poſſit. POSITIVA verò, ex libera & arbitraria Dei voluntate promanat, & uti creaturæ rationali *imponi* potuit, ita ab eadem etiam *auferri* poteſt, cùm ita viſum fuerit Deo legislatori, id quod circa legem *veterem* certum eſt contigiſſe.

(*a*) *Pſal.* 4. 7.

(*b*) *Rom.* 2. 14.

(*c*) S. Ambr. *Ep.* 41. *ad Iren.* *nunc* 73.

Q. 4. QUÆNAM *pertinent ad legem naturalem?*

℞. Per·

(*a*) Signatum eſt ſuper nos *lumen vultus tui*, *Domine*, *Pſalm.* 4. 7.

Digitized by Google

℞. Pertinent ad eam non ſolum generalia quædam *principia*, ſed & *concluſiones*, ac *remotiſſima* quæque, in quibus ut *bonum* quidpiam eſſet, aut *malum*, ARBITRARIA Dei voluntate opus non fuit, hujuſmodi ſunt, quæcumque in *infidelibus*, qui ſine lege *ſcripta* peccarunt, Deus *punivit*: ita de *furto* ajebat *Aug.* „ (*a*) furtum punit lex tua, Domine, & „ lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne „ ipſa quidem delet iniquitas. Poſt hæc, omnes etiam fere *omnium virtutum* actus, ſecundum *generalem* quamdam rationem, pertinent ad legem naturæ.

(*a*) *L.* 2. *Conf. c.* 4.

Tametſi autem *multa* ſint legis naturæ præcepta, omnia tamen ad unum *commune* reducuntur, quod eſt: *bonum eſſe amplectendum, & malum fugiendum*. Latiſſimè etiam patet alterum illud tam *naturalis*, quam *Evangelicæ* legis præceptum: (*b*) *omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Ex priori ſequitur, DEO *ante omnia* fideliſſimè ac conſtantiſſime ſerviendum: ex poſteriori, omnes homines ſincero affectu *diligendos*, nemini quavis ratione *nocendum* &c.

(*b*) *Matth.* 7. 12.

Q. 5. *Poteſtne lex naturalis de cordibus hominum deleri*, & INVINCIBILITER ignorari?

℞. *Prima* ejus *principia* à nemine, qui rationis compos ſit, ignorantur, quia è cordibus hominum *deleri* non poſſunt: poſſunt autem cetera, ſed plerumque non niſi (*c*) *propter malas perſuaſiones, pravas conſuetudines, & habitus corruptos*; unde ſatis certum eſt, ea quæ ex primis principiis *proximè* deducuntur, cujuſmodi ea ſunt, quæ lege *decalogi* continentur, non poſſe *invincibiliter*, aut inculpabiliter ignorari. Huc ſane reſpexit Apoſtolus, cum dixit: (*d*) *qui ſine lege peccaverunt, ſine*

(*c*) S. Thom. 1. 2. *q.* 29. *art.* 6.

(*d*) *Rom.* 2. 12.

Digitized by Google

lege peribunt: & alibi Pſalmiſta: (*a*) *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt;* quæ idcircò dicta ſunt, quòd lex naturalis apud *omnes eadem* atque immutabilis ſit, à qua (in iis ſaltem de quibus nunc agimus) nec *ignorantia*, nec prava *conſuetudo*, nec *contraria lex* poſitiva, valeant excuſare; uti certo excuſati coram Deo non ſunt, qui vel (*b*) univerſale diluvium, vel (*c*) ignem è cœlo, ſuis adversùs naturalem legem flagitiis, provocaverunt.

(*a*) *Pſal.* 78. 6.

(*b*) *Gen.* 6.

(*c*) *Ibid.* 19.

At verò, quod attinet ad *remotiores* concluſiones, quæ non niſi labore, ſtudio & induſtria *ſapientum*, ex præcedentibus colliguntur, poſſintne ſaltem illæ *omninò* invincibiliter ignorari, ita ut ne quidem *practice* (id eſt non tantum ſtudio & inquiſitione intellectus, verum etiam adhibendo ſtudium voluntatis, & expurgationem cordis) ea ignorantia *ſuperari* poſſit, id uſque hodie inter Theologis *controverſum* eſt. Hoc *certum* eſt (*d*) quod ſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, ea operantem ex ipſa, etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ, excuſatura ſit à peccato formali.

(*d*) Ex *Prop.* 2. *inter* 31. Alex. VIII.

Præterea ii, qui exiſtimant nullam legis naturalis ignorantiam *omninò* invincibilem eſſe ubi *agendum* eſt, hoc ſaltem admittere ſolent, & debent, eouſque peccati malitiam per eam diminui poſſe, ut quæ alioquin futura erat *mortalis*, jam tantum ſit venialis.

Q. 6. *Poteſtne Lex naturalis* MUTATIONEM, *aut* DISPENSATIONEM *pati?*

℞. Uti *naturam hominis* homo exuere nequit, (*e*) ita ſine lege naturali eſſe non poteſt: regula utique rectæ rationis, ab æterna & immutabili lege, menti rationali impreſſa, neque ab ea *auferri*, neque *contrahi* poteſt. Quapropter certum eſt legem naturalem *abrogari*

(*e*) Vide S. Aug. *in Pſal.* 118. *Conc.* 25.

Digitized by Google

gari non poſſe, neque quod *ſemel* ad legem naturæ pertinuit, *manentibus iiſdem rerum circumſtantiis*, ad illam poſſe *non pertinere*; proinde veri nominis *mutationem*, aut *diſpenſationem* lex hæc non admittit.

Fieri tamen poteſt, non quidem in præceptis *primæ* tabulæ, ſed *ſecundæ*, ut *mutatis* rerum circumſtantiis, ſive per *mutationem materiæ*, ſine crimine fiat, quod lege naturæ univerſim dicitur prohiberi. *Furtum* lex naturalis prohibet, ſed *deſinet* furtum eſſe, ſi *extrema neceſſitas* ingruat: deſinit etiam, ſi Deus ipſe, qui rerum omnium Dominus eſt, *dominium* transferat rerum ablatarum, uti (*a*) in *Hebræos* tranſtulit ſpolia *Ægyptiorum*. *Homicidium* pariter lege naturali vetari dicitur, & tamen innoxia cædes eſt, ſi vel expreſſo Dei *mandato*, vel *legitimo* adversùs malefactores judicio, fiat, quia ſupremus vitæ & mortis arbiter caſus illos ſua lege non comprehendit. Simile quiddam eſt in *conjugio fratris cum ſorore*, quod *initio* orbis conditi certò licuit, *nunc* autem genere humano ſufficienter *propagato*, ipſa naturæ lege prohiberi communiter exiſtimatur. *Polygamia* etiam olim, & ante legem *Patriarchis*, & ſub lege Iſraelitis, populo Dei propagando, conceſſa fuit; quæ tamen paſſim creditur juri naturæ, ſaltem *ſecundario*, repugnare. *Votum* etiam & *juramentum*, in quibus nonnumquam *diſpenſatur*, lege *naturali* obligant: ſed non aliter, niſi quamdiu iſtud obligationis *vinculum* per *legitimam* authoritatem, ac Dei nomine, ob *juſtam cauſſam* non eſt *ſublatum*.

(*a*) *Exod.* 12. 36.

Q. 7. *Admittitne lex naturalis* EPIIKIAM?

℞. Cùm nulla ſit *circumſtantia* in iis, quæ ad legem naturæ pertinent, quam non præviderit auctor illius DEUS, cumque legem illam

ſuam *præciſe reſtrinxerit* quoad omnia, uti reſtringi debuit, nullus in ea locus eſt *Epiikiæ proprie dictæ*, per quam nempe *generalitas* ejus contrahatur & corrigatur; eſt tamen locus Epiikiæ *latius dictæ*, id eſt, *interpretationi*, ſive divinæ, ſive etiam humanæ.

CAPUT VIII.

De Lege POSITIVA DIVINA *Vetere & Nova*.

QUæſtio I. *Quæ & quotuplex eſt* lex divina poſitiva?

℟. Sic ea lex dicitur, quam Deus *libera & arbitraria voluntate* conſtituit. Et quamquam dubitari non poteſt, quin & ante *Moſem* poſitivæ aliquæ à Deo leges hominibus datæ fuerint, uti de (*a*) *primis parentibus* in Paradiſo, de (*b*) *Noemo*, ac de (*c*) *Abrahamo* certum eſt; non ſolet tamen lex poſitiva niſi biſariam dividi, in *veterem* ſcilicet, ſive *Moſaicam*, & *novam*, ſive *Euangelicam*.

(*a*) *Gen.* 3. 3. (*b*) *Ibid.* 9. 4. (*c*) *Ibid.* 17. 10.

Ut *naturalem* legem peccato obſcuratam renovaret ac reſtitueret Deus, VETEREM illam, quam *Moſaicam* dicimus, electo à ſe populo Hebræorum impoſuit, quam quidem DEUS ipſe *tulit*, ſed per miniſterium (*d*) *Angelorum* MOSI dedit Iſraelitis *promulgandam*. Hæc *ſoli* quidem populo iſti data eſt, non tamen penitus excludendo *gentiles*, qui per *circumciſionem* in Judæorum ritus (*e*) tranſeuntes, debitores (*f*) fie-

(*d*) *Gal.* 3. 19. (*e*) Proſelyti *dicebantur*. (*f*) *Gal.* 5. 3.

(*d*) *Ordinata per* Angelos, *in manu* mediatoris, *Gal.* 3. 19.

(*f*) *Teſtificor autem rurſus omni homini* circumcidenti ſe, *quoniam debitor eſt* univerſæ legis *faciendæ*. *Ibid.* *c.* 5. 3.

Digitized by Google

fiebant *univerſæ legis faciendæ*. Cæterum; quia hæc *nihil ad perfectum* (*a*) adducere potuit, & ad *tempus* tantum (*b*) *correctionis* impoſita fuerat, poſtquam advenit (*c*) *plenitudo temporis*, NOVA, à Jeſu Chriſto inſtituta eſt, quæ (*d*) *gratiam* & *veritatem* contineret, quæque ad univerſas nationes pertineret, quibus idcirco ab *Apoſtolis* (*e*) eorumque ſucceſſoribus toto orbe promulgata eſt.

(*a*) Hebr. 7.19. (*b*) Ibid. 9.10. (*c*) Gal. 4.4. (*d*) Joan. 1.17. (*e*) Vide Tom. I. ſect.1.cap. 26.quæſt.1. (*f*) Deut. 5.31.

Q.2. *Quotuplicia fuerunt veteris legis præcepta?*

℞. Triplicia; (*f*) Moralia, cæremonialia & judicialia.

Moralia, ſic dicta ſunt quod *mores* ad rectitudinem informarent, quæ omnia reducuntur ad præcepta *Decalogi*, de quibus poſtea tractabitur.

Cæremonialia, ad ritus & cæremonias divini cultus pertinebant & ad quatuor rediguntur capita; *Sacrificia*, *Sacramenta*, *ſacra*, & *obſervantias*. *Sacrificiis* ſupremus Deo cultus exhibebatur; *Sacramenta*, ad populi, aut Sacerdotum & Levitarum ſanctificationem ſpectabant; *ſacra*, ad divini cultus inſtrumenta pertinebant; *obſervantiæ*, colentes Deum à non colentibus diſtinguebant. *Rudi* populo, & ad *idololatriam* mirifice ſemper proclivi, multorum hujuſmodi præceptorum ſervitus imponenda fuit, quo veluti fræno in officio contineretur. Omnia autem *in figura* contingebant illi, & ſub ſenſibilium rituum velamine, quæ ad J.C. & legem Euangelicam pertinent, prænuntiabantur. Horum omnium rationem, tum

(*f*) *Loquar tibi omnia* mandata *mea*, & cæremonias *atque* judicia, *quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo eis in poſſeſſionem*. *Deut.* 5.31.

Digitized by Google

literalem, tum *figuralem*, ſapientiſſimè expeditam invenies apud (*a*) *S.Thomam*.

(*a*) 1.2.q. 102. *Vide etiam* Analog. Becani *cap.* 12. 13. 14. & 15.

Judicialia, politicum *regimen*, externamque, qua ad invicem homines ordinantur, *juriſdictionem* dirigebant, & ad quatuor itidem capita revocari poſſunt, 1. Poteſtatem & munia *principum*: 2. Convictum *popularium*: 3. Curam *domeſticorum*: 4. Amorem, vel propulſationem *exterorum*, de quibus videri etiam poterit (*b*) *S.Thomas*.

(*b*) 1.2.q. 105. & Analog. Becà *cap.* 16. *uſque ad finem*.

Q. 3. *Num uſque hodie veteris legis* obligatio *perſeverat?*

℞. Nequaquam; nam poſtquam (*c*) *conſummatum* fuit id quod per illam præcipue *præfiguratum* fuerat, Chriſto moriente *mortua* eſt, & (*d*) *velo templi ſciſſo* in duas partes à ſummo uſque deorſum, ipſa quoque lex veſtus ſciſſa & *abrogata* eſt. Quin etiam ſucceſſu temporis factum eſt, ut, ſine *crimine* falſi ac ſuperſtitioſi cultus, amplius ſervari non poſſit, adeo ut non tantum *mortua*, verùm etiam *mortifera* facta ſit.

(*c*) Joan. 19.30.
(*d*) *Matth.* 27.51.

Q. 4. *Habetne id locum quoad omnia V.L. præcepta?*

℞. Minime; præcepta quippe *moralia*, ticùm ad immutabilem *naturæ* legem pertineant, etiam ante legem *ſcriptam* obligabant, & nullo unquam tempore *deſinent* obligare.

Judicialia vim quidem obligandi amiſerunt, & per J. Chriſtum *evacuata* ſunt; ſed nihil impedit, quo minus ab Eccleſiæ præpoſitis eorum obſervatio (*e*) etiam nunc præcipi poſſet. At *cæremonialia*, quæ utique *Chriſtum* adhuc *venturum* prænuntiabant, non modo hodie non obligant, ſed neque ſine *crimine* ſervari poſſunt, & hac parte Lex Moſaica *mortifera* facta eſt.

(*e*) S.Th. q.104. a.3.

Q. 5. *Si-*

Q. 5. *Simulne lex vetus* mortua *eſt & facta* mortifera?

℞. Acris de hac re diſceptatio fuit inter SS. *Hieronymum* (*a*) & *Auguſtinum*, illo aſfirmante, hoc negante.

Conſtat, *Apoſtolos*, (*b*) primoſque è *Judæis* converſos *fideles*, cæremonias rituſque Moſaicos, dudum etiam poſt Chriſti in cœlos aſcenſum & Spiritus S. adventum, *frequentare* conſueviſſe: (*c*) minime autem congruum videtur aſſerere, id eos non ex *animo*, ſed pia quadam *ſimulatione* feciſſe, ne Judæis ſcandalo eſſent, eorumque converſionem impedirent: hujuſmodi enim *occultatio* veritatis, una cum *ſimulatione*, in rebus ad *ſalutem* fidelium pertinentibus, non videtur Apoſtolis convenire potuiſſe.

Quocirca prævaluit *ſententia S. Auguſtini*, legem Chriſto moriente *mortuam*, ſed nondum ſtatim factam eſſe *mortiferam*. Nempe ſicuti homines mortui non *ſtatim* abjici, ſed aliquamdiu ſervari ſolent, priuſquam *ſepulturæ* mandentur; ita *legalia*, tametſi *ceu viva*, poſt Chriſti mortem ſine crimine ſervari non poſſent, recte tamen *ut mortua*, uſque ad *Euangelii* divulgationem ſervata ſunt, ut Synagoga, quæ à Deo habebat originem, *cum honore* ſepeliretur.

Quo verò præcisè TEMPORE *mortifera* facta ſint, non ſatis conſtat, quamquam communis fere opinio eſt, XL. circiter poſt Chriſti mortem annis, in *ruderibus* civitatis ſanctæ, *Templique* & *altaris* à Romanis everſi, legem quoque ac Synagogam *tumulatam* fuiſſe.

Q. 6. *Quandonam* LEX NOVA *obligare incepit?*

℞. Veroſimile eſt, obligationem ejus incepiſſe ipſo die *Pentecoſtes* (*d*) quo poſt adventum

(*a*) *Vide inter Epiſtolas* S. Auguſt. 72. 7. 75. 81. & 82. *Nov Edit.*

(*b*) *Vide Act. c.* 16. *c.* 18. & *c.* 21.

(*c*) *Vide* S. Thom. *q.* 103 *art* 4. *ad* 1.

(*d*) *Act.* 2, 4.

Spiritus S. tam ſolemniter publicata *de Sion*, ut Propheta (*a*) prædixerat, *exivit lex & verbum Domini de Jeruſalem*, quemadmodum *pari* olim die in *Monte Sinai* lex vetus fuerat promulgata. Cœperit ergo tunc obligare Judæos, qui *Hieroſolymis* verſabantur; ſucceſſu vero temporis alibi quoque promulgata, Judæos deinceps reliquos, & *gentiles* adſtrinxerit.

Q. 7. *Quid potiſſimum* continet *lex nova*, *ſive Euangelica?*

℞. Lex Nova *principaliter* eſt ipſa Spiritus Sancti *gratia*, in *cordibus* (*b*) fidelium ſcripta; unde ſine ulla nova *ſcriptura* ſubſiſtere potuit, & *aliquamdiu* ſubſtitit. Acceſſit poſtea N. T. ſcriptura, in qua ad Euangelicæ legis elucidationem, præter legem naturalem *accuratius* explicatam, *pauca* continentur (*c*) *præcepta*, & nonnulla (*d*) *conſilia*. Hæc autem omnia præcipue exhibentur in *eo ſermone* (*e*) quem Dominus *in monte* propoſuit, qui, teſte *Auguſtino*, totam Chriſtianæ vitæ informationem continet, nec actus tantùm *exteriores*, verum etiam *interiores* motus perfecte componit. Cæterum cum lex *nova*, lex ſit *libertatis*, præceptis recte *conſilia* adjuncta ſunt, quibus melius & *expeditius*, qui ea *libera* optione eligere voluerint, beatitudinem conſequantur.

Hoc quoque obſervatu dignum eſt, mirabilem quamdam eſſe inter Veterem novamque legem *analogiam*: omnia enimverò *in figuris* contigerunt illis, qui ſub priori Teſtamento vixerant; adeo ut *Lex*, *Pſalmi*, & *Prophetæ*, Chriſtiano homini ſedulo animadvertenti, CHRISTUM ubique ſonent, etſi ſub variis ſæpe rerum verborumque involucris. Cuncta quoque V. L. Sacrificia, *Chriſti Sacrificium*, cruentum pari-

(*a*) *Iſai.* 2.3.

(*b*) *Jerem.* 31. 33.

(*c*) *Circa fidem, ſpem pœnitentiam, & cætera Sacramenta.*

(*d*) *Vide Matth.* 19. ꝟ. 12. & 21. *Luc* 9.23.

(*e*) *Matth.* 5.6. & 7. *Luc.* 6. & 11. &c.

riter & incruentum, præſignarunt; ita quidem ut omnis legalium victimarum differentia in *una* Novæ Legis hoſtia concludatur, in qua *ipſa Chriſti caro* pro nobis olim immolata, myſticeque iterum per conſecrationem oblata, nobis in *propria ſubſtantia* ſumenda traditur, quemadmodum in Veteri Lege *pacificarum* victimarum carnes, ab iis, pro quibus oblatæ fuerant, *edebantur*.

Q. 8. *Quænam inter* Veterem *ac* Novam *legem differentia eſt?*

℟. Facile ex jam dictis intelligi poteſt, eſſe multiplicem. 1. VETUS ad *tempus* dumtaxat (*a*) *correctionis* impoſita, finem aliquando erat habitura: EUANGELICA *novum & æternum* (*b*) continet Teſtamentum uſque ad finem ſæculi duraturum, cui proinde aliud *nullum ſucceſſurum eſt*.

(*a*) *Hebr.* 9.10.
(*b*) *Hebr.* 13.20.

Tametſi itaque veteris legis Synagoga, quamdiu *ſtatum* habuit, non ſecus ac Novæ Legis Eccleſia, in veri Dei agnitione & cultu *viſibilis* ſemper fuerit ac *indefectibilis*; hoc tamen inter utramque intereſt, quod veterem *antiquandam*, novam verò *ſempiternam* fore, Spiritus Sanctus ſæpe, ac diſertiſſime revelarit. Adveniente ergo *luce*, neceſſe fuit *umbram* evaneſcere.

2. In *Veteri* (*c*) non invenitur aperte *promitti*, niſi *terrena felicitas*; in *nova* apertiſſimè promittitur *vita æterna*.

(*c*) S. Aug. *L. de geſt. Pelag. c.* 5. *n.* 14.

3. *Vetus* magna præceptorum numeroſitate exteriores dirigebat actus, ac præſertim *timore* cohibebat *manum*: nova *interiores* præcipue motus componit, & *amore* magis allicit, quam timore compellat. *Hæc eſt*, ait *Auguſt.* (*d*) *Breviſſima & apertiſſima duorum Teſtamentorum differentia, Timor, & Amor.*

(*d*) *L. cont. Adimant. cap.* 17. *n.* 2.

4. *Vetus* lex *bona* (*e*) quidem fuit, quia à

(*e*) *Rom.* 7. 22.

(a) Gal. 3.24. (b) Hebr. 7.19. Deo bono data, *ſancta*, *juſta*, & *utilis* (a) fuit, ſed (b) *imperfecta*, & inidonea, quæ *per ſe* hominem adduceret ad ſalutem; NOVA modis omnibus *perfecta* eſt, & cum *principaliter* ſit ipſa Spiritus S. *gratia*, per ſe ſufficit ad ſalutem. Atque hoc eſt quod toties inculcat *Apoſtolus* in Epiſt. *ad Rom.* & *ad Galat.* neminem juſtificari ex *operibus legis*, ſed ex *fide* in J. Chriſtum. Quo etiam ſpectant hæc ejuſdem Apoſtoli verba: (c) *litera occidit*, *ſpiritus autem vivificat*; litera nempe legis Moſaicæ mortem intentat tranſgreſſoribus, nec tamen *ipſa* præbet *auxilium gratiæ* quo obſervetur. Hoc à nova Lege petendum eſt, quæ præter externam *literam* præcipientem, præbet internum *ſpiritum* corroborantem, & adjuvantem, uti latius explicat *Auguſtinus* lib. de Spiritu & litera, (d) & alibi ſæpe adversùs *Pelagianos*.

(c) 2. Cor. 3.6.

(d) Cap. 13.

Q. 9. Nemone *ergo ſub* Lege Moſaica *juſtificatus eſt*, *aut ſalutem conſecutus*?

℟. Imo verò *plurimi*; (e) licet enim lex illa præbere PER SE gratiam non potuerit, falſum tamen eſt, *nullam* fuiſſe datam iis, qui *ſub lege* erant, omneſque adeo in ſua paſſim *impotentia* fuiſſe relictos, & vix ullos eo tempore fuiſſe *filios Dei*, ſed tantum *ſervos*. *Uberior* (f) quidem & abundantior gratia datur haud dubie ſub lege nova, ceu fructus ſanguinis à Chriſto pro nobis *effuſi*. At ſanguis ille, etſi nondum fuſus, ſed adhuc *fundendus*, *anticipatione* (g) quadam vim ſuam etiam in anteacta tempora exeruit, ut qui per eam in Chriſtum *venturum* crederent, per hujus *merita*, nondum quidem exhibita, ſed tamen ſuo tempore *exhibenda*, gratiam obtinerent, per quam à peccatis liberati adoptionem Filiorum Dei conſequerentur.

(e) Vide Propp. 6. 7. 8. & 65. inter 101. Clem. XI.

(f) Joan. 1. 17. S. Thom. q. 106 art. 3. 0.

(g) Apoc. 13. 8. vide Tom. I. ſec. 1. cap. 11. q. 7.

Digitized by Google

Q. 10. *Quomodo homini juſto* in Lege Domini *meditandum eſſe dicitur* (*a*) die ac nocte?

℟. Lex Domini, ſive *naturalis*, ſive *poſitiva*, ita illi aſſidue cogitanda, ruminanda, & amanda eſt, ut quidquid agendum eſt, non niſi ad hanc regulam & normam exigatur. Quamvis enim vir juſtus, inter tam varias vitæ hujus occupationes, & diſtractiones, *vacare interdum* poſſit à Divinæ Legis contemplatione; oportet tamen ut *frequentiſſimè* ad illius præcepta animum revocet, præſertim ubi aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit, in quo periculum ſit, ne *juſtitia* violetur. Et quamvis commune hoc ſit omnibus pie juſteque vivere volentibus, ſingularius tamen impleri decet in Sacerdotibus, Clericis, ac Religioſis, quorum ea fere unica profeſſio eſt, quibuſque ideo in dies recitandus proponitur Pſalmus CXVIII. qui uti omnium (*b*) *longiſſimus*, ita & *excellentiſſimus* eſt; totus utique *moralis*, totus ferventiſſimis *affectibus* plenus, totus ubique effuſus in encomia divinæ legis, quam, ad cavendum lectoris faſtidium, mira *nominum* (*c*) varietate, ruminandam, amandam, ſectandamque proponit. Operæ pretium eſt, ut hunc præſertim Pſalmum, unuſquiſque, qui eo in dies uti debet, & *intelligere* ſtudeat, & congruis *affectibus* recitare.

(*a*) *Pſal.* 1. 2.

(*b*) *Habet enim, juxta literas Alphabeti, Hebr. octies* 22. *id eſt*, 176. *verſus.*

(*c*) *Lex, præceptum, mandatum, ſermo, eloquium, verbum, via, teſtimonia, juſtificationes, æquitas, judicia, juſtitia, &c.*

CAPUT IX.

De Lege DECALOGI, *ac præſertim de* PRIMO *illius* PRÆCEPTO.

Vide S. Th. 1. 2. q. 100. & 2. 2. q. 122.

QUæſtio 1. *Quid intelligitur nomine* Decalogi?

℞. Lex illa, quam olim è monte Sinai populo Iſraelitico Deus ipſe promulgavit. Hæc nempe à *denario* præceptorum numero *Decalogi* nomen accepit. Sic autem ex Cap. XX. Exodi, nonnullis brevitatis cauſſa omiſſis, recenſeri ſolet.

Ego ſum Dominus Deus tuus.

1. *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi Sculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.*
2. *Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.*
3. *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.*
4. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*
5. *Non occides.*
6. *Non mæchaberis.*
7. *Non furtum facies.*
8. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*
9. *Non concupiſces uxorem proximi tui.*
10. *Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.*

Q. 2. *Quibus & quomodo illa decem præcepta primum data & promulgata fuerunt?*

℞. Præ-

Digitized by Google

℞. Præcepta hæc, ſi *arbitrariam* tertii *determinationem* exceperis, ad eam legem pertinent, quæ ſimul cum *natura* rationis compote ſingulorum hominum mentibus impreſſa ac promulgata eſt, uti ſuprà dictum fuit, adeò ut ab eorum obligatione nemo rationis particeps potuerit *unquam* eſſe immunis.

Nihilominùs cùm per *iniquitatem*, & malitiam lex illa in hominum cordibus plurimùm eſſet *obſcurata*, eam Deus populo à ſe educto è *ſervitute Ægyptiaca*, *quinquageſimo* ab exitu die, è monte *Sinai*, inter *fulgura & tonitrua* & horrificum buccinæ ſonum publicavit, deſcriptamque in *duabus tabulis* lapideis *Moſi* tradidit ad populum deferendam.

Cùm verò *priores* haſce tabulas, in deteſtationem criminis, quo *vitulum aureum* populus adorarat, Moſes confregiſſet, *novas* poſteà à Deo accepit in *Arca fœderis* perpetuò aſſervandas.

Q. 3. *Quomodo* dividuntur?

℞. 1. In præcepta *primæ tabulæ* & *ſecundæ*.

Prima tabula ea præcepta continet, quæ ad Dei dilectionem, cultumque ei debitum pertinent; *ſecunda* verò ea, quæ ſpectant ad dilectionem proximi, in qua ipſa, (*a*) ſi, uti oportet, propter Deum fiat, lex tota impletur. (*a*) Rom. 13. 8.

Quot porrò præcepta in ſingulis tabulis reponenda ſint, nonnulla diſſenſio eſt. *Judæi*, & cum ipſis paſſim authores *Græci*, quatuor collocant in *prima*, ſexque tantùm in *ſecunda*, totum nempe, quod de *concupiſcentia* prohibetur, conflant in *unum*; in priori autem hæc duo diſtinguunt: *Non habebis Deos alienos coram me*; & *Non facies tibi ſculptile*: qua in re libenter illos ſecutus eſt *Calvinus*, fruſtrà ſperans id magis conducere poſſe ad expugnandas, quas Catholici admittunt & venerantur, *imagines*.

At

(a) q. 17. in Exod. & alibi.

At communis hodiè catholicorum, poſt (a) *S. Auguſtinum*, diſtinctio eſt, ut *tria* tantum in prima, *ſeptem* verò in ſecunda Tabula præcepta contineantur, eo modo quo ſuprà recenſita ſunt; id quod rectè ac neceſſariò fieri clariſſimè demonſtrat (b) *S. Thomas*.

(b) 1. 2. q. 100. Art. 4.

2. Dividuntur in affirmativa & negativa. *Affirmativa* dicuntur, quibus aliquid *directè* præcipitur, cujuſmodi ſunt tertium & quartum: *Negativa* verò, quibus aliquid *expreſsè* prohibetur, qualia ſunt *octo* reliqua. Cæterùm quæ affirmativa ſunt, *prohibitionem* etiam aliquam involvunt, & quæ negativa, *præceptum* pariter includunt, uti per ſingula poterit obſervari.

(c) Galat. 3. 13

Q. 4. *Cùm Chriſtus nos redemerit* (c) de maledicto legis, *nonne conſequens eſt, ut nos* Chriſtiani *lege illa Decalogi jam minimè teneamur?*

℞. Nequaquam: Nam illud Apoſtoli Pauli dictum, de onere *cæremonialium* & *judicialium* præceptorum præcipuè intelligendum eſt; de præceptis autem Decalogi non aliter, quàm quod *Chriſtus* paſſione & morte ſua gratiam nobis promeruerit, qua legem implere, & *maledictionem*, quæ legis tranſgreſſoribus conſtituta eſt, evitare valeamus; quæ gratia *pleniùs* & *abundantiùs*, ut ſuprà (d) dictum eſt, filiis novi teſtamenti conceditur, quàm Judæis olim donaretur. Et verò, hæc lex ab ipſa *natura* profecta (ſaltem in iis quæ *moralia* ſunt) *immutabilem* quovis tempore obligationem retinet; tantumque abeſt, ut eam Chriſtus voluerit *abrogatam*, ut è contrariò verbo (e) & exemplo *accuratiùs* eam ſervari docuerit, ſuaque (f) auctoritate roborarit.

(d) Cap. 3. q. 9.

(e) Vide Matth. 5. 6. & 7.

(f) Ibid. 19. 17.

Hæc igitur lex non minùs hodiè non ligat, quàm olim *Judæos*; imò etiam *fortiùs*, quatenus

juxta

juxta *Chriſti explicationem*, ſinceriùs à *nobis*, quàm à *Phariſæis* implenda eſt: ne videlicet in *externis ritibus* nudaque ab *opere* peccati abſtinentia, aſt præcipuè in *mundo corde*, religionis ſummam conſtituamus.

Q. 5. *Suntne hæc Dei præcepta homini ſervatu poſſibilia?*

℟. Sunt utique non modò *poſſibilia*, (a) verùm etiam *facilia*; nimirum per divinæ gratiæ adjutorium, quod, uti jam non ſemel dictum eſt, filiis Novi Teſtamenti largiſſima benignitate per Jeſum Chriſtum impertitur Deus.

(a) 1. Joan. 5. 3.

Hac divini ſpiritus ſuavitate præventi, Deo præcipienti lubenter obediunt, & (b) *jugum* Domini *leve* ſentiunt & *ſuave*.

(b) Matth. 11. 30.

Q. 6. *Quo potiſſimùm animo Dei præcepta ſervanda ſunt?*

℟. *Anniti* quidem oportet, ut in iis cuſtodiendis *amore* magis trahamur, quàm *timore* compellamur; ſed optabile eſt, ut ſi nondum *amore*, ſaltem *timore*, ſerventur; falſumque (c) eſt, nullam eſſe *veram legis obedientiam*, niſi quæ ex *charitate* procedat. Cæteræ etiam *virtutes* Chriſtianæ Deo ſerviunt, & per eas *pleriſque* mandatis ejus vera præſtari poteſt obedientia, etſi adhuc ſint à *Charitate* ſejunctæ.

(c) *Vide Prop.* 16. *inter* Bajanas; & 47. *inter* 101.

Q. 7. *Quibus olim verbis primum Decalogi præceptum à Deo expreſſum eſt?*

℟. Tota illius ſeries ſic exprimitur: (d) *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, atque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis &*

(d) Exod. 20. 2. & ſeqq.

zelo-

(a) Si Patrũ iniquitatem imitentur. Vide hujus loci interpretes

zelotes (a) viſitans iniquitatem patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.

Q. 8. *In quibus verbis hujus præcepti vis continetur?*

℞. In iſtis: EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS: NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME. Quòd ſi præterea veteri illi populo Hebræo, ad *Idololatriam* ſingulariter ſemper prono, omnem *ſculptilium*, & *imaginum* uſum *poſitiva* atque arbitraria voluntate interdixiſſet Deus, id ad Chriſtianos minimè cenſendum foret pertinere, ſed cum cæteris antiquæ legis *cæremoniis* deſiiſſe. At cùm certum ſit, varias (b) imagines & ſculpturas in *Salomonis* Templo fuiſſe, quin & DEUM ipſum mandaſſe (c) duos fieri *Cherubim* aureos atque productiles, qui, expandentes *alas*, utrumque latus propitiatorii tegerent, *verſiſque vultibus* ſe mutuò reſpicerent, & juxta Arcam fœderis intra ipſum ſanctum ſanctorum collocarentur, planè tenendum videtur, *ſculptilia* & *imagines* ne *Judæis* quidem *aliter* fuiſſe interdictas, niſi ut ne *pro diis* colerentur, uti aliæ paſſim nationes facere conſueverant.

(b) 3. Reg. 6. 29. & 35.

(c) Exod. 25. 18.

Q. 9. *Quid prohibet hoc præceptum?*

℞. Prohibet ac damnat IDOLOLATRIAM, qua honor, uni ſoli Deo vivo & vero debitus, ad creaturas, aut ſimulacra transfertur: omnes etiam *obſervationes* SUPERSTITIOSAS, quibus ſpecie Religionis id obſervatur, quod ad eam minimè pertinet: uſum præterea Artis *Magicæ*, aut *Divinatoriæ*: SACRILEGIUM; IMPIETATEM denique eorum, qui dictis factiſve Deum *negant*, aut *veram Religionem* impugnant, vel deſerunt.

Digitized by Google

Q. 10. *Quid verò hoc præceptum à nobis exigit?*

℟. Ut *Fide*, *Spe*, *&* *Charitate* SUPER OMNIA colamus, invocemus, *adoremus* ſummum illud æternumque bonum, Creatorem Optimum Maximum, Redemptorem ac Salvatorem, omnis gratiæ & gloriæ largitorem, unum & immortalem Deum, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.

Omni ergo animi intentione curandum nobis injungitur, ut nullam prorſus *creaturam*, quantumvis excellentem, nec dictis, nec factis ullo unquam tempore pro *Deo* habeamus; ſed ſolùm unum verum, æternum, immenſumque Deum credamus & confiteamur, eique uni *Sacrificium*, & ſingularem illum ſummumque cultum, quem Græci *Latriam* appellant, exhibeamus.

Hujus itaque præcepti obſervatio potiſſimùm ſpectat ad virtutem RELIGIONIS, per quam *debitus Deo cultus* impenditur, *vitiaque* illi virtuti contraria hoc eodem præcepto ſingulariter prohibentur. Sunt autem, præter *perjurium* & *ſimoniam*, de quibus alibi, hæc præſertim duo: *ſuperſtitio* & *ſacrilegium*, de quibus jam dicendum.

CAPUT X.

De SUPERSTITIONE *&* SACRILEGIO,

Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 92. *&* IV. *ſeq. item q.* 99.

QUæſtio I. *Quid eſt* Superſtitio *&* *quotuplex?*

℟. Nomen illud, de cujus *Etymologia* (a) non ſatis conſtat, vitium denotat Religioni oppoſitum, *quo vel* DEO *cultus illegitimus*, *vel* CREATURÆ *cultus indebitus exhibetur*.

(a) *A* ſuperfluitate *dictum volunt, vel à* ſuperſtitum *cultus erga defunctos*.

Prio-

Prioris membri *duæ* ſunt ſpecies, quarum altera eſt, cùm Deo exhibetur cultus *falſus*; altera, cùm *ſuperfluus*. FALSUM continent hodiè ritus & *cæremoniæ judæorum*, utpote quæ inſtitutæ fuerint ad ſignificanda vitæ mortiſque Chriſti myſteria, tamquam *futura*, quæ tamen à tot jam ſæculis impleta ſunt. Eodem *reducitur* (a) temeritas eorum, qui pietatis obtentu falſa confingunt miracula, ac ſi Deus noſtro mendacio indigeret; aut *falſas* pro *veris* Sanctorum reliquias *ſcienter* obtrudunt.

(a) *Vide* Tolet *l.*4 *c.* 14.

SUPERFLUUS reputandus eſt cultus, (b) qui neque ad Dei gloriam quidquam facit, neque ut mens in Deum elevetur, neque ut pravæ cupiditates refrænentur, neque aliunde ex Dei inſtitutione, vel ex probata Eccleſiæ conſuetudine, quidquam habet auctoritatis.

(b) *Vide* Conc.Tri. *Seſſ.* 22. *de obſerv. & evitand. in celebr.Miſ.*

Poſterius membrum, *quinque* ſub ſe ſpecies comprehendit; nempe, *idololatriam*, *magiam*, *maleficium*, *divinationem*, & *vanam obſervantiam*.

Q. 2. *Quid eſt* IDOLOLATRIA, *& quæ ejus* origo?

℟. Execrandum & graviſſimum ſuperſtitionis genus eſt, quo ſupremus, (c) ſolique Deo debitus cultus, ad creaturam transfertur, ſive is cœleſtibus aſtris, ſive animantibus brutis, ſive hominibus aut vivis, aut mortuis, aut eorum ſimulacris deferatur. Hæc olim omnia apud pleraſque nationes magna cum varietate uſitata fuiſſe, & uſque hodiè apud nationes *aliquot*, præſertim *barbaras*, uſurpari certum eſt. Verùm quæ olim ferè per orbem univerſum *dominata* eſt Idololatria, à Chriſti morte tantopere *reſtricta* eſt, ut in comparatione præcedentium temporum, pauciſſimæ hodie regiones ſint, ubi vigeat.

(c) *Quem græci* latriam *vocant.*

ORIGO ejus *Sap.* 14. *Capite* (d) deſcribitur,

(d) ℣. 15. *& ſeqq.*

tur, ſed *inadæquatè*, & tantùm *exempli gratia*; nam præter *acerbum* illum *luctum*, qui patrem inſtigavit, ut citò ſibi rapti filii imaginem faceret, & mortuum hominem, conſtitutis ſacris & ſacrificiis, tamquam Deum coli mandaret; *reverentia*, & amor *filiorum* erga parentes; *ſubditorum* erga principes; civium erga rerum utilium *inventores*; vanus præterea *metus*; præcedentium temporum *ignoratio*; admiranda ſpecies *ſolis*, *lunæ*, & *Stellarum*, unà cum propenſione innata, ut *nihil* eſſe putetur quod *ſenſibus* percipi nequeat; hæc, inquam, omnia; cum multis aliis quæ adduci poſſent, originem progreſſumque dedere *idololatriæ*. Verùm dubitari non poteſt, quin præcipua idololatriæ cauſſa fuerit *diabolus*, qui ut divinos ad ſe honores transferret, in idolorum ſimulacris ſe colendum exhibuit, in quibus idcircò edebat *oracula*, & alia nonnumquam *mirabilia* patrabat. Quapropter in Pſalmis (*a*) dictum eſt: *omnes dii gentium dæmonia*.

(*a*) *Pſal.* 95. 5.

Q. 3. *Quid eſt* MAGIA, *& quomodo differt à* MALEFICIO?

℞. *Magia* generatim nihil eſt aliud, quàm ratio operandi mira & inſolita; id ſi per ſolas cauſſas naturales fiat, *naturalis* magia dicitur, quæ etſi per ſe licita ſit, *periculoſa* tamen eſt, & facilè ad ſuperſtitionem divertit, ideoque cavenda ac diſſuadenda eſt.

Magia ſuperſtitioſa, de qua hic agitur, eſt illa ſuperſtitionis ſpecies, qua dæmonis ope mira quædam ac ſtupenda patrantur, quæ naturales hominis vires facultateſque excedunt. Hæc ſi ad *oſtentationem* præcipuè, propriumve, vel alienum commodum referantur, ſimpliciter & antonomaſticè *Magia* dicitur inuſitata illa operatio: ſi verò, ad inferendum alteri

teri nocumentum, ſive in animo, ſive in corpore, *maleficium* vocatur, aut *veneficium*.

Crimen eſt ex genere ſuo mortale, & prorſus abominabile, quippe quod ſine expreſſa, aut implicita diaboli invocatione eſſe non poteſt, quodque cum multis aliis alterius rationis criminibus ſæpè connexum eſt; cujuſmodi ſunt *hæreſis*, *blaſphemia*, *idololatria*, Dei *ejuratio*, ſacratiſſimarum rerum ac ipſius etiam Euchariſtiæ execranda *profanatio*, nefariæ *libidines* præſertim cum dæmone, de quibus omnibus, æquè ac de *damnis* illatis, interrogandi forent, qui ſe in tribunali pœnitentiæ iſtius criminis accuſarent.

Cæterùm *Magos* & *ſagas* eſſe, nimis compertum eſt, magno id quidem generis humani *malo*, ſed & *bono* aliquo, quo nempè *Athei* revincantur. Nihilominùs vehementer obſtandum eſt vulgi *ſuſpicionibus*, omnia paſſim *magiis* & *maleficiis* plenâ eſſe exiſtimantis. Immò ne quidem *fæminæ*, ſe ſagam *fatenti*, facilè credendum eſt, niſi apertiſſimè conſtet de *corpore delicti*. *Convictæ* interim, rectè ac meritò *morte* plectuntur, etſi verum foret, *reipſa* non perpetrari ab iis mala quædam, quæ ſibi *imaginantur*.

Q. 4. *Habetne diabolus iſtam nocendi per maleficia, etiam adversùs homines, poteſtatem?*

℞. Habet, ſed non ultra quàm illi *permittat Deus*. Certum eſt, magnam eſſe rabiem adverſariæ illius poteſtatis contra homines, cujus quidem *cauſſa* eſt, partim *odium Dei*, partim *invidia* contra nos: utroque ex capite diris modis Dei in nobis *imaginem* diabolus perſequitur, & utrique parti hominis, quantùm poteſt, nocere contendit, *Deo* etiam *permittente* (a) ſæpè graviter nocet, tum in bonis *exterioribus*, tum in ipſo *corpore* & membris;

(a) *Vide Job. 1. & 2.*

bris; ſive *per ſe*, ſive (quod multo frequentiùs videtur accidere) per *miniſtros* ſuos *maleficia* procurantes:

Permittit id Deus 1. ad peccatorum vindictam: 2. ob parentum imprecationes: 3. ad ſalutarem caſtigationem (a) *ut ſpiritus ſalvus ſit in die D. N. Jeſu Chriſti.* 4. Ad divinæ potentiæ & juſtitiæ manifeſtationem: 5. ad terrorem impiorum, & vigilantiam juſtorum: 6. denique ad probationem, plenioremque purgationem electorum, uti ex Sanctorum hiſtoriis luculentè patet.

(a) 1. *Cor.* 5. 5.

Multæ interim ſive ab improba aliquorum hominum *fictione*, ſive à levi aliorum *credulitate*, intervenire hic poſſunt & ſolent *fraudes* ac *deceptiones*, ita ut non exigua *cautelæ* opus ſit, ideoque ſaluberrima ſunt *Epiſcoporum* hac in parte mandata, ad cohibendos *temerarios* exorciſtas.

Q. 5. *Quibus adversùs maleficia* REMEDIIS *utendum eſt?*

℟. *Nova maleficia*, aut media quælibet *ſuperſtitioſa*, ſine novo crimine adhiberi non poſſe, certum eſt: (b) Firma *fides*, certaque in omnipotenti Dei protectione *fiducia*, frequens & humilis *confeſſio*, pia *Euchariſtiæ* perceptio, *oratio* cum *jejunio & eleemoſyna*, devota & attenta SS. Nominis *Jeſu* & *Mariæ* invocatio, *Signum Crucis*, denique *exorciſmi* Eccleſiæ, debita cum prudentia, *legitimaque* facultate adhibiti, remedia ſunt, quibus contra vires & aſtutiam diaboli, ac miniſtrorum ejus, animum munire debet homo chriſtianus, quibuſque omnem *ſerpentis* illius *antiqui* nequitiam poterit expugnare.

(b) *Vide Can.* Si per ſortiarias 33. q. 2.

Q. 6. *Licetne ſaltem amovere, aut deſtruere* SIGNA MAGICA, *quæ maleficio deſervire noſcuntur?*

℟. In

℟. In odium *contemptumque* diaboli id recte ac ſalubriter fieri, apud omnes exploratum eſt; an verò etiam hac *ſpe & intentione*, ut dæmon nocere deſinat, atque omninò ut nocumentum ceſſet, non æque inter Theologos convenit. Negat *Eſtius*: (*a*) ſed communior opinio eſt, in iis (*b*) *operibus Diaboli*, vel ſic etiam *diſſolvendis*, nihil eſſe piaculi, aut periculi, modo id ſine novo fiat maleficio, animoque ſimplici, qui nihil opis à dæmone, ſed totum auxilium ſuum expectet à *Deo*, qui utique, *deſtructis ſignis* magicis, permittere vix *ſolet*, ut dæmon *ultra* noceat.

(*a*) *In* 4. *diſt.* 34. §. 8. & 9.

(*b*) *Vide* 1. *Joan.* 3. 8.

Q. 7. *Licetne ſimiliter à malefico* POSTULARE *maleficii diſſolutionem?*

℟. Si ſciatur id *ſine novo maleficio* ab eo diſſolvi non poſſe; vel, etiam ſi poſſit, *credatur* tamen non ſine novo maleficio *ſoluturus*, communior, & uti nobis apparet, verior ſententia eſt, non licere, etſi ille ultro etiam ſe *paratum* exhiberet; ne qui ſic petit, (*c*) *ſocius dæmoniorum* fieri, & *beneficium* aliquod ab iis expectare velle videatur, quorum ſane *favores* omnes ac beneficia (*d*) *cunctis ſunt nocentiora vulneribus*, *omniſque ſocietas* (*e*) tamquam *peſtifera* fugienda eſt.

(*c*) 1. *Cor.* 10. 20.

(*d*) S. Leo *Serm.* 19. *de Paſſione Domini*

(*e*) *Vide* S. Aug. *L.* 2. *de Doctrina Chriſt. cap.* 23.

Q. 8. *Quid & quotuplex eſt* DIVINATIO?

℟. *Divinatio* generatim nihil aliud eſt, quam vana, curioſa & *ſuperſtitioſa* inquiſitio rerum ſive *futurarum*, ſive *occultarum*, quæ hic & nunc ab eo, qui inquirit, *naturaliter* ſciri non poſſunt.

Involvit igitur *expreſſam*, vel *tacitam* dæmonis invocationem, ut illius ope earumdem rerum

(*b*) *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* 1. *Joan.* 3. 8.

(*c*) *Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.* 1. *Cor.* 10. 20.

rum notitia acquiratur; ex quo capite hujus æque ac præcedentis flagitii gravitas deſumenda eſt.

Utrumque genus multas complectitur ſpecies: Divinatio per *expreſſam* dæmonis invocationem, ſub ſe habet *præſtigium*, quo fictis apparitionibus, oculis hominum à Diabolo illuditur: divinationem per *ſomnia*: *Necromantiam*, qua à *mortuis* occulta, vel futura diſcantur: *geomantiam*, per ſtatuas, aliave corpora terreſtria: *hydromantiam*, per inſolitas figuras in aquis excitatas: *aeromantiam*, & *pyromantiam*, per figuras aereas, vel igneas: denique *aruſpicium*, per introſpecta viſcera animalium idolis immolatorum.

Divinatio per *tacitam* dæmonis invocationem, præcipue comprehendit (*a*) *aſtrologiam judiciariam*: *augurium*, ex garritu avium: *auſpicium*, ex earumdem volatu: *omen*, ex verbis temere caſuque prolatis: *chiromantiam*, ex inſpectione manus & lineamentorum ejus; denique *ſortilegium*.

(*a*) *Vide Bullam* 17. Sixti V. *quæ incipit*: Cæli & terræ.

Q. 9. *Quid circa ſpecies jam recenſitas præcipue obſervandum eſt?*

℞. Sequentia utiliter obſervari poſſe videntur. 1. *Præſagia* quædam & *ſomnia* (*b*) à Deo, vel bonis *Angelis* aliquando immiſſa fuiſſe olim, & adhuc immitti poſſe hodie, minime dubitandum eſt: ſed illa cum talia ſunt, tam *expreſſa* eſſe ſolent, ut à cæteris ſive *naturalibus*, ſive *Diabolicis*, ſatis ultrò diſtinguantur; aliter, *prædictio* ex iis ducta ad *divinationem* ſuperſtitioſam pertinet, in quam ſæpe tradi ſolent, qui ſolidis fidei revelationibus non ſatis credunt. 2. Vulgaria noſtra *Kalendaria* (*c*) prædicendo, uti ſolent, bella, pacem, regum fœdera, conjugia, mortem &c. plerumque impingunt in decreta Eccleſiæ adverſus

(*b*) *Vide Geneſ.* 41. *Dan.* 2. & 4.

(*c*) Almanak *ex arabico dicta*.

verſùs *aſtrologiam judiciariam* lata, etſi profiteantur ſe nihil *certi* prædicere: negliguntur tamen, quia à nemine æſtimantur. Parum admodum eſt, quod ex influxu motuve aſtrorum circa ipſos effectus *naturales*, puta *Eclipſes*, aeris *mutationes* &c. certò prædici poſſit; ſed (*a*) circa ea, quæ vel unice à Dei nutu, vel à libera hominis voluntate pendent, nihil ſine pernicioſa ſuperſtitione ex Aſtrorum inſpectione prædicitur velut *certò* eventurum. 3. *Chiromantia* peccant, & quidem ordinarie graviter, qui vagabundos illos, quos (*b*) *Ægyptios* vocant, de fortunis *conſulunt*, etiamſi id fieret animo *non credendi*. Miſeri à miſerioribus conſuluntur, ait *Aug.* 4. Inter *ſortes* gravem ſemper ſuperſtitionem continent *divinatoriæ: conſultoriæ* plerumque: ſed ſi gravi aliqua urgente neceſſitate; cum Dei reverentia, & ſine divinarum ſcripturarum abuſu adhibeantur, (*c*) fieri poterit, ut culpa vacent: *Diviſoriæ* autem, quæ ſine prejudicio boni publici & juſtitiæ, in rebus mere temporalibus uſurpantur, nihil illiciti continent. Nihil etiam *ſortitiones* illæ, quibus ex inſtituto *S. Franciſci de Borgia* ſodalitia multa ſingulis menſibus ſortiuntur *Sanctum* aliquem tutelarem. Sed ad *ſortilegium* ſuperſtitioſum, Deique *tentationem* reduci videntur *purgationes* illæ, ſive probationes *Vulgares* aquæ frigidæ, ferrique candentis &c. multis olim locis uſitatæ, quas Eccleſia, numquam à ſe probatas, jure meritiſſimo tandem generaliter interdixit (*d*) & abolevit.

(*a*) *Vide* S. Auguſt. *in Pſal.* 61. *in fine.*

(*b*) *Patria, ut ipſi fabulantur excluſos ob negatum à majoribus ſuis, puero Jeſu fugienti hoſpitiū.*

(*c*) *Vide Act.* 1. 26.

(*d*) *Vide cap.* 3. ✠: *de Purgat. vulgari & Cap.* 3. ✠ *de exceſſ. Prælat.*

Q. 10. *Quid & quotuplex eſt* VANA OBSERVANTIA?

℞. Sic ea ſuperſtitionis ſpecies dicitur, qua per media vana & inutilia, quæ, neque à Deo, neque ab Eccleſia, neque à natura,

Digitized by Google

vim ullam habent, animi aut corporis bonum aliquod, aut contrarii mali propulſatio, expectatur. Peccatum eſt ex genere ſuo *mortale*, æquè ac præcedentia; eo quod *effectus* ille, qui naturaliter haberi non poteſt, *explicitè*, vel *implicitè à* dæmone expectetur, qui ſe libenter talibus ingerit, ut perniciofius fallat.

Triplex illius ſpecies aſſignatur: 1. *Ars notoria*, qua ſine ſtudio & labore *ſcientia* velut *infundenda* infallibiliter expectatur, ſive à recitatione quarumdam precum, ſive à jejunio, ſive ab inſpectione quorumdam characterum, aut aliquorum prolatione verborum &c. 2. *Obſervantia ſanitatum*, cum quis ad *ſanitatem* conſervandam, recuperandam, aut alteri conferendam, vel ad *læſionis immunitatem* conſequendam, vana & ſuperſtitioſa media adhibet, quæ naturaliter iſtuc prodeſſe non poſſunt, puta *quadrifolium* pratenſe, *Characteres* quoſdam, aut verba corpori applicata; preces *certo numero*, certiſque ac *determinatis* verbis conceptas, à quibus præſertim circumſtantiis infallibilis expectetur effectus &c. 3. Vana obſervatio *futurorum eventuum*, (*a*) cum quis proſperi aliquid, vel adverſi ex occurſu, vel alio eventu fortuito, præſagiens, juxta eam expectationem ſuam actionum ſuarum ſeriem moderatur; ut, ſi domo egreſſus, ob occurſum felis, aut canis, pedem referat; ſi, cum XIII. convivæ menſæ aſſident, firmiter credat, eorum aliquem ante anni circulum eſſe moriturum; ſi ad detegendas res in terra abſconditas, *virgulam*, uti vocant, *divinatoriam* adhibeat, ejuſdem ſuperſtitionis reus eſſe videtur. Superſtitioſi tamen non ſunt qui *à ſignis cæli* metuunt, puta ſi *cometa* apparet, ſi *ſanguinem*, ſi *lapides* pluit &c. licet enim *naturaliter* fiant, initia tamen ple-

(*a*) *Vide* S. Auguſt. *lib. 2. doct. Chriſt. cap.* 20.

rumque dolorum ſunt hæc; at multo certiora, ſi fieri naturaliter nequeant, V. G. ſi appareant in aere *equitum armatorum acies* inter ſe concurrentes; uti olim apparuiſſe (*a*) *Machabæorum* libri teſtantur. Quod ergo apud *Jeremiam* (*b*) dictum eſt: *à ſignis cœli nolite metuere;* de *aſtris* intelligendum eſt *in morem gentium*, quæ omnia putabant *ſtellarum vi*, non divina *providentia* gubernari.

(*a*) 2. *Machab.* 5. 2.
(*b*) *Jerem.* 10. 2.

Cæterum cum tam *occultæ* ſint variarum rerum virtutes naturales, ut *magnetis*, ac forte etiam *pulveris ſympathetici* &c. non omnes illico è vulgo, qui certis *herbis*, *verbis* &c. tam multa gratis attribuunt, gravis ſuperſtitionis accuſandi ſunt, niſi à paſtoribus, aliiſve viris doctis admoniti, à veteri perſuaſione & uſu deſiſtere nolint. Sunt autem cum modeſtia & prudentia admonendi, non cum violentia, iſto nempe modo majores noſtri paulatim ritus *Ethnicos* profligarunt, & nonnumquam in *Eccleſiaſticos* converterunt.

Q. 11. *Breviter ex jam dictis reſumi velim, quinam præcipue in primum præceptum impingant, quantum ad ſuperſtitionem attinet?*

℞. Præter *Idololatras*,* violati illius præcepti rei ſunt, quicumque *expreſſam*, aut *tacitam* ineunt cum dæmonibus *ſocietatem;* cujuſmodi ſunt 1. Quotquot, præter Dei revelationem, rerum *fortuitarum*, humanarumve ſibi actionum *præſcientiam*, certamque audent *prædictionem* arrogare; ſive ſpiritu *pythonico* id faciant, ſive ex *garritu*, aut *volatu* avium, extorumque inſpectione futura prædicant; ſive ex ſo-

* *Vide* Molan. *Theol. pract. Tract.* 2. *Cap.* 4. *ex quo multa huc translata ſunt*. Vide *etiam Levit.* 19. ℣. 26. & 31. *Numer.* 23. 23. *Deut.* 18. ℣. 10. & *ſeq. Iſai.* 8. 19. 1. *Cor.* 10. 20. & 2. *Cor.* 6. 14.

ſomniis, vel mortuorum apparitionibus, aut ſortibus occulta ſcrutentur ac judicent; ſive de hominum moribus, fortuna, aut exitu, ex corporum, faciei, manuumve *lineamentis*, aut nativitatis, quam vocant, *galea*, itemque ex die *natali*, ac ſidere *conceptionis* vaticinentur.

2. Qui ad hominum pecudumque valetudinem tuendam, aut reparandam adhibent *ligaturas* quaſdam ac *phylacteria*, characteres ac imagines *Aſtrologicas*, precationeſque ad certum *verborum numerum* præſcriptas, verba *ſacra*, (*a*) Sanctorumque *Reliquias* de collo ſuſpenſas, ſi nempe vis aliqua idiomati ſcripto, aut ligandi modo, ſimilibuſve vanitatibus tribuatur.

(*a*) *utrumque hoc* pium *eſt*, *ſi unice fiat ad colendũ Deum, Sanctoſve honorandos.*

3. Qui *certis diebus*, vel temporibus volunt, noluntve aliquid *inchoare*, dies quoſdam fauſtos, alios *infauſtos*, alioſve aliis feliciores arbitrantes, quos, ſi *moniti* non reſipiſcant, peccati mortalis reos fore, non pauci putant.

4. Qui *herbas* certa die, certa *hora*, certo quodam *ritu*, decerptas, ad communes injurias & pericula propulſanda, valere confingunt, eaque fiducia uſurpant.

5. Omnium deterrimi ſunt, qui *magicas* adhibent operationes, quibus *jumentorum* ipſorumque *hominum* corpora, non *præſtigiis* tantum, ſed & reipſa immutantur, *valetudo* corrumpitur, *matrimonii* uſus, aliæque naturales actiones impediuntur, nulla quidem *maleficorum* virtute, ſed dæmonum operatione, quibus impia ſocietate pactiſque execrandum genus hominum fœderatur. Quapropter *extremum* quoque in hujuſmodi homines *ſupplicium* juſtiſſimè eſt conſtitutum.

6. Non ii tantùm rei ſunt, qui ſupradictis vanitatibus ſacrilegiiſque *patrandis* incumbunt, ſed & illi omnes, qui ejuſmodi homi-

num hac in re *auxilium* implorant, ſollicitant, pecunia redimunt, eoſque ſuper rebus amiſſis *conſulunt*, aut *occultam* ab iis veritatem exquirunt.

(a) *Vide* Conc. Mechlin. *II.* *ann.* 1607. *Tit.* 15. *de ſuperſtit. c.* 3.

7. Denique (*a*) quotquot *rebus ſigniſve* ullis ad effectum aliquem producendum utuntur, ad quem neque *naturæ* ordine, neque *divina*, aut *Eccleſiaſtica* inſtitutione, valere intelliguntur.

(b) *Lib.* 2. *doctr. Chr. c.* 23.

Cæterum ſapienter animadvertit *S. Auguſtinus* (*b*) fieri occulto quoddam judicio divino, ut cupidi malarum rerum homines, *tradantur illudendi* & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus Angelis; iiſque illuſionibus accidere, ut *multa* obſervantibus *ſecundum obſervationes* ſuas eveniant, quibus implicati *curioſiores* fiant, & ſeſe magis magiſque inſerant multiplicibus *laqueis* perniocioſiſſimi erroris. Omnes ergo *artes* hujuſmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ *ſuperſtitionis*, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus repudiandas & refugiendas eſſe homini Chriſtiano, qui utique ſentire debet, & dicere cum Davide (*c*) *Beatus vir, cujus eſt nomen* Domini *ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.*

(c) *Pſal.* 39. 5.

Q. 12. *Quid & quotuplex eſt* SACRILEGIUM?

℞. Eo nomine continetur quælibet *rei ſacræ*, id eſt, divino cultui ſingulariter conſecratæ, *violatio*, ſive indigna tractatio.

2. 2. *qu.* 99. *Art.* 3.

Tres à *S. Thoma*, & aliis, *ſacrilegii* ſpecies aſſignantur, quarum prima ad *perſonas*, ſecunda ad *loca*, tertia ad *res ſacras*, à perſonis lociſque *diſtinctas* pertinet.

Sub *prima ſpecie* continetur, quidquid fit adverſus clericos perſonaſque Religioſas, quo reve-

reverentia, eorum *conditioni* & *profeſſioni* debita, aut *immunitas* eiſdem conceſſa, violatur, aut læditur; ut ſi quis *manus violentas* (*a*) in clericum injiciat, aut contra ſtatuta canonum *ad tribunalia ſæcularia* invitum trahat, vel (*b*) cum perſona ſacra *fornicetur*.

(*a*) *Can.* ſi quis ſuadente. 17. *q.*4.

(*b*) *Can.* impudicas 17. *q.*1.

Ad *ſecundam ſpeciem* ſpectant ea omnia, quæ cum religione *loci*, divino cultui conſecrati, pugnare noſcuntur; cujuſmodi ſunt, *homicidium, mutilatio, fornicatio,* & *furtum* (*c*) non tantum rei *ſacræ*, verum etiam cujuslibet alterius in *loco ſacro* conſtitutæ, uti communior Theologorum opinio.

(*c*) *Vide Can.* quiſquis. 17. *q.*4.

Ad *tertiam* denique ſpeciem revocatur abuſus omnis, & profanatio *Sacramentorum, olei* ſacri, *aquæ* benedictæ, *vaſorum, ornamentorum, imaginumque* ſacrarum; abuſus etiam *ſcripturarum*, cum vel ad ſuperſtitiones inducendas, vel ad hæreſes confirmandas, vel ad detractiones, ſcurriles jocos, aut res ludicras, (*d*) adhibentur.

(*d*) *Vide* Cōc. Trid. *Seſſ.* 4. *de edit. & uſu SS. Libror.*

Quid de profanatione *feſtorum* ſentiendum ſit, infra videbitur, Cap. XV. Q. 8.

Porro omne ſacrilegium, quod ex *formali* intentione, & cum divini cultus, per Eccleſiam approbati, contemptu perpretatur, *mortale* eſſe, neque ullam admittere *materiæ* levitatem, omnino certum eſt. Quod ſi *citra contemptum*, re aliqua ſacra quis utatur præter eum *finem*, ad quem deſtinata eſt, fieri poterit, ut ſit dumtaxat *veniale*.

CAPUT XI.

Vide S. Th. 3. *p.* *q.* 25. & Conc. Trid. *ſeſſ.* 25.

De INVOCATIONE SANCTORUM, *Cultu* IMAGINUM, & *Veneratione* RELIQUIARUM,

QUæſtio I. *Eſtne primo Decalogi præcepto contrarius Sanctorum cum Chriſto regnantium cultus &* INVOCATIO?

(*a*) *Vide Expoſit. Doctr. Catbol. per* Boſſuetiũ *art.* 4.

℟. Nequaquam: (*a*) nam, ut jam dictum eſt, primo præcepto ſolummodo prohibetur, ne *ſupremus* ille cultus, *ſoli* æternæ Majeſtati debitus, qui Græcis LATRIA dicitur, ulla ratione ad *creaturam* transferatur. Abſit autem ut catholici, dum Sanctos venerantur, eos *pro diis* habeant. Agnoſcunt utique, non eſſe aliud quam electos Dei *amicos*, quos ille gratuitis ſuæ miſericordiæ donis abundantius cumulatos in filios adoptaverit, Regnique ſui hæredes.

Q. 2. *Eſtne ergo ingens aliquod diſcrimen inter cultum, quem Deo, eumque, quem Sanctis impendimus?*

(*b*) *Vide* S. Aug. *l.* 20. *contra Fauſt. cap.* 21.

℟. Eſt ſane *immenſum*; (*b*) nam Deum Optimum Maximum, ut *ſolum fontem* ac *largitorem* bonorum omnium, *ſupremo* cultu adoramus, ipſique omnia accepta referimus; in *Sanctis* autem nihil aliud, quam ipſam Dei potentiam, ſapientiam, ac bonitatem, ſuſpicimus, ac veneramur; adeo ut quidquid *honoris* illis à nobis impenditur, in *Deum* ipſum, totius felicitatis, quam poſſident, *auctorem* refundatur.

Q. 3. *Quæ verò differentia eſt* INVOCATIONIS *qua Deum, ejuſque qua Sanctos invocamus?*

℟. Differentia itidem *immenſa* eſt, nam precamur Deum, ut *ipſe* vel bona *det*, vel libe-

liberet à malis: à Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri *patrocinium* ſuſcipiant, nobiſque à Deo *impetrent*, ea quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas admodum differentes: ad Deum enim propriè dicimus, *miſerere nobis, audi nos*: ad Sanctum, *ora pro nobis*. (*a*) Ita Catechiſm. Concilii Trid.

Ad hunc itaque *ſenſum* reducuntur orationes *omnes*, quæ in Eccleſia Catholica ad Sanctos diriguntur, ut, in ſpiritu charitatis & *communionis Sanctorum*, ab iis petamus, ut *nobiſcum* orent, noſtrique ſint *interpretes* & *deprecatores* apud Deum, quo eos officio fungi docet S. Joannes Apoſt. in (*b*) Apocalypſi.

(*a*) Parte 4. *Quis orandus ſit.*

(*b*) Cap. 8. ℣. 3. *Vide etiam cap.* 20. ℣. 6.

Q. 4. *At nonne invocando Sanctos, illis quiddam tribuimus, quod Deo ſoli proprium eſt, occultarum ſcilicet animi noſtri cogitationum cognitionem?*

℞. Deo ſoli *proprium* eſt, latentes animi cogitationes, occultaque deſideria, *immenſitate* naturæ ſuæ, *propriaque virtute* cognoſcere, quod Sanctis nullo Catholicorum tribuit, nec verò ſine blaſphemia tribui poteſt. Id unum profitemur, (*c*) quod ab initio Eccleſiæ, fideles ſemper ſenſerunt, *bonum* eſſe, atque *utile*, Sanctorum patrocinia implorare, *quocumque* demum pacto illi neceſſitates noſtras, ac deſideria Deo revelante cognoſcant. Et certe

(*c*) Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de invoc. &c.*

(*b*) *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi* incenſa multa, *ut daret* de orationibus *ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum* de orationibus Sanctorum *de manu Angeli coram Deo. Apoc.* 8. ℣. 3. & 4.

Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes *Dei & Chriſti: &* regnabunt *cum eo mille annis. Ibid. c.* 20. 6.

Omnipotenti Deo modi deeſſe non poſſunt, quibus electis amicis ſuis ea, quæ voluerit, manifeſtet. Quod verò ea, quæ ad ipſos diriguntur, deſideria, eos jam *glorioſos* minimè lateant, facilè credet, quiſquis cogitabit, non eſſe olim dedignatum Deum, (*a*) Prophetis adhuc dum *in hac terra viventibus*, non *occultas* modo res, ſed etiam longo poſt tempore *futuras*, revelare.

(*a*) *Vide* 1. *Reg.* 9. 19 4. *Reg.* 6. 12. *omneſq; Prophetas.*

Q. 5. *At nonne ſaltem Sanctorum ille cultus* mediatori *Dei & hominum Chriſto* Jeſu *injuriam facit?*

℞. Nullo modo: nam, ut docet (*b*) Concilium Tridentinum, ad Sanctorum orationes, opem, auxiliumque confugimus, ob beneficia impetranda à Deo *per filium* ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui *ſolus* noſter Redemptor & Salvator eſt: nihil niſi per unicum MEDIATOREM Dei & hominum Sancti, aut orant, aut impetrant: nullam proinde Chriſto *injuriam* facimus, ſed eum in membris ſuis electiſque amicis *honoramus*, quando fratres noſtros, quos ille ceu primitias cœlo intulit, rogamus, ut nobiſcum, & pro nobis orent communem Deum ac Dominum in nomine communis Mediatoris, à quo eſt omnis ſalus & redemptio noſtra. Quod ſi ſubinde Sancti vocantur MEDIATORES, id *latiori* ſenſu intelligendum, quatenus noſtri ſunt apud Deum *Patroni*, multa nobis ob Chriſti merita, ſalutaria bona impetrantes.

(*b*) *Seſſ.* 25. *de invoc. &c.*

Q. 6. *Pugnatne cum hoc primo Præcepto uſus receptus* IMAGINUM *Chriſti & Sanctorum?*

℞. Prohibet dumtaxat hoc præcepto Deus (qua ſaltem (*c*) parte ad nos quoque *Chriſtianos* pertinet) ſculptilia & ſimulacra, quæ *adorationis* gratia à Gentilibus fabricabantur. Illi vide-

(*c*) *Vide ſupra Cap. IX. q.* 8.

videlicet ad hæc manum ſuarum (a) *opera* Divinos honores impia ſuperſtitione transfe- rebant, atque in Idolis *ſpem* ſuam colloca- bant. Cùm igitur receptus *Imaginum* uſus ni- hil cum iſta ſuperſtitione commune habeat, hoc primo præcepto Chriſtianis neutiquam eſt interdictus. (a) *Pſal.* 113. ℣.12. & 16.

Q. 7. *Quid igitur de Imaginum uſu docet Eccleſia Catholica?*

℞. Imagines *Chriſti*, *Deiparæ* Virginis & aliorum *Sanctorum*, in Templis præſertim ha- bendas & *retinendas* eſſe, eiſque debitum *ho- norem* & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe aliqua in iis *Divinitas*, vel *virtus*, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab iis ſit aliquid petendum; vel quod *fiducia* in imaginibus ſit figenda, velut olim fiebat à gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant: ſed quoniam honos, qui iis ex- hibetur, refertur ad *prototypa*, quæ illæ re- præſentant, ita ut per imagines, quas oſcu- lamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, *Chriſtum* adoremus; *Sanctos* quorum illæ ſimilitudinem gerunt, *veneremur*; id quod Conciliorum, præſertim verò SECUN- DÆ NICENÆ (b) SYNODI Decretis, contra Imaginum oppugnatores, eſt ſancitum: hacte- nus Conc. Trid. Seſſ. 25. de invocat.

Q. 8. *Quæ verò Imaginum utilitas eſt?*

℞. Doctrina eſt Concilii Trident. per hiſto- rias myſteriorum noſtræ Redemptionis, pictu-

(a) *Simulacra gentium argentum & aurum, opera ma- nuum hominum... ſimilis illis fiant, qui faciunt ea: &* omnes qui confidunt in eis. *Pſal.* 113. ℣. 12. & 16.

(b) *Celebrata ann.* 787. *ſub* Adriano I. *Papa &* Conſtantino VI. *cum matre* Irene, *Imp. contra* Ico- noclaſtas, *qui cum* Leone Iſaurico, *Imp. ab Anno* 723. *Imagines oppugnare & confringere aggreſſi fuerant.*

ris, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, *erudiri* & *confirmari* populum in articulis Fidei commemorandis, & aſſidue recolendis: tum vero ex omnibus ſacris Imaginibus magnum fructum percipi, non ſolum quia admonetur populus *beneficiorum* & munerum; quæ à Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per Sanctos *miracula*, & ſalutaria *exempla*, oculis fidelium ſubjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque *imitationem* vitam moreſque ſuos componant, *excitenturque* ad adorandum ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Q. 9. *At quid dicendum de* IMAGINE DEI *Patris, aut Spiritus Sancti?*

℞. (*a*) Impium quidem foret, ſi quis conaretur *Divinitatis formam* aliquo artificio effingere; quaſi *corporeis* oculis conſpici, vel *coloribus*, aut *figuris* exprimi poſſet. At nihil contra Religionem, Deive Legem admittitur, cùm SS. Trinitatis aliqua perſona quibuſdam *ſignis* exprimitur, quæ ſive in Veteri, ſive in Novo Teſtamento *apparuerunt*. (*b*) Nemo enim tam rudis eſt, ut illa imagine Divinitatem credat exprimi, ſed palam notum eſt, declarari *proprietates* aliquas, aut *actiones*, quæ Deo tribuuntur; veluti cum ex *Daniele* (*c*) pingitur *antiquus dierum*, in throno ſedens, ante quem libri aperti ſunt; Dei *æternitas* & *ſapientia* ſignificatur, qua omnes hominum & cogitationes & actiones, ut de iis judicium ferat, intuetur. Ita quoque, cum ex Euangelio, Actiſque Apoſtolorum ſub (*d*) *Columbæ* ſpecie, (*e*) *linguarum ignearum* Spiritus Sanctus exhibetur, varia illius *dona* ſenſibiliter adumbrantur.

(*a*) Ex *Catechiſmo* Conc. Trid. *circa* 1. *Praeceptum Decalogi*, *n.* 34. & 36.
(*b*) *Vide Prop.* 26. *Alexand. VII.*
(*c*) *Dan.* 7.13.
(*d*) *Matth.* 3.16.
(*e*) *Act.* 2.3.

Q. 10. *Rectene etiam Sanctorum* RELIQUIIS *veneratio impenditur?*

℞. *An-*

℞. *Antiquiſſimus* ab omni ævo fidelium uſus eſt, quem ſacroſancta Tridentina Synodus *retinendum* eſſe decrevit, ut Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, per quæ multa (*a*) *beneficia* à Deo hominibus præſtantur, communi veneratione colantur.

(*a*) *Vide* S. Aug. *l.* 22. *Civ. c.* 8. *&* *l.* 9. *Conf. c.* 7.

Venerationis ratio eſt, quod hæc ſacra pignora *victimæ* olim fuerint Deo per *Martyrium*, aut *pænitentiam* immolatæ; *viva* Chriſti *membra*, & *Templum* Spiritus Sancti; atque ab ipſo ad vitam immortalem denuo ſint *ſuſcitanda*, & glorificanda.

Q. 11. *Qua compendiaria ratione demonſtrari poteſt, nihil eſſe in externo cultu Eccleſiæ Catholicæ, quod divinæ gloriæ ſit adverſum?*

℞. Hac una res conficitur: quod totus iſte cultus, ex mente & doctrina Eccleſiæ, *à Deo incipiat*, & in Deum *deſinat*. Sicut ergo Suprema illa Majeſtas, quantumvis * *totum* humani cordis *amorem* exigat, minime tamen indignatur, ſi *proximum* propter Deum diligamus: ita quantumvis *omnem* ſibi *honorem* & * gloriam vindicet; neutiquam tamen improbat honorem illum, qui, ex divinæ ejus dignitatis intuitu, iis impenditur, quos ipſamet *honoravit*.

* *Deuter.* 6. 5.
* *Iſai.* 42. 8.
1. *Tim.* 1. 17.

CAPUT XII.

Vide S.Th. 2. 2. qu. 13. & 14.

De SECUNDO PRÆCEPTO *Decalogi*, *ac præcipue de* BLASPHEMIA.

II. NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM; NEC ENIM INSONTEM HABEBIT DOMINUS EUM, QUI ASSUMPSERIT NOMEN DOMINI DEI SUI FRUSTRA.

QUæſtio 1. *Quid his verbis prohibetur?*

℟. Omnis abuſus divini nominis, eaque præſertim irreverentia, quæ contra Supremi numinis Majeſtatem committitur à *blaſphemis*, *perjuris*, per Deum, Sanctos, vel Sacra *temere jurantibus*.

Q. 2. *Quid vero injungitur?*

℟. Ut linguam ſollicite refrænantes, ingentem ſemper Divino nomini reverentiam exhibeamus, JURAMENTA ſervemus, VOTA Deo facta non violemus, denique *Verbum Dei* magna cum veneratione tractemus.

Q. 3. *Quid eſt* BLASPHEMIA, *& quot præcipue modis admittitur?*

℟. *Blaſphemia* generatim, ſi græcam (*a*) vocis originem ſpectes, idem eſt quod latinis *maledicentia*; ſed uſu Eccleſiaſtico denotat maledicentiam adversùs Deum, aut Sanctos ejus: unde breviter definiri ſolet: *Verbum Deo contumelioſum*. Sicut autem *Laus* & *Honor*, qui Sanctis cum Chriſto regnantibus à nobis impenditur, in Deum ipſum, omnis ſanctitatis auctorem, finaliter derivatur; ita & iiſdem impactum *convitium*, aut contumelia, in Deum redundare cenſetur; hic enim veriſſime locum habet: (*b*) *Qui vos ſpernit, me ſpernit*; (*c*) *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

(*a*) *Quaſi à* βλάπτειν φήμην, *id eſt, lædere famam.*

(*b*) *Luc.* 10. 16.

(*c*) *Zachar.* 2. 8.

Qua-

Quatuor præcipuè modis Blaſphemia committi ſolet : 1. *Enuntiando*; quando nempe cum contemptu, aut pertinacia, Deo adſcribitur aliquid, quod ob infinitam ejus perfectionem illi convenire non poteſt; ut ſi aſſeratur *crudelis* eſſe, aut *injuſtus, peccati auctor, impoſſibilia* præcepiſſe. &c. 2. *Negando*; ut ſi negetur eſſe omniſcius, aut providentiam habere rerum humanarum. 3. *Imprecando* malum quodpiam Deo, aut Sanctis ejus, quod atrociſſimum blaſphemiæ genus eſt, & proterviæ (*a*) infernalis. 4. Denique *dehoneſtando*, & *jocando*; ut ſi Chriſti myſteria, Sacramenta, aut corporis membra, profana & irreveronti temeritate nominentur. Quo in genere etiam recenſeri poſſunt violatores, & temeratores verbi Dei, de quibus (*b*) *Conc. Trid.* ſeſſ. 4. Quod ad *jocum* attinet, *nimis exaltatus* (*c*) eſt Deus noſter, *nimis honorificati* (*d*) ſunt amici ejus, ut circa illos, vel *leviter* jocari liceat; id quod vehementer inculcare debent parentes liberis ſuis, ne quid vitioſæ *conſuetudinis*, aut *inclinationis* hac in parte contractent.

(*a*) *Vide Apoc.* 16. 11.

(*b*) *Vide ſuprà Cap.* 10. *q.* 12.

(*c*) *Pſal.* 96. 9.

(*d*) *Pſal.* 138. 17.

Indirectum etiam Blaſphemiæ genus eſt, cùm quod *ſoli Deo* proprium eſt, & *incommunicabile*, *creaturæ* cuipiam nefaria adulatione tribuitur.

Q. 4. *Quale*, QUANTUMQUE *peccatum eſt Blaſphemia?*

℟. (*e*) *Blaſphemia* ſemper & *intrinſecè* mala eſt, ita ut nullo unquam tempore, nulla de cauſſâ, nullis adjectis conditionibus licita eſſe poſſit; quà in re plurimùm differt à *juramento*, quod, uti poſteà videbitur, certis ſtipa-

(*e*) *Vide* 3. *Reg.* 20. 28. & 21. 13. *Eccli.* 23. 15. *Epheſ.* 4. 30. 1. *Tim.* 1. 20. S. *Aug. de morib. Manich. c.* 11.

ſtipatum *comitibus*; licitum eſſe poteſt & religioſum.

Eſt præterea Blaſphemia peccatum *ex genere* ſuo *mortale*, ac tale quidem, in quo nulla *materiæ levitas* locum habere poſſit, ita ut ex ſola *ſurreptione*, & incogitantia, poſſit eſſe *veniale*.

Peſſima quidem illa eſt, quæ ex divinæ Majeſtatis *odio*, vel *deteſtatione* procedit: ad crimen tamen Blaſphemiæ non requiritur *expreſſa*, aut *formalis* intentio Deo conviciandi; ſufficit, ut *verba moduſve pronuntiandi*, per ſe eò tendant.

Q. 5. *Quid ſentiendum de* CONSUETUDINE *Blaſphemandi?*

℞. Non ſolùm illa *mortalis* eſt, verùm etiam ſinguli actus ejus, quandiu ipſa non eſt *ſeriò & efficaciter* contracta.

Q. 6. *Quæ adversùs Blaſphemos* POENA *ſtatuta eſt?*

℞. Pœnam *mortis* olim ſancivit Deus: (*a*) *qui blaſphemaverit*, inquit, *nomen Domini, morte moriatur*: *genus* autem mortis erat *lapidatio*. *Sennacheribi* (*b*) Regis Aſſyriorum *Blaſphemia* in cauſſa extitit, cur ex exercitu ejus una nocte, centum octoginta quinque virorum millia, *Angelo* cædente, perierint. Non abſimilem Blaſphemiæ pœnam *Nicanor* (*c*) expertus eſt; neque deſunt exempla (*d*) *recentiora* divinæ ultionis in Blaſphemos: Quòd ſi id jam rariùs accidit, minimè dubitandum eſt, quin pœnæ *tarditas gravitate* penſanda ſit. Blaſphemos interim *ultimo ſupplicio* afficiendos ſancivit (*e*) *Juſtinianus Imp.* quod licet, flacceſcente Religionis zelo, in deſuetudinem ferè abierit, in execrationem tamen ejuſdem criminis, graviſſimas alias pœnas identidem decreverunt variarum regionum leges,

(*a*) *Vide Levit.* 24. ℣. 10. & 16. *ubi hujus legis occaſio recitatur.*
(*b*) 4. *Reg.* 18. 35. & 19. 35.
(*c*) 2. *Machab.* 15. ℣. 3. 24. 32. & 33.
(*d*) *Vide* Spondan. *ad an.* 362. *n.* 24. *an.* 363. *n.* 13. *an.* 1355. *n.* 21. &c.
(*e*) *Novel.* 77.

ges, puta ut *Blaſphemi lingua* candenti ferro perforetur, *labia* præcidantur, aut Blaſphemus ad triremes, vel in *exilium* ablegetur. *S. Ludovicus* Galliarum Rex religioſiſſimus, non tantùm ſimilem legem tulit, ſed ſæpè etiam ultrò profeſſus eſt, libenter ſe paſſurum, *ſibi ipſi* frontem cauterio inuri, ſi hoc pacto atrociſſimum Blaſphemiæ crimen è regno ſuo penitus extirpari poſſet. Et ſanè *cladium publicarum* origo & cauſſa, plerumque unum eſt ex his tribus; oppreſſio egenorum, nefanda libido, & crimen *Blaſphemiæ*. Quapropter non immeritò ultima *Narbonenſis* (a) Synodus Blaſphemos *excommunicari* juſſit. De *pœnis* adversùs Blaſphemos in *Belgio* conſtitutis, videri poteſt *Zypæus* in notitia juris Belgici, (b) ubi etiam ait in foro *Eccleſiaſtico* ſervandam eſſe conſtitutionem *Leonis X.* à *Pio V.* (c) renovatam contra Blaſphemos.

Q. 7. *Ex quibus præſertim* CAUSIS *Blaſphemiæ crimen oriri ſolet?*

℞. 1. Ex vehementi *ira*, atrocibuſque *rixis*, (d) aut jurgiis. 2. Occaſionem ſæpè præbent luſus *meræ fortunæ*, præſertim ob *lucrum*, aut aliter immodicè adamati. 3. *Ex intemperantia* potus. 4. Ex perverſo affectu *æmulandi* mores ſermoneſque aliorum quantumvis depravatos, unde fit ut ſenſim & Blaſphemandi *habitus*, & ſtultiſſima *perſuaſio* contrahatur, quaſi certis Blaſphemiarum formulis ſingularis inſit elegantia, ac ſermonis ornatus. 5. Denique cauſſam nonnumquam præbet nimia in afflictionibus, calamitatibus, morbiſque perferendis *impatientia*.

Q. 8. *Quid præſcribendum* REMEDII?

℞. Primùm in *radicem* inquirendum eſt, unde malum pullulet, ut amputetur, itaque 1. Frænetur *ira*, vitentur *jurgia*, compreſſione

ani-

(a) *Cap. 8. celebrata fuit an.* 1609.

(b) *Lib. 9. Tit. de blaſphem. Vide etiam Cap. 2. § de maledicis.*

(c) *Bulla* Pii V. *quæ incip.* Cum primum. §. 8.

(d) *Levit.* 24. 10.

animi & orationis ſtudio chriſtiana *manſuetudo* comparetur. 2. *Luſus*, vel penitus omittatur, vel ſi id repentè in totum fieri nequit, pretium leve ac minutum ludo præfigatur. 3. *Sobrietati* ac temperantiæ ſedulò incumbatur. 4. Attentè ſemel animo imprimatur, *fictitium* hujuſmodi ſermonis ornatum non niſi ex *inferis* prodiiſſe; proprium enimvero *dæmonum* ac (*a*) *damnatorum* hoc idioma eſt, Deum O. M. tota æternitate Blaſphemiis convitiiſque laceſſere. 5. Diſcere oportebit in rerum omnium eventibus *divinæ voluntati* ex animo acquieſcere, immò ſi fieri poteſt, cum Paulo Apoſtolo (*b*) *in tribulationibus gloriari*.

(*a*) Parvulos *excipe ſine baptiſmo mortuos. Vide Prop.* 49. *inter Bajanas.*

(*b*) *Rom.* 5. 3.

Ut porro qui in funeſtam Blaſphemandi conſuetudinem inciderit, aliquando emergere poſſit, *conſideret* ſeriò enormem criminis hujus *atrocitatem*, malitia *homicidii* haud parum majorem; ejuſdem deinde flagitii *pœnam* atque vindictam tam pro hoc ſæculo, quàm futuro: *deteſtetur* in dies, præſertim ſummo *manè*, conſuetas blaſphemandi formulas: vacare ſtudeat, quàm poteſt frequentiſſimè, divinis *laudibus*, denique ſi conſuetudinis, tametſi jam retractatæ, æſtu abreptus adhuc ceciderit, nitatur *confeſtim* ſurgere, & ad pœnitentiæ remedium convolare.

Ceterùm quæ pro curanda conſuetudine *blaſphemandi* adducta ſunt remedia, eadem etiam ſuo modo applicari poterunt conſuetudini *temerè jurandi*, de qua ſequenti capite tractabitur.

Q. 9. *Quod circa blaſphemiæ crimen* Chriſtianorum munus *eſt & obligatio?*

℞. Non modò ut ab eo flagitio *abſtineant*, verùm etiam ingentem ejuſdem *horrorem* ubique præ ſe ferant, & blaſphemantes *coerceant*,

ubi

ubi & quantùm poſſunt. *Judæi* ad blaſphemantium voces jam olim *aures* obturare, (a) *veſteſque* lacerare conſueverant; quapropter *zelo* ſe deſtitutos, & *Chriſtiano* nomine non ſatis dignos probant, qui patienter & conniventer audiunt eos, qui (b) *ponunt in cælum os ſuum*. Meminiſſe etiam debent Catholici, non fore ſe innoxios apud Deum, ſi contra Religionis ſuæ præſcripta perversè vivendo, in cauſſa fuerint, cur *Dei nomen*, & vera Religio (c) *blaſphemetur inter gentes*, judæos, vel hæreticos.

(a) *Vide* 4. *Reg.* 19. 1. *Matth.* 26. 65. *Act.* 7. 56.
(b) *Pſal.* 72. 9.
(c) *Rom.* 2. 24.

CAPUT XIII.

De JURAMENTO, PERJURIO, & ADJURATIONE.

Vide S. Th. 2. 2. *q.* 89. 90. & 98. & *in Decretal. Tit. de* jurejurando.

QUæſtio I. *Quid eſt* JURAMENTUM & *quotuplex?*

℞. Eſt *divini numinis atteſtatio, ad fidem faciendam, promiſſionemve firmandam*. Quod priori definitionis membro continetur, juramentum *aſſertorium* dicitur; quod poſteriori, *promiſſorium*. Aſſertorii uſus eſt, adſtruere, aut negare *præſentia*, vel *præterita*, idque ad finiendas *controverſias* (d) in quibus alioquin veritas ſatis elucere non poteſt. *Promiſſorii* finis eſt, confirmare *futura* & ad eorum executionem *vinculo Religionis*, adſtringere.

(d) *Hebr.* 6. 16.

Aliud inſuper *conteſtatorium* dicitur, aliud *execratorium*. *Conteſtatorium* eſt, quo *ſimpliciter*

(d) *Homines enim per majorem ſui jurant, & omnis* controverſiæ *eorum finis, ad* confirmationem, *eſt juramentum*, Hebr. 6. 16.

citer & ſine imprecatione, divini numinis teſtimonium invocatur; *execratorium* verò, quo jurans non tantùm Deum in teſtem vocat, ſed, ſi fallat, *ſibi* quoque, aut perſonæ alteri *conjunctæ* & charæ, malum *imprecatur*.

Eſt & alia in jurando diverſitas; nam *jurari* poteſt, vel *expreſsè*, vel *tacitè*; *expreſsè*, cùm Dei, aut Chriſti nomen diſertè uſurpatur: *tacitè* verò, cùm ſine expreſſa divini nominis conteſtatione, juratur per *creaturam* aliquam Deo ſpeciali ratione *conjunctam*, vel, in qua divinæ Majeſtatis ſplendor, aut veritas, ſingulariter eluceſcit; ut ſi quis per *Sanctos*, per *cælum*, per *animam ſuam* juret, cenſetur Deum ipſum, harum rerum *conditorem*, conteſtari.

Ex dictis collige, juxta uſum ſenſumque *communem*, veri nominis juramentum *ordinariè* contineri, & quidem CONTESTATORIUM in *formulis* ſequentibus: *ita juro*: *teſtis mihi eſt Deus*: *Deus ſcit*: *vivit Deus*: *coram Deo loquor*: *cor meum intuetur Deus*: *per crucem*: *per Euangelium*: *per Sacramenta*: *per Dei, vel Chriſti mortem, aut ſanguinem*. Item in hiſce aliis, idque EXECRATORIUM: *per animam meam*: *per vitam, aut ſalutem, vel propriam, vel alienam*: *ſic me Deus adjuvet*: *hæc faciat mihi Deus, & hæc addat &c.*

At juramentum, ex communi uſu, involvere non cenſentur hæ; *In conſcientia mea*: *in veritate*: *tam verè quàm hic exiſto*: *per fidem meam*: *in fide honeſti viri, Religioſi, aut Sacerdotis*; quippe quæ majoris tantùm *aſſeverationis* gratia, non invocandi divini *teſtimonii* cauſſa proferri ſoleant. Secùs foret, ſi diceretur: *per fidem Dei*; *per fidem Catholicam*: *per Religionem meam*; *Sacerdotium meum &c.*

Q. 2. *Numquid* omne juramentum *ſecundo Decalogi præcepto interdictum eſt?*

℟. Nequaquam : nam ſi divinum nomen in teſtimonium *legitimè* adducatur, non tantùm non *profanatur*, ſed etiam ſolemni *Religionis* actu honoratur. Etenim advocando Deum in teſtem *veritatis*, aut *voluntatis* implendi promiſſum, eum profitemur *omniſcium*, ſummè *veracem*, *omnipotentem*, rerum omnium *Gubernatorem*, juſtumque mendacii & ſcelerum *vindicem*; quod certè honorificum eſt, & dignum Deo.

Q. 3. *At nonne ſaltem Chriſtianis omne juramentum prohibitum eſt, his Chriſti verbis* : (a) Ego autem dico vobis, non jurare omninò ... ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt?

℟. Quòd *generale* interdictum verbis iſtis minimè contineatur, ſatis id perpetuus *Eccleſiæ uſus*, (b) Sanctorumque *exempla* demonſtrant, præſertim Doctoris gentium *Pauli*, qui in ſuis (c) Epiſtolis Deum aliquoties in teſtem invocat.

Quod ad Chriſti verba attinet, cùm *conſuetum* eſſet Judæis, per *cœlum*, per *terram*, per *ſanctam civitatem*, per *caput* ſuum, ſine *juſta neceſſitate*, jurare, quaſi eo pacto divinum nomen non pollueretur; hoc Salvator excludere volens omne juramentum, *quacumque forma* factum, ſi *temerè* fiat, illicitum declaravit: & niſi *neceſſitas* urgeat, ſimplici nos *aſſertione*, aut

(a) Matth. 5. 34. Jac. 5. 12.

(b) Vide S. Auguſt. ſerm. 28. de verb. Apoſt. & lib. de Mendac. cap. 15. Ep. 45. aliàs 154.

(c) Rom. 1. 9. 2. Cor. 23. Philip. 1. 8.

(b) *Lib. de Mendacio, cap. 15. num. 28. Ita habet* S. Auguſt. „ *Scriptum eſt etiam*, ego autem dico „ vobis, non jurare omnino. *Juravit autem ipſe Apo-* „ *ſtolus in Epiſtolis ſuis. Et ſic oſtendit quomodo ac-* „ *cipiendum eſſet quod dictum eſt*, dico vobis, non „ jurare omnino : *ne ſcilicet jurando ad* facilitatem „ *jurandi veniatur, ex facilitate ad* conſuetudinem, „ *atque ita ex conſuetudine in* perjurium *decidatur. Et* „ *ideo non invenitur juraſſe, niſi ſcribens, ubi conſide-* „ *ratio cautior non habet linguam præcipitem.*

Digitized by Google

aut *negatione* voluit eſſe contentos, aſſerens *temerariam* jurandi conſuetudinem à *diaboli* inſtigatione, hominumque *malitia* & *incredulitate* fuiſſe profectam.

Juramentum itaque & olim in *veteri lege* licitum fuiſſe, & nunc eſſe *ſub nova*, ſoli hodie negant hæretici *Anabaptiſtæ*, quia tamen *à malo* eſt, & periculum eſt, ne *aſſiduitate* jurandi, ad *perjurium* aliquando progreſſus fiat, non eſt de genere eorum, (*a*) quæ *per ſe* appetenda ſunt.

Q. 4. *Quos* COMITES, *ſive conditiones juramentum exigit, ut rectè ac* legitimè *fiat?*

(*b*) Cap. 2. 4. ℞. Ex celebri loco *Jeremiæ*, (*b*) tres à Theologis aſſignantur, *veritas*, *judicium*, & *juſtitia*: *jurabis*, inquit, *vivit Dominus*, *in veritate*, *& in judicio*, *& in juſtitia*, quorum comitum neceſſitatem ita colligit *S. Thomas*: (*c*) „ juramentum non eſt bonum, niſi ei, qui „ *benè utitur* juramento: ad bonum autem „ uſum juramenti duo requiruntur. Primò quidem, quod aliquis non *leviter*, ſed ex *neceſſaria cauſſa*, & *diſcretè* juret: & quantùm ad „ hoc requiritur *judicium*, ſcilicet *diſcretionis*, „ ex parte jurantis: ſecundò quantùm ad id, „ quod per juramentum confirmatur, ut ſcilicet neque ſit *falſum*, neque ſit aliquid *illicitum*; & quantum ad hoc requiritur *veritas*, per quam aliquis juramento confirmat „ quod *verum* eſt; & *juſtitia*, per quam confirmat, quod *licitum* eſt. *Judicio* autem caret juramentum *incautum*; *veritate* autem „ juramentum *mendax*; *juſtitia* autem juramentum *iniquum*, ſive illicitum.

(*c*) 2. 2. q. 89. art. 3.

Ce-

(*a*) S. Thom. *q.* 89. *art.* 5. *Iuramentum rectè comparat* medicinæ, *cujus in neceſſitate ita tenendus eſt uſus, ut ſemper caveatur* abuſus.

Ceterùm, quando à juramento abeſt *veritas*, tunc propriè, ac ſtricte PERJURIUM, & *grave* peccatum eſt, etiamſi mendacium alioquin foret *leve*, (*a*) id eſt, venialem culpam non excederet.

(*a*) *Vide Prop.* 24. *Innoc.* XI.

Q. 5. *Quinam* primam *ex recenſitis conditionibus, nimirum* VERITATEM *violare cenſendi ſunt?*

℞. *Veritatis* violatæ, adeoque *perjurii* rei ſunt 1. qui, quod *ſciunt*, *exiſtimant*, aut *dubitant* falſum eſſe, juramento confirmant, tametſi fortè *verum* ſit quod jurant. Qui autem è diverſo, quod *falſum* eſt jurat, *exiſtimans verum* eſſe, *ſæpè* peccat, at * non *ſemper*. 2. Quibus deeſt animus *implendi* quod cum juramento promittunt. 3. Qui *promiſſionem* jurejurando firmatam, quam ſervare poſſunt, ultrò non ſervant. 4. (*b*) Qui ſine *animo jurandi* ſcienter juramenti verba pronuntiant; cujuſmodi juramentum, ſi in *favorem* cujuſpiam factum fuerit, tametſi *intentio* jurandi abſuerit, *ordinariè* tamen obligare cenſendum eſt. 5. (*c*) Qui cum *reſtrictione purè mentali* (quæ utique nihil aliud quàm *purum mendacium* eſt) contra *omnem* verborum ſenſum, *quovis prætextu* jurare præſumunt.

(*b*) *Vide Prop.* 25. *Innoc.* XI.

(*c*) *Vide Prop.* 26. ibid. *Item* 27. & 28. *In Appen.* §. 13.

Q. 6. *Quid de juramento* ÆQUIVOCO, *ſive amphibologico?*

℞. Magnum diſcrimen eſt inter *æquivocationem*, ſive *amphibologiam*, & *reſtrictionem purè mentalem*: in hac, *verba* ex ſignificatione ſua ſenſum habent *unicum*, eumque *falſum*, ita ut *ſola mente* torqueri poſſint ad ſenſum verum: in iſta, verba ipſa *plures* patiuntur ſenſus, ac diverſimodè *per ſe* intelligi poſſunt. Sicut ergo ſer-

* *Ream linguam non facit, niſi mens rea.* S. Auguſt. *Serm.* 28. *alias* 180. *de verbis Apoſt.*

ſermo cum *reſtrictione pure mentali* prolatus, veri nominis *mendacium* eſt, ita ſi juramento firmetur, veri nominis *perjurium* eſt; contrà vero, quemadmodum *amphibologia* ob juſtam cauſſam uti aliquando licet, ita & nonnumquam juramentum *amphibologicum* adhibere fas eſt; tametſi cauſſam multo *majorem* eſſe oporteat; cum jurandum eſt. Ceterùm ſi juramentum *legitime* exigatur, nullius etiam juſtæ cauſſæ *prætextu* fas erit juramento *æquivoco* deludere *intentionem exigentis*. Hic ſane locum habent, ſi uſquam, nota hæc *S. Iſidori* (*a*) verba: „ Quacumque arte verborum quis juret, Deus „ tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc „ accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Unde ſapienter *Antiſtites Belgii* (*b*) monuerunt, *quicumque ſuperiori auctoritate, ad juramentum admittitur, præſtare id eum debere juxta intentionem exigentis;* in ſenſu utique obvio, naturali, & ab exigente intento.

Q. 89. art. 7. ad 4.

(a) Lib. 2. de ſum. bono. c. 31. citantur cauſa 22. q. 5.

(b) In Decreto 22. Apr. 1697.

Q. 7. *Quinam ſecundam conditionem violant, quam diximus eſſe* JUDICIUM?

℞. Quicumque ſine *gravi cauſa* divinæ Majeſtatis teſtimonio *temerè* abutentes, nomen Domini Dei ſui *fruſtrà* aſſumunt, atque profanant.

Profanationis illius præcipue rei ſunt, qui juramentum, genus quoddam, aut *ornatum* ſermonis reputantes, ſingulis pene, quas proferunt, ſententiis, ſuiſque paſſim *nugis* confirmandis, aliquam *jurandi formulam* irreverenter admiſcent; quo fit, ut ex aſſuetudine jurandi, parum curent, verenè an falſo jurent, & utrumvis *indiſcriminatim* jurare conſueſcant. (*c*) Hos gravis peccati reos eſſe, niſi cùm de con-

(c) *Vide S. Aug. ſerm.* 180. *alias* 28. *de verbis Apoſtoli, c.* 9. *item ſerm.* 307. *Nov. Edit. n.* 5. *ubi refert quomodo ipſe temere jurandi* conſuetudinem vicerit.

conſuetudine illa *tollenda ſerio* laboraverint, apud omnes in confeſſo eſt.

Quin vel ſola jurandi *frequentia* ſine culpa *mortali* eſſe vix poteſt, etſi ſinguli *actus* non ſint *mortales*. Ne ergo temerariæ *jurationi* quiſquam (*a*) *aſſueſcat*, perpetuò meminiſſe oportet horum verborum: *nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.*

(*a*) Eccli. 23. 9.

Ceterum abſit, ut in hunc ſcopulum impingere credatur Ecclesia, cùm adversùs *novas hæreſes*, novas ſubinde *juramenti formulas* (*b*) præſcribit, quo *novatores* detegi, & ab Eccleſiaſticis muniis excludi poſſint; abſit, ut per hoc cenſeri debeat (*c*) *multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, aut efficere, ut nomen Dei aliquando deſerviat conſilio impiorum*. Juſtiſſimam cauſſam habet, ut vel ſic provideat *quieti, & ſecuritati* ſuæ. Quod ſi quidam *filii iniquitatis* ea occaſione *perjuri* fiant, juſtum eſt, ut *qui in ſordibus* (*d*) ſunt, ſinantur *ſordeſcere adhuc*.

(*b*) *Qualem contra doctrinam* Janſenii *præſcripſit* Alex. VII.

(*c*) *Vide Prop.* 101. *inter* Quenell.

(*d*) *Apoc.* 22. 11.

Q. 8. *Quinam impingunt in tertiam conditionem, quæ eſt* JUSTITIA, *ſive honeſtas?*

℞. Quicumque ſermonem *illicitum* juramento confirmant, vel ad perpetrandum *malum** quodpiam jurejurando ſe obſtringunt; hoc autem nullam parere poteſt obligationem, cùm juramentum, actus utique Religionis, *vinculum iniquitatis* eſſe non poſſit. Quare, ſi quod ſic juratum fuerat, poſtea impleatur, *ſcelus ſcelere* cumulabitur. Hinc (*e*) *David*, qui temere juraverat in ſanguinem *Nabal*, per *Abigail*

(*a*) *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in ea. Eccli.* 23. 9.

* *Juramentum* de re turpi, *quæ ſit materia proxima juramenti, involvit irreverentiam* ex genere ſuo *mortalem*.

bigail admonitus, vindictæ propoſitum, uti debuit, dereliquit. Contra *Herodes* ſtultiſſima impietate *ob jusjurandum*, quod fecerat, amputari juſſit caput *Joannis Baptiſtæ*, (*a*) quem in carcere detinebat. Addit *S. Thomas*: * „ ſi quis autem jurat ſe *non facturum* aliquod „ *melius bonum*, quod tamen facere non tene- „ tur: *peccat* quidem *jurando*, in quantum po- „ nit *obicem* Spiritui Sancto, qui eſt boni pro- „ poſiti inſpirator: *non* tamen *peccat* juramen- „ tum *ſervando*; ſed *multo melius* facit, ſi „ non ſervet.

(*a*) *Marc.* 6. 26. *Vide* S. Ambr. *l.* 3. *offic.* c. 12.

* *Q.* 89. *art.* 7. *ad* 2.

Q. 9. *Quid ſentiendum de juramento per vim, aut gravem metum extorto?*

℞. Tametſi metus ille etiam *injuſtè* fuiſſet incuſſus, nihilominus juramentum hujuſmodi, ob *reverentiam* divini nominis, *ordinarie validum* cenſeri debet, modo non vergat *in deteriorem exitum*, id eſt, ſi abſque peccato, & præjudicio cujuſvis tertii, impleri poſſit. Validum ergo erit juramentum, ſi viator metu mortis adactus, certam pecuniæ ſummam latroni ſe daturum juraverit; at ſi juraverit inſuper, ſe neque juramenti *relaxationem* poſtulaturum eſſe, neque eam unquam pecuniam *repetiturum*, cenſet *S. Thomas* * poſterius hoc juramentum vergere *in deteriorem exitum*, (*b*) nullamque adeo habiturum eſſe *vim obligandi*; quia *communi bono & juſtitiæ publicæ* contrarium eſt.

* *Ibid. ad* 3.

(*b*) *Vide cap.* 2. *de* jurejurando.

Q. 10. *An & quouſque licitum eſt, ſive ad finiendam controverſiam, ſive ad firmandam promiſſionem, deferre alteri, vel exigere juramentum?*

℞. Sicut *jurare* aliquando licet, ita & juramentum *exigere*, ob rationes in quæſtione indicatas; idque non tantum à *Chriſtianis*, verum etiam ab *infidelibus*, tametſi prævideantur

non

non aliter quam per *falſos Deos* (*a*) juraturi; induci tamen certo non poſſunt, ut SIC *jurent*. Tametſi enim liceat *malo uti* propter *bonum*, * ſicut & Deus utitur: numquam tamen licet *inducere* quemquam ad id quod malum eſt.

(*a*) *Vide Gen.* 26 31.
* S. Th. *q.* 98. *art.* 4. *ad* 4.

Paulo aliter ſtatuendum de eo, qui prævidetur *pejeraturus*. Dici ſolet *judicem*, ſervato juris ordine, & ad *inſtantiam partis*, poſſe ac debere deferre juramentum illi, quem credit pejeraturum; ſed *privatum* quemlibet *ordinarie* id non poſſe, ne divini nominis injuriam & perniciem ſpiritualem proximi negligere videatur, cum aliunde in tali juramento deſit bonum *fidei*, qua tamen uti quis poteſt in juramento illius, qui *verum* per *falſos Deos* jurat. Unde ait *Aug.* (*b*) „ Qui hominem pro-„ vocavit ad jurationem, & *ſcit* eum falſum „ eſſe juraturum, vincit *homicidam*: quia „ homicida corpus occiſurus eſt, ille animam „ imo duas animas, & ejus quem jurare „ provocavit, & ſuam.

(*b*) *Vide* S. Auguſt. *ſerm.* 308. *Nov. Edit. n.* 4.

Porro dubitari non poteſt, quin rectè *leges* & *ſtatuta* condantur, quibus ab omnibus certæ conditionis, aut profeſſionis hominibus, juramentum aliquod *exigatur*, tametſi optandum ſit, ut ne nimis iſta multiplicentur, eorumque *neceſſitas* ſit *proportionata periculo*, quod ſequi inde natum eſt. Quare non videtur licitum fore, *ſingulos* cives, aut incolas adſtringere, ut jurejurando affirment, quantum per annos, aut menſes ſingulos conſumant domi ſuæ certi generis *victualium*.

Q. 11. *Quibus præcipuè modis* ceſſare *ſolet obligatio juramenti?*

℞. 1. *Ratione eventus*, ſi nempè ab initio *honeſtum*, ſucceſſu temporis reddatur *illicitum*, vel *impoſſibile*.

2. Per legitimam *irritationem*: 3. *Relaxatio-*

nem. 4. *Diſpenſationem* : 5. *Commutationem*. Quod ad irritationem attinet, ſpectat ea ad *ſuperiores* in eo, *in quo ſunt ſuperiores*: unde *confeſſarii* qua tales, juramenta *irritare* non poſſunt, quamvis culpam præteritam violati juramenti tollere poſſint. *Relaxatio* pertinet ad eum, *cui juratum* eſt, ſed in iis dumtaxat, quæ *privata* ejus *commoda* concernunt; minime vero quoad ea, quæ ad *divinum cultum* & honorem pertinent. *Diſpenſatio & commutatio* in juramentis fieri poteſt, ſicut in *lege*, aut *voto*, per *ſubtractionem materiæ*, nimirùm, *Epiſcopus*, ubi *juſta cauſſa* eſt, *vice Dei* debitum *remittit*, vel *commutat* in aliud, quod ad Dei honorem, ſalutemve ejus qui juravit, magis expedire judicaverit; atque hoc pacto efficitur, ut quod juramento antea ſubdebatur, *non ſubdatur* ampliùs.

Sicuti autem *quinque vota*, ita etiam quinque circa eamdem materiam juramenta ab *Epiſcoporum* poteſtate excepta, ac ſoli Papæ *reſervata* ſunt: at nec hic præjudicat juramento, quod *in utilitatem alterius* factum ſit, niſi eum ex cauſſa *punire* decreverit. Poſtremò quilibet juramenti ſui ſolutionem in aliquid quod *evidenter melius* ſit, mutare poteſt, modò id fiat ſine cujuſquam injuria.

Q. 12. *Quid eſt* ADJURATIO, *quotuplex*, *& quomodò licita?*

℞. Eſt *actus Religionis*, *quo per* EXPRESSAM, *vel* IMPLICITAM *divini nominis interpoſitionem*, *creaturam* (a) *quampiam obteſtamur*, *ad agendum aliquid*, *vel omittendum*.

(a) *Erga* Deum *propriè non eſt* adjuratio *ſed* deprecatio.

Fit ea duobus præſertim modis, *obſecrando*, & *imperando*: per modum *imperii*, & non aliter, adjurari poſſunt *dæmones*, & res *inanimatæ*; omniſque hæc *adjuratio* ad DEUM dirigitur, ut *deprecatio*. Numquam autem adhiberi

beri poteſt ad *diſcendum* aliquid à dæmone, aut *conſequendum*, niſi quod in *Exorciſmis* Eccleſiæ, quæ ſolemniores ſunt adjurationes, rectè aliquando inquiri poſſit *nomen & numerus* ſpirituum obſidentium, *tempuſque & cauſſa* ingreſſus; cirumſpectè id tamen & prudenter, ne vel energumenum, vel alium quemvis *diffamari* contingat.

Porrò *ſolemnis* hæc adjuratio requirit Eccleſiaſticam poteſtatem, & ſingularem facultatem, eamque *in ſcriptis* obtentam; nec leviter peccant (*a*) *Eccleſiaſtici*, qui, ut *inopiam* amoliantur, vel *compendium* faciant, temere ſe addicunt *Exorciſmis*. Sane experientia docuiſſe videtur, quo plures ſunt *Exorciſtæ*, eo plerumque plures prodire *maleficiatos & energumenos*.

(*a*) *Nonnullis in locis annexa eſt pœna* ſuſpenſionis *a divinis ipſo facto incurrenda. In Diœceſ. Brug. 2. April. 1721.*

CAPUT XIV.

De VOTO.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 88. *& in Decretal. lib. III. Tit.* 34. *de* voto & voti redemptione.

QUæſtio I. *Quid eſt* VOTUM, *& quænam ad illius* ESSENTIAM *requiruntur?*

℞. *Votum* hoc loco nihil aliud eſt, quàm *deliberata promiſſio* (*b*) *Deo facta*, *de re ipſi grata*.

Ad *voti eſſentiam*: 1. Non ſufficit nudum voluntatis *propoſitum*, ſed requiritur intentio PROMITTENDI, ſeſeque *obligandi*; tametſi *non videatur* neceſſarium eſſe propoſitum *exequen-*

(*b*) Sanctis *nonnumquam vota nuncupantur, non ratione ſui, ſed* Dei, *qui in illis honoratur & colitur.*

Digitized by Google

di. Verùm graviter peccat qui non cogitat adimplere quod proponit vovere.

2. Debet ea promiſſio DELIBERATA eſſe atque *ſpontanea*, uſque adeò, ut ne ea quidem *libertas*, ac *deliberatio* voluntatis, quæ alibi ad peccatum *mortale* ſufficeret, hic *generatim* ſufficere videatur; unde non modo *amentium*, & *puerorum*, ſaltem infra *ſeptennium* vota nullius roboris exiſtimanda ſunt, ſed & ea, quæ ob gravem metum *injuſte ad hoc* incuſſum emiſſa fuerint, (*a*) ſive *ſimplicia* ſint, ſive *ſolemnia*, *libertati*, ad vovendum tam *jure naturæ* quàm *Eccleſiaſtico* requiſitæ, pleriſque repugnare videntur, & eſſe *invalida*. Aliud eſt, ſi metus vel ſit *levis*, vel *juſtus*, vel *aliunde* adveniens, ut ſi morbo laborans, aut in *periculo mortis* conſtitutus, votum quis *ultro* emittat. Eidem *libertati* repugnat ERROR, ſi verſetur circa *ſubſtantiam*, aut circa *accidens* quod in eam redundet. Quandonam vero hoc ultimum locum habeat in factis *particularibus*, meliùs ex *prudentum* judicio, quàm ex *Regulis generalibus* dijudicabitur.

(*a*) De ſolemnibus *apud omnes in confeſſo eſt*, jure *ſaltem* Eccleſiaſtico *tunc irritari* : *De ceteris*, *non omnes conſentiunt*.

3. Neceſſe eſt, ut competens ſit *voti materia*.

Q. 2. *Quænam eſt competens voti* MATERIA?

℞. Indicat eam *S. Thomas*, cùm dicit votum eſſe debere *de bono meliori*, nempe vel *in ſe*, vel *reſpectu* (*b*) voventis, id eſt, nihil vovendum eſt, niſi quod ſpectatis omnibus Deo *ſimpliciter gratum* ſit. Nihil ergo quod voventi *impoſſibile*, nihil quod *inutile*, aut prorſus *indifferens*, multo minus quod *illicitum* ſit, nihil denique quod voventi *majoris boni* impedimentum afferat.

(*b*) *Ita fieri poterit*, *ut voti materia ſit ipſum* conjugium.

At nihil vetat rem aliunde *præceptam* voti materiam effici, quo voluntas ex ſe *inſtabilis*, ad officium ſuum *ſecundo* hoc vinculo *arctiùs* con-

Digitized by Google

conſtringatur; quod votum ſi quis tranſgreſſus fuerit, *dupliciter* reus erit, & tam *voti*, quàm *præcepti* tranſgreſſionem in confeſſione exprimere oportebit. Ceterum mera voti ejuſdem *iteratio*, duplicem hujuſmodi reatum non inducet.

Quid ſentiendum ſit de voto JEPHTE, de quo in libro *judicum* (*a*) agitur, celebris eſt controverſia, quæ hoc loco decidi non poteſt. Plerique *veterum* ſenſiſſe videntur, eum neque in *vovendo*, neque in eo quod voverat *exequendo*, à *culpa* fuiſſe immunem.

Q. 3: *Quomodo* DIVIDITUR *votum?*

℞. In *Perſonale*, *Reale*, & *mixtum*: PERSONALE ſolum *voventem* afficit: REALE adſtringit & *hæredes*: ſimiliter & MIXTUM, ſed pro ea tantùm *parte*, qua *reale* eſt.

2. In *Abſolutum* & *conditionatum*: nam etſi *generales* aliquas conditiones *omne* votum includat, non omne tamen *conditionatum* dicitur, ſed illud dumtaxat, cui *ſpecialis* aliqua apponitur. Hanc ſi quis *vi*, *fraude*, aut *malitia* impediat, quo minus *eveniat*, vel efficiat ut *tollatur*, *peccare* eum certum eſt; an autem & quouſque *voto* nihilominus *teneatur*, non æquè inter authores convenit.

3. In *ſimplex* & *ſolemne*. Illud in re quali-

(*a*) *Cap.* 11. *vide* Analog. Becani. *cap.* 15. *num.* 34. *ubi ſentit non peccaſſe*. S. Thom. *art.* 2. *ad* 2. *ex* S. Hieronymo *ait*: *in vovendo fuit* ſtultus, *quia diſcretionem non habuit*: *& in reddendo* impius ... *ponitur* (*tamen*) *in catalogo* Sanctorum, *&* *propter* victoriam *quam obtinuit*, *& quia probabile eſt eum* pœnituiſſe *de facto iniquo*, *quod tamen aliquod bonum* figurabat.

S. Ambr. *l.* 1. *de offic. c. ult. ſic ait*: *Melius illi fuiſſet nihil tale promittere*, *quàm promiſſionem parricidio ſolvere*. *Et l.* 3. *c.* 12. *dura*, *inquit*; *promiſſio*, *acerbior ſolutio*.

bet quæ Deo grata ſit, locum habere poteſt; at voti *ſolemnitas* duobus dumtaxat modis celebratur; primùm, cùm per ſuſceptionem *Ordinis ſacri* totum ſe divino miniſterio quiſpiam tradit: deinde, cùm per *certæ Regulæ* ab Eccleſia probatæ *profeſſionem*, relicto ſæculo & abdicata propria voluntate, perfectionis ſtatum amplectitur. *Solemne* votum hunc à *multis ſæculi* habet effectum, ut matrimonium contrahendum *ſemper* dirimat, *aliquando* etiam contractum, cùm nempe emittitur in *religione approbata*, priuſquam Matrimonium fuerit *conſummatum*: *ſimplex* neutrum efficit. *Hodierno* (*a*) etiam jure invalidum eſt votum ſolemne, quod ante annum ætatis *decimum-ſextum* expletum, vel anno *probationis* nondum evoluto, emittitur.

Vid. Tom. 1. *ſect.* 2. *Cap.* 25. *qu.* 13.

(*a*) Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Reg. c.* 15.

Q. 4. *Quæ & qualis eſt voti* OBLIGATIO?

℞. Votum, poſtquam deliberate emiſſum eſt, *neceſſario* etiam pro hoc tempore *Novæ Legis ſervandum* eſſe, cùm ſervari poteſt, ex *ſcripturis* (*b*) patet, & ex ipſa *ratione*, quæ *infidelitatem* in ſervandis promiſſis damnat, evidens eſt.

(*b*) *Deut.* 23. 21. *Pſ.* 75. 12. *Eccli.* 5. 3. 1. *Tim.* 5. 12.

Obligatio hæc ex genere ſuo *gravis* eſt, *levis* tamen eſſe poteſt ob (*c*) *materiæ parvitatem*, tametſi ſentiat *S. Thomas* (*d*) majorem, ceteris paribus, obligationem *voti* eſſe, quàm *juramenti promiſſorii*, in cujus tamen violatione *materiæ levitatem* multi non agnoſcunt. Quod ſi verum ſit, diſparitatis ratio ex hoc deſumenda erit, quòd levis rei quæ Deo promiſſa eſt

(*d*) 2. 2. *q.* 89. *art.* 8.

(*c*) *Communior quoque perſuaſio eſt* levem *eam eſſe poſſe ex* intentione voventis, *ſi nempe in materia* gravi *expreſsè quis intenderit ſeſe tantùm obligare* ſub levi. „ *In tantum fertur obligatio voti, in quantum ſe extendit voluntas & intentio voventis*: *ait* „ S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *a.* 4.

Digitized by Google

eſt violatio, *levem* tantùm *infidelitatem* contineat; *perjurium* autem, ob quamcumque cauſam fiat, numquam non *gravem injuriam* divinæ, qua *abutitur*, veritati inferat. Verùm * *Sylvius*, variique, quos citat, Theologi, in violatione juramenti promiſſorii, quod bona fide, animoque jurandi & exequendi, præſtitum fuit, æquè ac in voti tranſgreſſione, admittunt *materiæ parvitatem*: tunc præſertim, cùm juramenti violatio, verſatur tantummodo circa materiam ejuſdem *partialem*.

* *In* 2.2. *q.* 89. *art.* 8. & *præſertim qu.* 98. *art.* 3. *concl.*4.

Exigit porrò hæc voti obligatio, ut votum *præfixo* tempore, aut aliàs, *quam primum* fieri poteſt, impleatur. Quòd ſi ob imprudentiam, metum incuſſum, aut aliam juſtam cauſſam, voti redemptio, vel diſpenſatio requirenda videatur, ea ob conſcientiæ tranquillitatem & *celeriter* & *reverenter* petenda eſt.

Q. 5. Expeditne *vovere*?

℞. *Expedit* planè (*a*) modo id *matura* cum deliberatione fiat. Etenim opus *ex voto* factum, *melius magiſque meritorium* eſt, quàm *citra votum*, quippe cùm per hoc non modò *fructus* libertatis, ſed ipſa etiam *arbor* & *radix* divino obſequio conſecretur, voluntaſque hominis ex ſe inſtabilis, in eo quod *bonum* eſt, *felici neceſſitate* (*b*) firmetur. Attamen concludi non poteſt, *utile* fore, ut *omnia* opera bona, quæ *facturi* ſumus, antea *voveamus*, ſtolidum id foret ac *temerarium*; id quod pariter dicendum eſt de voto *numquam peccandi*, quod ſi fieret, ne ullum quidem *novum vinculum* videtur allaturum.

(*a*) *Vide Iſai.* 19. 12. *Matth.* 19. 12.

(*b*) Felix neceſſitas, *qua ad meliora compellit*. S. Aug. *Ep.* 127.

Non parva igitur in emiſſione votorum adhibenda eſt *cautio*, maximè ſi in *re gravi*, vel in *longum tempus* voveatur: multa ſanè non raro comitantur *incommoda*, quæ ſi non præviderint *incauti*, ſubire debebunt forſitan *inviti*. Quapropter (*c*) diſplicet Deo *infidelis* & *ſtulta*

(*c*) *Eccli.* 5. 3.

Digitized by Google

promiſſio . . . . multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Ceterùm vota, etſi *imprudenter* ac *temere* emiſſa fuerint, ſi nihil aliud obſtet, nihilominùs *ſervanda ſunt.*

Q. 6. *Quot modis* TOLLI *poteſt obligatio voti?*

℞. Præterquàm quod voti obligatio ſponte *ceſſet*, ſi *impotentia* ſuperveniat, ſeu *phyſica*, ſeu *moralis*, ſaltem *quouſque* ea ſe extendit; *tolli* inſuper poteſt his præſertim modis: 1. Vota *ſubditorum*, tametſi ex ſe *licita* & valida, *pro arbitrio* IRRITARE poteſt (*a*) ſuperior, ſi modò facta fuerint in iis rebus, *in quibus ſubditi* ſunt. (*b*) Quòd ſi ille conſenſerit, obligatio, quæ huc uſque *infirma* erat, plenum *firmitatis* robur accipiet.

(*b*) *Vide Num.* 30.

2. COMMUTARE poteſt prælatus ſubditi ſui votum in *melius*, aut rem fere *æqualem*; imo in id quod *evidenter melius* ſit, commutare poteſt plerumque ipſe qui vovit, modò ſaltem mutatio fiat in rem ejuſdem quaſi *generis* & *ordinis*, ac ſine cujuſquam *injuria*, aut læſione; ut ne tamen ſibi ipſi fortè mentiatur iniquitas, ſatius etiam tunc ad ſuperiorum arbitrium res tota deferetur.

3. In voto etiam DISPENSARI poteſt; non tantùm *interpretando* an votum ultro ceſſet, (*c*) verùm etiam *relaxando*, non tamen ſine *juſta cauſſa*, quæ ſi deſit, (*d*) *diſpenſatio* non modo *illicita* erit, ſed & *invalida*. Facile interim fit,

(*c*) *Vide cap. præc. q.* 11.

(*a*) *Sic pleraque vota* filiorum-familias, *quamdiu non ſunt emancipati, à* Patre *irritari poſſunt, non tamen votum continentiæ, aut ingrediendæ religionis poſt annos* pubertatis *emiſſum: uxoris, à* marito: *quæcumque etiam vota Religioſorum à* prælato, *excepto dumtaxat voto* religionis ſtrictioris.

(*d*) *Abſque neceſſitate, remiſſio voti non eſt diſpenſatio, ſed prævaricatio.* S. Bernard. *de præcept. & diſp. c.* 5.

Digitized by Google

ſit, ut diſpenſatio *petatur male*, & *concedatur bene*. Quòd ſi is, qui diſpenſationem, aut commutationem voti *bona fide* obtinuit, de *juſtitia cauſſæ* deinceps DUBITET, (*a*) damnabiliter errare non poterit, ſequendo *judicium* diſpenſantis, aut commutantis.

Q. 7. *Quis* POTEST *diſpenſare?*

℞. Poteſtas *ordinaria*, in ſuos reſpectivè ſubditos, *Epiſcopis* competit, aliiſque Prælatis *ordinariis*, Epiſcopali poteſtate præditis; *plenitudo* ejus penes *ſummum Pontificem* reſidet, cujus etiam poteſtati *quinque* jam pridem vota *reſervari* conſueverunt, nimirum *caſtitatis perpetuæ*, *ſtatus Religioſi*, triumque *peregrinationum*, Hieroſolymitanæ, Romanæ & Compoſtellanæ.

Votum *continentiæ*, aut (*b*) *cælibatus*, multum differt à primo voti genere *reſervato*. Frequens in hoc ipſo diſpenſatio malè carperetur, cùm *non rara* ſit occaſio, qua in voto ſimplici *perpetuæ caſtitatis* diſpenſari *poſſit* ac *debeat*. (*b*) *Non nubendi*.

Reſervatio, quatenus poteſtatem *ordinariam* reſtringit, *ſtricti*, & *odioſi* juris eſt, ideoque *coarctari* potiùs ſolet quàm *extendi*: in votis reſervatis; ſi *conditionalia* tantùm fuerint, aut *pœnalia* (*c*) Epiſcoporum diſpenſationem communis fere praxis admittit; quin & in aliis ſæpè caſibus, *inopinatis* præſertim & *moram* non ferentibus, ſive ex *privilegio*, ſive ex *Epiikia*, Epiſcopi diſpenſant.

(*a*) *De* dubio voto *ſic reſolvi ſolet. Si quis* mox *dubitare incipit num voverit, non videtur voto obſtrictus: Si* diu poſt *dubium enaſcatur, cùm ab initio ſe obligatum ſenſerit, voto tenetur: ſi denique certus ſe nuncupaſſe votum, dubitare cœperit ſatiſne* deliberate *voverit, & hic tenetur.*

(*c*) *Etiam poſt culpam commiſſam, vel conditionem impletam. Verum certius id eſt de* pœnalibus, *quàm de aliis* merè conditionatis.

Poteſtas *diſpenſandi* variis quoque modis *delegari* ſolet. Qui eam habet ad *diſpenſandum*, habet etiam ad *commutandum*, ſed non contra.

Q.8. *Poteſtne & in* VOTO SOLEMNI *locum habere* diſpenſatio?

℞. In eo, quod *ſacri Ordinis* ſuſceptioni adnexum eſt, Papam diſpenſare poſſe, apud omnes exploratum eſt; an autem id poſſit etiam in *voto ſolemnis Religionis*, non parva eſt *con-*
Art. XI. *troverſia*. Sentit *S. Thomas*, (*a*) in voto iſto *traditionem* & *acceptationem* talem intervenire, quæ ipſo *naturæ jure* matrimonium deinceps dirimat, quæque adeo nulla poteſtate humana, tolli, aut ſolvi poſſit; neque fieri poſſe, ut qui Religioſa profeſſione *Monachus* factus eſt, *deſinat* eſſe Monachus, cui ſtatui ait debitum continentiæ *eſſentialiter* eſſe connexum: quia qui eum ſuſcipit, ita renuntiat ſæculo, ut *totaliter* atque in perpetuum, Dei ſervitio debeat eſſe mancipatus.

Alii, & inter recentiores non pauci, *totam* voti illius *ſolemnitatem* ab *Eccleſiæ inſtitutione* derivatam eſſe, & ab ea *ſolvi* poſſe contendunt; proinde æque in *ſolemni*, ac in *ſimplici*, ubi juſta cauſſa fuerit, à *ſummo Pontifice* diſpenſari poſſe, id quod non ſemel etiam *factum* fuiſſe confirmant.

CA-

(*a*) *Cum* S. Thoma *ſentiunt* Albert. Magn. S. Bonav. Sotus. Altiſſiodor. Almain. Capreol. Turrecremata. Silveſter. Catharinus.

Contra, juriſperiti communiter, quos citat & ſequitur Covarruvias. Navarrus *c.* 11. *n.* 75. Soto *major*. Richard. Durand. Paludan. Major. Henricus Gandav. Petrus Soto. Corduba. Cajetan. *aliique his recentiores*.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De tertio Præcepto Decalogi: MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Vide S.Th. 2.2. q.122. art.4.

QUæſtio 1. *Quid ſibi vult nomen* SABBATI?

℟. Hebraica vox eſt, *Requiem* propriè ſignificans: ſed ex uſu Veteris Legis *Septimum* hebdomadis diem denotat, quòd præcepiſſet Deus, ut eo die Divino cultui ſingulariter intenti, ab omni opere laborioſo *quietem* Iſraelitæ agerent, idque ad commemorandam *quietem* illam, qua poſtquam ſex diebus Deus univerſa creaverat, (*a*) *ſeptima* die novas rerum ſpecies producere deſiit.

(*a*) *Gen.* 2.2.

Q. 2. *Quomodo hoc præceptum ad Chriſtianos pertinet?*

℟. Præceptum hoc partim *morale* eſt, partim *cæremoniale*. Qua parte *morale* eſt, ad omnes omnium temporum homines pertinet: qua verò parte *cæremoniale* eſt, ſub nova Lege neminem obligat.

Q. 3. *Quid autem continet* morale, *quid* cæremoniale?

℟. *Morale* hoc continet, ut, juxta naturalis legis præſcriptum, aliqua ſaltem *temporis noſtri portio* ſupremi Creatoris obſequio ſpecialiter deputetur, quam in debito Religionis exercitio, Divinarumque rerum meditatione, & beneficiorum grata recordatione tranſigamus. *Cæremoniale* autem eſt, quòd in hanc rem *diem* quemque *ſeptimum* deſignaverit Deus: proinde ceſſantibus veteris Teſtamenti cæremoniis, hæc quoque *deſignatio* finem habet, perſeverante interim *principali* illa obligatione,

Digitized by Google

quæ cùm ex *naturali* jure profluat, à nobis auferri non poteſt.

Q. 4. *Quis in Sabbati locum ſub nova Lege ſubſtitutus eſt dies?*

(a) Vide 1. Cor. 16. 2. Apoc. 1. 10

℞. *Primus* cujuſque ſeptimanæ dies ex *Apoſtolica traditione* (a) ſucceſſit, quem nos *Dominicum* dicimus, & ſingulari religione obſervamus, quòd illo Chriſtus à morte *revixerit*, ſicque poſt *labores* omnes vitæ hujus mortalis feliciter ſuperatos, in plenam *Requiem* ſuam introiverit. Adde, quòd & promiſſum *Spiritum S.* eo die in diſcipulos effudiſſe credatur, cujus gratia ad perfectam *Requiem* (b) fideles adduci debent. Ceterùm obſervationi diei *Dominici*, varii per anni decurſum *Dies Feſti* Eccleſiaſtica auctoritate adjuncti ſunt, pari religione tranſigendi.

(b) Hebr. 4. 9.

Q. 5. *Quæ hujus additionis ratio?*

℞. Partim ut ſtatutis diebus præcipua redemptionis noſtræ myſteria attentiùs recolantur: partim ut in Sanctiſſimæ Matris Virginis aliorumque Sanctorum memoria, ſuprema Dei bonitas & admiranda potentia celebretur, populuſque Chriſtianus ad illorum ſequenda veſtigia provocetur.

Q. 6. *Quid itaque hoc præcepto dominicis, feſtiſque diebus; Chriſtiano homini faciendum injungitur?*

(c) Vide Caniſium cap. 3. n. 11.

℞. Vult hoc præceptum (c) ut dies feſti *piis operibus* tranſigantur: ut animus tunc adſit *curis vacuus*, qui ſe liberè transferat ad cultum *interiorem* & *exteriorem* Deo in fide, ſpe, & charitate præſtandum. Vult ut expediti divina meditemur *beneficia*, tractemus ſacra, oremus & adoremus Deum cum privatim, tum publice cum aliis, (d) *in ſpiritu & veritate*.

(d) Joan. 4. 23.

Ceterum inter *opera pietatis* hoc præ ceteris præcipitur, ac ſub reatu *peccati mortalis* injungitur,

Digitized by Google

gitur, ut ſacroſancto *Miſſæ* Sacrificio diebus iſtis *unuſquiſque* (*a*) fidelium reverenter aſſiſtat, de qua re latiùs infrà tractabitur agendo de *præceptis Eccleſiæ*. Cap. 30.

(*a*) *Vide Prop.* 89. *inter* 101.

Q. 7. *Quid autem hoc præceptum prohibet?*

℞. Prohibet diebus feſtis *labore*, operibus vacare *mechanicis*, & occupationibus deditum eſſe *profanis*: eo nimirum fine; ut otio ſancto vacemus, adeundo Templum, & audiendo Eccleſiæ Sacrum, ſeu Miſſam, & ſtatam Concionem, quemadmodum hoc præceptum obſervare pii conſueverunt.

Q. 8. *Quænam opera maximè ſervilia ſunt, Feſtiſque diebus præcipuè vitanda?*

℞. Nulla eſt tam dira ſervitus, quàm illa qua ſervitur *peccato*, atque *diabolo*; nulla proinde opera *magis ſervilia*, quàm peccata: nam (*b*) *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* (*c*) Quapropter omni quidem tempore à peccatis abſtinendum eſt, at præcipuè illo, quod *divino cultui* ſingulariùs conſecratum eſt.

Nihilominùs cùm hoc præcepto opera dumtaxat *corporaliter ſervilia*, (*d*) id eſt laborioſa, mechanica, aut cum profano *ſtrepitu* exerceri ſolita, *directè* prohibeantur, communior Theologorum opinio eſt, peccata, quæ diebus hiſce committuntur, non ita generatim huic præcepto adverſari; ut novam inde contrahant *ſacrilegii*, aut alterius malitiæ ſpeciem, quæ neceſſariò in confeſſione exprimenda ſit; quippe quod nulla hactenus *Eccleſiæ lege* præſcriptum, neque communi *fidelium praxi* ſatis huc uſque probatum eſſe videatur.

(*b*) Joan. 8. 34.
(*c*) *Vide* S. Thom. 2. 2. *q*. 122. *art*. 4. *ad* 3.
(*d*) *Vide infrà Explicationem primi præcepti Eccleſiæ.*

Q. 9. *Quò tendunt tria priora præcepta, quæ huc uſque explicata ſunt?*

℞. Eò nos inſtituunt, ut verum ſincerumque *Deo cultum* præſtemus, interiorem ſcilicet & exte-

ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua...... Quàm malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.

Q. 6. *Cur Obſervationi hujus Præcepti* longævæ vitæ *promiſſio adjecta eſt?*

℞. Quia qui pro accepto beneficio ſe *gratum* præbet, dignus eſt, cui beneficium *conſervetur*.

Quanti porrò facienda ſit paterna *benedictio*, ea præſertim quæ à morituro parente, obedienti filio impenditur, exemplo (*a*) Jacobi Patriarchæ & (*b*) filiorum ejus facilè demonſtrari poteſt: *maledictio* verò quàm ſit pertimeſcenda oſtendit (*c*) *S. Auguſtinus* exemplo decem ejuſdem matris liberorum, fratrum partim ac ſororum, quos cùm Cæſareæ Cappadociæ, poſt patris obitum, injuriis irritata mater diris devoviſſet; toto corpore *tremebundi*, ad terrorem ceterorum hominum; per orbis Romani provincias diſperſi atque vagati ſunt. (*d*) *Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

(*a*) Gen. 27. ℣. 28. & ſeqq.
(*b*) Ibid. cap. 49.
(*c*) Lib. 22. de Civ. Dei c. 8.
(*d*) Eccli. 3. ℣. 11.

Q. 7. *Licetne filio, intuitu obtinendæ hæreditatis*, deſiderare mortem *parentum*?

℞. Abſurdum videretur id quærere, niſi fuiſſent aliquando qui ſenſerint: (*e*) „ licitum eſſe „ *abſoluto deſiderio cupere mortem patris*, non „ quidem ut malum patris, ſed ut bonum cu- „ pientis; quia nimirum ei obventura eſt pin- „ guis hæreditas. (*f*) Licitum item eſſe filio „ *gaudere de parricidio* à ſe in ebrietate perpe- „ trato, propter ingentes divitias inde ex hæ- „ reditate conſecutas. Sed utrumque ab *Innocentio XI.* meritiſſimo jure damnatum eſt. Viderunt ipſi Ethnici, execrabilem eſſe filium qui *ante diem patrios inquirit in annos*: & quomodo non *morte* apud Deum dignus ſit, qui *vi-*

(*e*) Vide Propoſ. 14. Innoc. XI.
(*f*) Vide Propoſ. 15. Ibid.

tam,

tam, quam ab illo *per parentes* accepit, his ipſis cupit auferri, vel gaudet ablatam?

Q. 8. *Quæ ſunt officia* PARENTUM *erga filios?*

℞. Prima parentum cura ſit, ut proles feliciter *naſcatur*. Proxima, ut per lavacrum regenerationis feliciùs *renaſcatur*. Vigilandum deindè, ne tenella ætas incautè *ſuffocetur*, neve aqua, igne, vel ſimili caſu *pereat*, *mutiletur*, aut *deformetur*. Matres quoque *proprio*, ſi fieri poteſt, non extraneæ nutricis *lacte* prolem alere, tùm naturali jure, (*a*) tùm Eccleſiaſticorum Canonum Sanctionibus admonentur: etenim recta filiorum indoles alieno lacte ſæpiſſimè *depravatur*, & *naturalis* in parentes *amor* non parùm degenerat ac flacceſcit. Quòd ſi id fieri omnino non poteſt, *nutrix* non quælibet aſſumenda, ſed *maturo judicio* deligenda eſt.

Quando jam proles *adoleſcit*, parentum officium eſt, (*b*) ut *ſtatim* Fidei morumque Chriſtianorum præcepta *per ſe*, aut per *Pædagogos*, teneris mentibus inſinuent: *Dei timorem* & amorem, rerumque cœleſtium deſideria & *verbo* & *exemplo* inſtillent: ſuccreſcentia (*c*) vitia *tempeſtivè* reprimant & ſuccidant, memores quàm terribilis punitio nimiam *Heli* (*d*) erga filios indulgentiam fuerit conſecuta: ut proinde filios educent *in diſciplina & correptione Domini*, nequaquam tamen eos acerbitate nimia (*e*) *ad indignationem* provocantes, *ut non puſillo animo fiant*: præthereà ut ea quæ ad *victum* pertinent, juxta ſtatus ſui conditionem iis ex animo ſubminiſtrent: *Hæreditatem* denique competentem relinquant, aut *artem licitam* edocendos curent, qua vitam *honeſtè* tranſigere poſſint.

(*a*) *Diſt.* 5. *cap.* 4. ad ejus.

(*b*) *Deut.* 11. 19.

(*c*) *Vide* S. Aug. *l.* 1. *conf. c.* 3. & 4. *item l.* 2. *c.* 3.

(*d*) 1. *Reg.* 3. 13. & c. 4. ℣. 11. & 18.

(*e*) *Epheſ.* 6. 4. *Prov.* 13. 24.

Q. 9. *Soline* parentum *nomine in quarto hoc*

Digitized by Google

bet quæ Deo grata ſit, locum habere poteſt: at voti *ſolemnitas* duobus dumtaxat modis celebratur; primùm, cùm per ſuſceptionem *Ordinis ſacri* totum ſe divino miniſterio quiſpiam tradit: deinde, cùm per *certæ Regulæ* ab Eccleſia probatæ *profeſſionem*, relicto ſæculo & abdicata propria voluntate, perfectionis ſtatum amplectitur. *Solemne* votum hunc à *multis ſæculi* habet effectum, ut matrimonium contrahendum *ſemper* dirimat, *aliquando* etiam contractum, cùm nempe emittitur in *religione approbata*, priuſquam Matrimonium fuerit *conſummatum*: *ſimplex* neutrum efficit. *Hodierno* (*a*) etiam jure invalidum eſt votum ſolemne, quod ante annum ætatis *decimum-ſextum* expletum, vel anno *probationis* nondum evoluto, emittitur.

Vid. Tom. 1. ſect. 2. Cap. 25. qu. 13.

(*a*) Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de Reg. c.* 15.

Q. 4. *Quæ & qualis eſt voti* OBLIGATIO?

℟. Votum, poſtquam deliberate emiſſum eſt, *neceſſario* etiam pro hoc tempore *Novæ Legis ſervandum* eſſe, cùm ſervari poteſt, ex *ſcripturis* (*b*) patet, & ex ipſa *ratione*, quæ *infidelitatem* in ſervandis promiſſis damnat, evidens eſt.

Obligatio hæc ex genere ſuo *gravis* eſt, *levis* tamen eſſe poteſt ob (*c*) *materiæ parvitatem*, tametſi ſentiat *S. Thomas* (*d*) majorem, ceteris paribus, obligationem *voti* eſſe, quàm *juramenti promiſſorii*, in cujus tamen violatione *materiæ levitatem* multi non agnoſcunt. Quod ſi verum ſit, diſparitatis ratio ex hoc deſumenda erit, quòd levis rei quæ Deo promiſſa eſt

(*b*) *Deut.* 23. 21. *Pſ.* 75. 12. *Eccli.* 5. 3. 1. *Tim.* 5. 12.

(*d*) 2. 2. *q.* 89. *art.* 8.

(*c*) *Communior quoque perſuaſio eſt* levem *eam eſſe poſſe ex* intentione voventis, *ſi nempe in materia* gravi *expreſsè quis intenderit ſeſe tantùm obligare* ſub levi. „ *In tantum fertur obligatio voti, in quantum ſe extendit voluntas & intentio voventis*: *ait* „ S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *a.* 4.

eſt violatio, *levem* tantùm *infidelitatem* contineat; *perjurium* autem, ob quamcumque cauſam fiat, numquam non *gravem injuriam* divinæ, qua *abutitur*, veritati inferat. Verùm * *Sylvius*, variique, quos citat, Theologi, in violatione juramenti promiſſorii, quod bona fide, animoque jurandi & exequendi, præſtitum fuit, æquè ac in voti tranſgreſſione, admittunt *materiæ parvitatem*: tunc præſertim, cùm juramenti violatio, verſatur tantummodo circa materiam ejuſdem *partialem*.

* *In 2.2. q. 89. art. 8. & præſertim qu. 98. art. 3. concl. 4.*

Exigit porrò hæc voti obligatio, ut votum *præfixo* tempore, aut aliàs, *quam primum* fieri poteſt, impleatur. Quòd ſi ob imprudentiam, metum incuſſum, aut aliam juſtam cauſſam, voti redemptio, vel diſpenſatio requirenda videatur, ea ob conſcientiæ tranquillitatem & *celeriter* & *reverenter* petenda eſt.

Q. 5. EXPEDITNE *vovere?*

℞. *Expedit* planè (*a*) modo id *matura* cum deliberatione fiat. Etenim opus *ex voto* factum, *melius magiſque meritorium* eſt, quàm *citra votum*, quippe cùm per hoc non modò *fructus* libertatis, ſed ipſa etiam *arbor* & *radix* divino obſequio conſecretur, voluntaſque hominis ex ſe inſtabilis, in eo quod *bonum* eſt, *felici neceſſitate* (*b*) firmetur. Attamen concludi non poteſt, *utile* fore, ut *omnia* opera bona, quæ *facturi* ſumus, antea *voveamus*, ſtolidum id foret ac *temerarium*; id quod pariter dicendum eſt de voto *numquam peccandi*, quod ſi fieret, ne ullum quidem *novum vinculum* videtur allaturum.

(*a*) *Vide Iſai. 19. 12. Matth. 19. 12.*

(*b*) Felix neceſſitas, *quæ ad meliora compellit*. S. Aug. *Ep.* 127.

Non parva igitur in emiſſione votorum adhibenda eſt *cautio*, maximè ſi in *re gravi*, vel in *longum tempus* voveatur: multa ſanè non raro comitantur *incommoda*, quæ ſi non prævide rint *incauti*, ſubire debebunt forſitan *inviti*. Quapropter (*c*) diſplicet Deo *infidelis & ſtulta*

(*c*) *Eccli. 5. 3.*

Digitized by Google

promiſſio . . . . multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Ceterùm vota, etſi *imprudenter* ac *temere* emiſſa fuerint, ſi nihil aliud obſtet, nihilominùs *ſervanda ſunt.*

Q. 6. *Quot modis* TOLLI *poteſt obligatio voti?*

℟. Præterquàm quod voti obligatio ſponte *ceſſet*, ſi *impotentia* ſuperveniat, ſeu *phyſica*, ſeu *moralis*, ſaltem *quouſque* ea ſe extendit; *tolli* inſuper poteſt his præſertim modis: 1. Vota *ſubditorum*, tametſi ex ſe *licita* & valida, *pro arbitrio* IRRITARE poteſt (*a*) ſuperior, ſi modò facta fuerint in iis rebus, *in quibus ſubditi* ſunt. (*b*) Quòd ſi ille conſenſerit, obligatio, quæ huc uſque *infirma* erat, plenum *firmitatis* robur accipiet.

(*b*) *Vide Num.* 30.

2. COMMUTARE poteſt prælatus ſubditi ſui votum in *melius*, aut rem fere *æqualem*; imo in id quod *evidenter melius* ſit, commutare poteſt plerumque ipſe qui vovit, modò ſaltem mutatio fiat in rem ejuſdem quaſi *generis* & *ordinis*, ac ſine cujuſquam *injuria*, aut læſione; ut ne tamen ſibi ipſi fortè mentiatur iniquitas, ſatius etiam tunc ad ſuperiorum arbitrium res tota deferetur.

3. In voto etiam DISPENSARI poteſt; non tantùm *interpretando* an votum ultro ceſſet, (*c*) verùm etiam *relaxando*, non tamen ſine *juſta cauſſa*, quæ ſi deſit, (*d*) *diſpenſatio* non modo *illicita* erit, ſed & *invalida*. Facile interim fit,

(*c*) *Vide cap. præc. q.* 11.

(*a*) *Sic pleraque vota* filiorum-familias, *quamdiu non ſunt emancipati, à* Patre *irritari poſſunt, non tamen votum continentiæ, aut ingrediendæ religionis poſt annos* pubertatis *emiſſum: uxoris, à* marito: *quæcumque etiam vota Religioſorum à* prælato, *excepto dumtaxat voto* religionis ſtrictioris.

(*d*) *Abſque neceſſitate, remiſſio voti non eſt diſpenſatio, ſed prævaricatio.* S. Bernard. *de præcept. & diſp. c.* 5.

Digitized by Google

ſit, ut diſpenſatio *petatur male*, & *concedatur bene*. Quòd ſi is, qui diſpenſationem, aut commutationem voti *bona fide* obtinuit, de *juſtitia cauſſæ* deinceps DUBITET, (*a*) damnabiliter errare non poterit, ſequendo *judicium* diſpenſantis, aut commutantis.

Q. 7. *Quis* POTEST *diſpenſare?*

℟. Poteſtas *ordinaria*, in ſuos reſpectivè ſubditos, *Epiſcopis* competit, aliiſque Prælatis *ordinariis*, Epiſcopali poteſtate præditis; *plenitudo* ejus penes *ſummum Pontificem* reſidet, cujus etiam poteſtati *quinque* jam pridem vota *reſervari* conſueverunt, nimirum *caſtitatis perpetuæ*, *ſtatus Religioſi*, triumque *peregrinationum*, Hieroſolymitanæ, Romanæ & Compoſtellanæ.

Votum *continentiæ*, aut (*b*) *cælibatus*, multum differt à primo voti genere *reſervato*. Frequens in hoc ipſo diſpenſatio malè carperetur, cùm *non rara* ſit occaſio, qua in voto ſimplici *perpetuæ caſtitatis* diſpenſari *poſſit* ac *debeat*. (*b*) *Non nubendi*.

Reſervatio, quatenus poteſtatem *ordinariam* reſtringit, *ſtricti*, & *odioſi* juris eſt, ideoque *coarctari* potiùs ſolet quàm *extendi*: in votis reſervatis; ſi *conditionalia* tantùm fuerint, aut *pœnalia* (*c*) Epiſcoporum diſpenſationem communis fere praxis admittit; quin & in aliis ſæpè caſibus, *inopinatis* præſertim & *moram* non ferentibus, ſive ex *privilegio*, ſive ex *Epiikia*, Epiſcopi diſpenſant.

(*a*) *De* dubio voto *ſic reſolvi ſolet. Si quis* mox *dubitare incipit num voverit, non videtur voto obſtrictus: Si* diu poſt *dubium enaſcatur, cùm ab initio ſe obligatum ſenſerit, voto tenetur: ſi denique certus ſe nuncupaſſe votum, dubitare cœperit ſatiſne* deliberate *voverit, & hic tenetur*.

(*c*) *Etiam poſt culpam commiſſam, vel conditionem impletam. Verum certius id eſt de* pœnalibus, *quàm de aliis* merè conditionatis.

Poteſtas *diſpenſandi* variis quoque modis *delegari* ſolet. Qui eam habet ad *diſpenſandum*, habet etiam ad *commutandum*, ſed non contra.

Q.8. *Poteſtne & in* VOTO SOLEMNI *locum habere* diſpenſatio?

℞. In eo, quod *ſacri Ordinis* ſuſceptioni adnexum eſt, Papam diſpenſare poſſe, apud omnes exploratum eſt; an autem id poſſit etiam in *voto ſolemnis Religionis*, non parva eſt *controverſia*. Sentit *S.Thomas*, (*a*) in voto iſto *traditionem* & *acceptationem* talem intervenire, quæ ipſo *naturæ jure* matrimonium deinceps dirimat, quæque adeo nulla poteſtate humana, tolli, aut ſolvi poſſit; neque fieri poſſe, ut qui Religioſa profeſſione *Monachus* factus eſt, *deſinat* eſſe Monachus, cui ſtatui ait debitum continentiæ *eſſentialiter* eſſe connexum: quia qui eum ſuſcipit, ita renuntiat ſæculo, ut *totaliter* atque in perpetuum, Dei ſervitio debeat eſſe mancipatus. *Art. XI.*

Alii, & inter recentiores non pauci, *totam* voti illius *ſolemnitatem* ab *Eccleſiæ inſtitutione* derivatam eſſe, & ab ea *ſolvi* poſſe contendunt; proinde æque in *ſolemni*, ac in *ſimplici*, ubi juſta cauſſa fuerit, à *ſummo Pontifice* diſpenſari poſſe, id quod non ſemel etiam *factum* fuiſſe confirmant.

CA-

(*a*) *Cum* S. Thoma *ſentiunt* Albert. Magn. S. Bonav. Sotus. Altiſſiodor. Almain. Capreol. Turrecremata. Silveſter. Catharinus.

Contra, juriſperiti communiter, quos citat & ſequitur Covarruvias. Navarrus *c.* 11. *n.* 75. Soto *major*. Richard. Durand. Paludan. Major. Henricus Gandav. Petrus Soto. Corduba. Cajetan. *aliique his recentiores*.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De tertio Præcepto Decalogi: MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Vide S.Th. 2.2. *q.*122. *art.*4.

QUæſtio 1. *Quid ſibi vult nomen* SABBATI?

℞. Hebraica vox eſt, *Requiem* propriè ſignificans: ſed ex uſu Veteris Legis *Septimum* hebdomadis diem denotat, quòd præcepiſſet Deus, ut eo die Divino cultui ſingulariter intenti, ab omni opere laborioſo *quietem* Iſraelitæ agerent, idque ad commemorandam *quietem* illam, qua poſtquam ſex diebus Deus univerſa creaverat, (*a*) *ſeptima* die novas rerum ſpecies producere deſiit.

(*a*) *Gen.* 2.2.

Q. 2. *Quomodo hoc præceptum ad Chriſtianos pertinet?*

℞. Præceptum hoc partim *morale* eſt, partim *cæremoniale*. Qua parte *morale* eſt, ad omnes omnium temporum homines pertinet: qua verò parte *cæremoniale* eſt, ſub nova Lege neminem obligat.

Q. 3. *Quid autem continet* morale, *quid* cæremoniale?

℞. *Morale* hoc continet, ut, juxta naturalis legis præſcriptum, aliqua ſaltem *temporis noſtri portio* ſupremi Creatoris obſequio ſpecialiter deputetur, quam in debito Religionis exercitio, Divinarumque rerum meditatione, & beneficiorum grata recordatione tranſigamus.

Cæremoniale autem eſt, quòd in hanc rem *diem* quemque *ſeptimum* deſignaverit Deus: proinde ceſſantibus veteris Teſtamenti cæremoniis, hæc quoque *deſignatio* finem habet, perſeverante interim *principali* illa obligatione,

Digitized by Google

quæ cùm ex *naturali* jure profluat, à nobis auferri non poteſt.

Q. 4. *Quis in Sabbati locum ſub nova Lege ſubſtitutus eſt dies?*

℞. *Primus* cujuſque ſeptimanæ dies ex *Apoſtolica traditione* (*a*) ſucceſſit, quem nos *Dominicum* dicimus, & ſingulari religione obſervamus, quòd illo Chriſtus à morte *revixerit*, ſicque poſt *labores* omnes vitæ hujus mortalis feliciter ſuperatos, in plenam *Requiem* ſuam introiverit. Adde, quòd & promiſſum *Spiritum S.* eo die in diſcipulos effudiſſe credatur, cujus gratia ad perfectam *Requiem* (*b*) fideles adduci debent. Ceterùm obſervationi diei *Dominici*, varii per anni decurſum *Dies Feſti* Eccleſiaſtica auctoritate adjuncti ſunt, pari religione tranſigendi.

(*a*) Vide 1. Cor. 16. 2. Apoc. 1. 10

(*b*) Hebr. 4. 9.

Q. 5. *Quæ hujus additionis ratio?*

℞. Partim ut ſtatutis diebus præcipua redemptionis noſtræ myſteria attentiùs recolantur: partim ut in Sanctiſſimæ Matris Virginis aliorumque Sanctorum memoria, ſuprema Dei bonitas & admiranda potentia celebretur, populuſque Chriſtianus ad illorum ſequenda veſtigia provocetur.

Q. 6. *Quid itaque hoc præcepto dominicis, feſtiſque diebus; Chriſtiano homini faciendum injungitur?*

℞. Vult hoc præceptum (*c*) ut dies feſti *piis operibus* tranſigantur: ut animus tunc adſit *curis vacuus*, qui ſe liberè transferat ad cultum *interiorem* & *exteriorem* Deo in fide, ſpe, & charitate præſtandum. Vult ut expediti divina meditemur *beneficia*, tractemus ſacra, oremus & adoremus Deum cum privatim, tum publice cum aliis, (*d*) *in ſpiritu & veritate*.

(*c*) Vide Caniſium cap. 3. n. 11.

(*d*) Joan. 4. 23.

Ceterum inter *opera pietatis* hoc præ ceteris præcipitur; ac ſub reatu *peccati mortalis* injungitur,

gitur, ut ſacroſancto *Miſſæ* Sacrificio diebus iſtis *unuſquiſque* (*a*) fidelium reverenter aſſiſtat, de qua re latiùs infrà tractabitur agendo de *præceptis Eccleſiæ*. Cap. 30.

(*a*) *Vide Prop. 89. inter 101.*

Q. 7. *Quid autem hoc præceptum prohibet?*

℞. Prohibet diebus feſtis *labore*, operibus vacare *mechanicis*, & occupationibus deditum eſſe *profanis*: eo nimirum fine; ut otio ſancto vacemus, adeundo Templum, & audiendo Eccleſiæ Sacrum, ſeu Miſſam, & ſtatam Concionem, quemadmodum hoc præceptum obſervare pii conſueverunt.

Q. 8. *Quænam opera maximè* ſervilia *ſunt, Feſtiſque diebus præcipuè vitanda?*

℞. Nulla eſt tam dira ſervitus, quàm illa qua ſervitur *peccato*, atque *diabolo*; nulla proinde opera *magis ſervilia*, quàm peccata: nam (*b*) *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. (*c*) Quapropter omni quidem tempore à peccatis abſtinendum eſt, at præcipuè illo, quod *divino cultui* ſingulariùs conſecratum eſt.

(*b*) Joan. 8. 34.

(*c*) *Vide* S. Thom. 2. 2. *q.* 122. *art.* 4. *ad* 3.

Nihilominùs cùm hoc præcepto opera dumtaxat *corporaliter ſervilia*, (*d*) id eſt laborioſa, mechanica, aut cum profano *ſtrepitu* exerceri ſolita, *directè* prohibeantur, communior Theologorum opinio eſt, peccata, quæ diebus hiſce committuntur, non ita generatim huic præcepto adverſari; ut novam inde contrahant *ſacrilegii*, aut alterius malitiæ ſpeciem, quæ neceſſariò in confeſſione exprimenda ſit; quippe quod nulla hactenus *Eccleſiæ lege* præſcriptum, neque communi *fidelium praxi* ſatis hucuſque probatum eſſe videatur.

(*d*) *Vide infrà Explicationem primi præcepti Eccleſiæ.*

Q. 9. *Quò tendunt tria priora præcepta, quæ hucuſque explicata ſunt?*

℞. Eò nos inſtituunt, ut verum ſincerumque *Deo cultum* præſtemus, interiorem ſcilicet & exte-

Digitized by Google

exteriorem, corde, ore, & opere; tum publicè, tum privatim.

Reliqua ſeptem quæ deinde ſequuntur, præcepta SECUNDÆ TABULÆ dicuntur, in hoc addita, ut noſtrum *erga proximum* officium explicent.

CAPUT XVI.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 5.

De Quarto Decalogi Præcepto: HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

QUæſtio I. *Quid verbis iſtis injungitur?*

℞. Ut his, qui ſecundum Deum vitæ noſtræ ſunt *auctores*, reverentiam, obedientiam, opemque præſtemus: nam ad hæc tria omne ipſis debiti officii genus commode reduci poteſt.

Q. 2. *Quam* REVERENTIAM *liberi debent Parentibus?*

℞. Eam ſcilicet, ut ſuæ *originis* memores, poſt Deum à parentibus ſe habere agnoſcant quidquid ſunt, haneque adeò ipſorum excellentiam interiùs exteriuſque *venerentur*, atque indeſeſſum parentum erga ſe amorem, ſollicitudinem ac vigilantiam, *pari dilectione* compenſent. (a) *Memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quemadmodum & illi tibi.* (b) *Qui* verò *maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur.*

(a) Eccli. 7. 30.
(b) Exod. 21, 17.

Q. 3. *Quam debent filii parentibus* OBEDIENTIAM?

℞. Ut juſtæ ac *rationabili* eorum voluntati lubenti animo obtemperent: dumque parentum

tum *gubernationi* ſubſunt, illis *inſciis* nihil unquam majoris momenti aggrediantur. (*a*) *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt*, inquit Apoſtolus: in quam rem nihil efficacius exemplo Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui non modò æterno Patri (*b*) uſque ad mortem obediens fuit, verùm etiam (*c*) Matri, ejuſque ſponſo Joſepho, ultrò ſe ſubditum præbuit.

(*a*) Epheſ. 6. 1.

(*b*) Philip. 2. 8.

(*c*) Luc. 2. 51.

Q. 4. *Sed quid ſi parentes* illicita *atque injuſta præcipiant?*

℞. Tunc illa Petri ſententia locum habet: (*d*) *obedire Deo oportet magis, quàm hominibus*. Itemque Salvatoris: (*e*) *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Verùm non facilè credi debet, parentes injuſta præcipere: cavendumque, ne juvenilis ætas debito fræno coercita, ſibi ipſi hac in parte imponat. Quare nihil hic proprio, at totum prudentis Confeſſarii, judicio, tribuat neceſſe eſt.

(*d*) Act. 5. 29.

(*e*) Matth. 10. 37.

Q. 5. *Quam* OPEM *debent parentibus filii?*

℞. Ut iis in quavis *neceſſitate* verſantibus, pro ſua facultate *ſubveniant*; (*f*) quod filiorum erga parentes officium cùm Scribæ ac Phariſæi falſo pietatis obtentu, perverſaque interpretatione ſubverterent, (*g*) à Chriſto graviſſimè reprehenſi ſunt. (*h*) *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius, & ſi*

(*g*) Marc. 7. 23.

(*h*) Eccli. 3. ℣. 14. 15. & 18.

(*f*) *Vide* S. Thom. 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. *ubi ait*: „ *ille qui eſt* (*adhuc*) *in ſæculo conſtitutus, ſi* „ *habet parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non* „ *debet eis relictis* religionem *intrare: quia* tranſ„ grederetur *præceptum de honoratione parentum* . . . . „ *ille verò qui jam eſt in religione* profeſſus . . . *tene*„ *tur tamen ſalva ſui Prælati obedientia, & ſua reli*„ *gionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter ejus pa*„ *rentibus ſubveniatur*.

ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua...... Quàm malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.

Q. 6. *Cur Obſervationi hujus Præcepti* longævæ vitæ *promiſſio adjecta eſt?*

℞. Quia qui pro accepto beneficio ſe *gratum* præbet, dignus eſt, cui beneficium *conſervetur*.

Quanti porrò ſacienda ſit paterna *benedictio*, ea præſertim quæ à morituro parente, obedienti filio impenditur, exemplo (*a*) *Jacobi* Patriarchæ & (*b*) filiorum ejus facilè demonſtrari poteſt: *maledictio* verò quàm ſit pertimeſcenda oſtendit (*c*) *S. Auguſtinus* exemplo decem ejuſdem matris liberorum, fratrum partim ac ſororum, quos cùm Cæſareæ Cappadociæ, poſt patris obitum, injuriis irritata mater diris devoviſſet; toto corpore *tremebundi*, ad terrorem ceterorum hominum; per orbis Romani provincias diſperſi atque vagati ſunt. (*d*) *Benedictio Patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

(*a*) *Gen.* 27. ℣. 28. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. cap.* 49.
(*c*) *Lib.* 22. *de Civ. Dei c.* 8.
(*d*) *Eccli.* 3. ℣. 11.

Q. 7. *Licetne filio, intuitu obtinendæ hæreditatis*, deſiderare mortem *parentum?*

℞. Abſurdum videretur id quærere, niſi fuiſſent aliquando qui ſenſerint: (*e*) „ licitum eſſe „ *abſoluto deſiderio cupere mortem patris*, non „ quidem ut malum patris, ſed ut bonum cu„ pientis; quia nimirum ei obventura eſt pin„ guis hæreditas. (*f*) Licitum item eſſe filio „ *gaudere de parricidio* à ſe in ebrietate perpe„ trato, propter ingentes divitias inde ex hæ„ reditate conſecutas. Sed utrumque ab *Innocentio XI.* meritiſſimo jure damnatum eſt. Viderunt ipſi Ethnici, execrabilem eſſe filium qui *ante diem patrios inquirit in annos*: & quomodo non *morte* apud Deum dignus ſit, qui vi-

(*e*) *Vide Propoſ.* 14. Innoc. XI.
(*f*) *Vide Propoſ.* 15. Ibid.

tam,

tam, quam ab illo *per parentes* accepit, his ipſis cupit auferri, vel gaudet ablatam?

Q. 8. *Quæ ſunt officia* PARENTUM *erga filios?*

℟. Prima parentum cura ſit, ut proles feliciter *naſcatur*. Proxima, ut per lavacrum regenerationis feliciùs *renaſcatur*. Vigilandum deindè, ne tenella ætas incautè *ſuffocetur*, neve aqua, igne, vel ſimili caſu *pereat*, *mutiletur*, aut *deformetur*. Matres quoque *proprio*, ſi fieri poteſt, non extraneæ nutricis *lacte* prolem alere, tùm naturali jure, (*a*) tùm Eccleſiaſticorum Canonum Sanctionibus admonentur: etenim recta filiorum indoles alieno lacte ſæpiſſimè *depravatur*, & *naturalis* in parentes *amor* non parùm degenerat ac flacceſcit. Quòd ſi id fieri omnino non poteſt, *nutrix* non quælibet aſſumenda, ſed *maturo judicio* deligenda eſt.

(*a*) *Diſt.* 5. *cap.* 4. ad ejus.

Quando jam proles *adoleſcit*, parentum officium eſt, (*b*) ut *ſtatim* Fidei morumque Chriſtianorum præcepta *per ſe*, aut per *Pædagogos*, teneris mentibus inſinuent: *Dei timorem* & amorem, rerumque cœleſtium deſideria & *verbo* & *exemplo* inſtillent: ſuccreſcentia (*c*) vitia *tempeſtivè* reprimant & ſuccidant, memores quàm terribilis punitio nimiam *Heli* (*d*) erga filios indulgentiam fuerit conſecuta: ut proinde filios educent *in diſciplina & correptione Domini*, nequaquam tamen eos acerbitate nimia (*e*) *ad indignationem* provocantes, *ut non puſillo animo fiant*: præterea ut ea quæ ad *victum* pertinent, juxta ſtatus ſui conditionem iis ex animo ſubminiſtrent: *Hæreditatem* denique competentem relinquant, aut *artem licitam* edocendos curent, qua vitam *honeſtè* tranſigere poſſint.

(*b*) *Deut.* 11. 19.

(*c*) *Vide* S. Aug. *l.* 1. *conf. c.* 3. *&* 4. *item l.* 2. *c.* 3.

(*d*) 1. *Reg.* 3. 13. *&* *c.* 4. ℣. 11. *&* 18.

(*e*) *Epheſ.* 6. 4. *Prov.* 13. 24.

Q. 9. *Soline* parentum *nomine in quarto hoc*

præ-

præcepto cenſendi ſunt, qui nos carnaliter *genuerunt?*

℞. Nequaquam; ſed *extenſione* quadam eo quoque nomine comprehenduntur omnes, qui dignitate & poteſtate præcellentes, aliquid ad *vitæ noſtræ regimen* ſive in policitis, ſive in eccleſiaſticis contribuunt. Inter quos tamen præcipui ſunt, qui ad *æternam vitam* ſua gubernatione nos dirigunt, vel *excolendo animo* noſtro, utilibuſque diſciplinis & monitis imbuendo, ſedulam curam impendunt. *Senes* etiam honorari voluit (a) Deus; quòd *paternæ* dignitatis imaginem aliquam præ ſe ferant.

(a) Levit. 19. 32.

Vigore itaque hujus præcepti, ſibi mutuò debitores fiunt, non tantùm liberi & parentes, verùm etiam ſubditus & princeps, aut prælatus, diſcipulus & magiſter, oves & Paſtor, uxor & maritus; ſervus & Dominus, quorum obligationes mutuas breviter expendemus.

Q. 10. *Quid generatim Superioribus debent* SUBDITI?

℞. Idem ferè quod parentibus, REVERENTIAM erga eorum dignitatem & præcellentiam: OBEDIENTIAM in licitis & honeſtis, quæ ad illorum munus & auctoritatem pertinent: OPEM denique & ſubſidium, ut nempè Prælatis Eccleſiaſticis *decimas*, *oblationes*, cæteraque, quæ iis in *ſuſtentationis* ſtipendium aſſignata ſunt, fideliter perſolvant: Principibus verò ſæcularibus, & Magiſtratibus *debita tributa* minimè ſubtrahant. (b) *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.* (c) *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum,*

(b) Hebr. 13. 7.
(c) Rom. 13. 7.
Vide etiam Exod. 22. 28. Deuter. 17. 12. Eccli. 8. 17. 1. Tim. 2. 1. Tit. 3. 1. 1. Petr. 2. 13. 17.

(c) Diis *non detrahes*, & principi populi *tui non maledices*, Exod. 22. 28.

Qui autem ſuperbierit nolens obedire *Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex*

tum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

„ Regibus itaque, aliiſque ſummis poteſtatibus tenentur Subditi *honorem* & *obſequium* impendere, *tributa* ſolvere, *fidelitatem* ſervare: nec poſſunt adversùs illos, ſub quocumque obtentu *inſidias* ſtruere, turbas, vel *ſeditiones* movere, aut cum *hoſtibus* ſine graviſſimo perduellionis crimine ſocietatem inire.

Abhorrere etiam debent omnes fideles hanc propoſitionem, in *Concilio Conſtantienſi* Seſſ. 15. jam pridem, meritòque damnatam; „ *Quilibet tyrannus* poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumq; vaſallum ſuum, vel Subditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito juramento, vel confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato judicis cujuſcumque.

Q. 11. *Quid* DISCIPULI *Magiſtris, & quid viciſſim* MAGISTRI *diſcipulis præſtare debent?*

℞. *Diſcipulorum* erga Magiſtros officium eſt, ut eos ceu *parentes* diligant, honorent, atque ſuſpi-

decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael. Deuter. 17. 12.

Non judices contra judicem, *quoniam ſecundùm quod juſtum eſt, judicat.* Eccli. 8. 17.

Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus *& omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* 1. Tim. 2. 1. & 2.

Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe: neminem blaſphemare &c. Tit. 3. 1.

Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ: *ſive* Regi *tamquam præcellenti; ſive* ducibus *tamquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum... Deum timete,* Regem *honorificate.* 1. Petr. 2. 13. & 17.

Digitized by Google

ſuſpiciant; tùm prætereà in rebus, quæ ad ſuam *inſtitutionem* & *profectum* pertinent, præceptoribus ſedulò ac lubenter obtemperent.

Magiſtrorum autem officium eſt, diſcipulos ut *Filios* diligere, ad *imbecillium* captum ſeſe inclinare, nimiùm *delectum*, ſingularitatem, & perſonarum acceptionem cavere, non ſolùm doctrina, ſed vitæ quoque probitate & exemplo *præire*, doctrinam ſuam omnem ad *Fidei Catholicæ Regulam*, morumque honeſtatem accuratè ſemper exigere, & à *pravarum novitatum* ſcopulis juventutem ſibi creditam indefeſſa ſollicitudine deterrere; *vitia* denique non diſſimulare, ſed rigore manſuetudine temperato *diſciplinæ vigorem* conſervare.

Q. 12. *Quæ ſunt reciprocæ obligationes* OVIUM *&* PASTORIS?

℞. Ex duabus parabolis, quas *Joan.* X. verus animarum noſtrarum Paſtor, Chriſtus ipſe propoſuit, omnia *veri bonique* Paſtoris *indicia* & *officia*, quibus à *fure* differt & *mercenario*, ad hæc tria reduci poſſunt. 1. Paſtor aperiente *oſtiario* (*a*) per *oſtium*, (*b*) non aliunde ingreſſus, oves *nominatim* vocat, & educit ad *paſcua*. (*c*) 2. Commonſtraturus viam, *ante eas vadit*. (*d*) 3. Gregem ſibi creditum fortiter conſtanterque defendit, paratus *animam ſuam* id eſt vitam (*e*) *dare pro ovibus ſuis*.

(*a*) *Spiritu Sancto.*
(*b*) *Legitima vocationis.*
(*c*) *Sacramentorum & doctrinæ ſalutaris.*
(*d*) *Exemplo.*
(*e*) *Vide* 3. *Cor.* 12. 15.

His reſpondent, & ex ipſis ultro ſequuntur reciprocæ obligationes ovium erga Paſtorem. 1. Paſtoris eſt *exhibere* paſcua, ovium eſt iis *uti*. 2. Paſtoris eſt *præire*, ovium *ſequi*. 3. Paſtoris eſt gregem contra ingruentia mala *tueri*, ovium eſt Paſtori per amorem, honorem, & obedientiam *adhærere*, quamdiu ille ipſe adhæret *Deo*, *Eccleſiæ*, *&* *ſuperioribus* ſuis.

Q. 13. *Quid debet* UXOR *viro*, *quid viciſſim* VIR *præſtare tenetur Uxori?*

℞. Mu-

Digitized by Google

℞. Mutuam ſibi *dilectionem* debent conjuges, ac talem quidem, qua verè exprimatur intima unio, mutuaque dilectio (*a*) *Chriſti* & *Eccleſiæ*. Debet ergo utrimque *caſta* & *ſancta* eſſe, aliena ab affectu temerario *Zelotypiæ*, à qua in tot ſæpè familiis oritur tam funeſta turbatio; debet *firma* eſſe, *inviolabilis*, *fidelis*, ac *patiens*, ut alter alterius onera longanimiter portare conſueſcat, nec aliter unquam quàm *in Spiritu lenitatis* inſtruere, corripere, aut monere. (*a*) *Epheſ.* 5. 25.

UXOR ſpeciatim debet *viro* honorem & reverentiam, tamquam (*b*) *Domino*, ac (*c*) *capiti* ſuo, ita quidem ut in iis, quæ ad domus gubernationem, habitationem, bonoſque mores pertinent, *regulariter* marito (*d*) *obedire* teneatur. (*b*) 1. *Petr.* 3. 6. (*c*) *Epheſ.* 5. 23. (*d*) *Coloſſ.* 3. 19.

MARITUS meminiſſe debet, Mulierem olim de viri *latere* (*e*) factam, nec *Dominæ*, nec *Ancillæ*, ſed *ſociæ* loco à ſe habendam, illique (*f*) *quaſi infirmiori* quidem *vaſculo*, ſed *gratiæ cohæredi*, honorem impartiendum eſſe. (*e*) *Gen.* 2. 22. (*f*) 1. *Petr.* 3. 7.

Q. 14. *Quodnam eſt officium famulantium erga Dominos, & quod viciſſim Dominorum erga famulantes?*

℞. *Famulantium* officium his verbis Apoſtolus expreſſit: (*g*) *Servi* OBEDITE *Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in* SIMPLICITATE CORDIS *veſtri, ſicut Chriſto*: NON AD OCULUM *ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo*, CUM BONA VOLUNTATE SERVIENTES, SICUT DOMINO ET NON HOMINIBUS: *ſcientes, quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber.* (*g*) *Epheſ.* 6. 5.

Officium autem *Dominorum* iſtis verbis expoſuit: (*h*) *Et vos Domini eadem facite illis*; REMIT- (*h*) *Ibid.* ℣ 9.

Digitized by Google

REMITTENTES MINAS, *ſcientes quia & ILLORUM ET VESTER DOMINUS eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum.*

(a) Coloſſ. 4. 1. Monet autem eos alibi (*a*) ut ob *eamdem rationem, quod juſtum & æquum eſt*, ſervis præſtare meminerint; in quo ſane involvitur, ut quæ ad *victum* pertinent, liberaliter ſubminiſtrent: *pacta conventa* accurate cuſtodiant: curam præcipuam *ſalutis* eorum gerant: *ebrioſos*, impudicos, blaſphemos, temerè jurare aſſuetos, mendacesſve non tolerent: *incorrigibiles* dimittant: eos, qui fideliter longoque tempore ſervierint, in *ſenectute* non abiciant, ſed pro merito, ſive *inter vivos*, ſive *mortis cauſſa* remunerentur.

In *Patribus familias* reſpectu *domeſticorum* impleri decet quod dicere ſolebat *Auguſtinus*: (*b*) *Eccleſia vobis eſt ſchola, vos autem domi, quod Epiſcopus in Eccleſia*. Quod ſi hac in parte negligentes fuerint & ſomnolenti, evigilent ad hæc verba Apoſtoli (*c*) *Qui ſuorum, & maxime Domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

(b) Vide S. Aug. *in Pſalm.* 52. *Numer.* 24. & *Tract.* 51. *in Joan. Num.* 13.
(c) 1. *Tim.* 5. 8.

CAPUT XVII.

De quinto Decalogi præcepto: NON OCCIDES.

Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 64. & 65.

QUæſtio 1. *Quid hoc præcepto* primariò *prohibetur?*

℞. *Injuſta* quælibet *hominis* occiſio.

Præceptum hoc, ſicut & reliqua *ſecundæ tabulæ*, reſpectu *hominum* intelligitur, & ea ratione *generale* eſt, cum hac ſola *exceptione*, quæ ſimilibus præceptis *per ſe ineſt*, nimirum,

rum, niſi qui præcipit, aliud *jubeat* (*a*) aut *permittat*.

Quod verò ad *plantas & animalia bruta* attinet, (*b*) *Manichæorum* inſania fuit, horum eſſe illicitam cædem, aut deſtructionem, cùm propter homines creata, (*c*) ipſiſque à Creatore *in cibum* conceſſa ſint.

Interim immodica adversùs animantia bruta *crudelitas*, truculenti animi indicium, quodamque *contra homines* ſævitiæ tyrocinium eſt. (*d*) *Novit juſtus jumentorum ſuorum animas, viſcera autem impiorum crudelia*.

Q. 2. *At quando hominis occiſio* INJUSTA eſt?

℞. Quoties *deliberato propoſito* abſque *legitima auctoritate* peragitur. Quod ſi hæc adſit, *innoxia* erit cædes, Deo, qui vitæ & necis Dominus eſt, caſus iſtos ſua lege non complectente. Quapropter neque in *bello juſto*, hoſtium *injuſta* occiſio eſt, neque in Republica, *malefactorum*, qui legitima Principum & Magiſtratuum auctoritate plectuntur, ad nocentium terrorem, & innocentium ſecuritatem. (*e*) *Maleficos non patieris vivere*.

Hos ergo *auctoritate publica* occidi non modo *poſſe*, verum etiam *debere*, ſalva auctoritate ſcripturæ negari non poteſt; (*f*) nec eos tantum occidi fas eſt, qui in illa diſerte *expreſſi* ſunt, ſed & cæteros, qui *tranquillitatem publicam* vehementer conturbant; hujuſmodi plerumque ſunt *fures*; qui eam ſanè multo etiam vehementius conturbaturi eſſent, niſi *metu patibuli* comprimerentur. Quamquam optandum foret, ut *leviori ſupplicio* quieti publicæ ſatis à *furibus* proſpici poſſet. Cæterùm quoad *mortem* mortiſque *genus* certis flagitiis infligendum, nihil plerumque ſecurius eſt, quàm attendere ac ſequi leges & conſuetudines regionum,

(*a*) *Gen.* 22. 2.

(*b*) *Vide* S. Auguſt. *lib.* 2. *de morib. Manich. cap.* 15. *&c.*

(*c*) *Gen.* 9. 3. 1. *Tim.* 4. 4.

(*d*) *Prov.* 12. 10.

(*e*) *Exod.* 22. 18.

(*f*) *Rom.* 13. 4. *&c.*

Digitized by Google

num, quibus utique *commune judicium* contineri ſolet.

Porrò auctoritate *privata* ne dictos quidem maleſactores occidere (*a*) cuiquam licet; unde nec *Patri*, nec (*b*) *Marito* occidere licet filiam, aut uxorem, earumve *adulteros* in flagranti crimine deprehenſos, quia auctoritatem publicam ad hoc non habent; eſto etiam *leges civiles* id aliquando impune fieri permiſiſſent.

(*a*) *in* Bannitorum, *ſive proſcriptorum licita cæde, locum habet auctoritas* publica.

Q. 3. *Cur additum eſt:* deliberato propoſito?

(*b*) *Vide propoſit.*19. Alex. VII.

R. Quia culpa vacat, ſi *fortuito caſu* fiat, ſine *malignitate & negligentia* committentis. Si aperta *incuria* & negligentia intervenerit; vel (*c*) ſi, qui cædis author eſt, operam tunc dabat *rei illicitæ*, quæ ob *periculum homicidii* præcipuè interdicta ſit; homicidium, licet præter *expreſſam* agentis intentionem acciderit, *in cauſſa* tamen ſua, & ut loquuntur, *interpretative* cenſebitur *voluntarium*, ac proinde *reſtitutionis* obligationem adferet, & *irregularitatem* inducet.

(*c*) *Vide* S. Thom. *q.*64.*art.*8. *Vide etiam* Trid. *ſeſſ.*14.*cap.*7. *Ref.*

Facile hinc ſtatui poterit, *gravis* peccati reas *ordinarie* cenſendas eſſe *matres & nutrices*, quæ tenellæ ætatis infantulos, puta nondum anniculos, *in eodem ſecum lecto* collocant, ob evidentiſſimum nempè *ſuffocationis* periculum, cui eos ſcienter exponunt; unde & in variis diœceſibus caſum illum ſibi *reſervandum* duxerunt Epiſcopi, ut graſſanti malo *efficacius* mederentur.

Quæſt. 4. *Eſtne homicidium grande peccatum?*

R. *Graviſſimum* eſſe, & ſeveriſſime tum in hoc ſæculo, tùm in futuro puniri, (*d*) ex ſacris literis luculenter oſtenditur. Et ſanè homicidio ille *deſtruitur*, propter quem conditus eſt

(*d*) *Geneſ.* 4. 10., & *ſeqq.* &c.

eſt *orbis terrarum*, ipſaque immenſa *Dei Majeſtas* in ſua quodammodo *imagine* violatur. Quare graviſſimis verbis Deus edixit: (*a*) *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.*

(*a*) *Gen.* 9. 6.

Cæterùm ea verba ad *voluntarium* homicidam pertinent, nam *innoxii* homicidæ vitam in *urbe refugii* (*b*) ſervari voluit Deus. In homicidio quoque *voluntario* varii reperiri poſſunt malitiæ gradus ac variæ ſpecies, puta LATROCINIUM; cædes ex *inſidiis*, vel per *ſicarium* pretio conductum facta, quam vulgò ASSASSINATUM vocant; SACRILEGIUM; & PARRICIDIUM, quæ vox propriè quidem cædem *Patris* denotat, ſed ſubinde extenſione quadam; aliorum etiam *propinquorum*.

(*b*) *Deut.* 19.

Q. 5. *Licetne occidere injuſtum* VITÆ NOSTRÆ *aggreſſorem?*

℞. Primùm inter omnes convenit, *moderamen inculpatæ tutelæ* in omni defenſione neceſſariò ſervandum eſſe, ad quod tria communiter requiruntur: 1. Ut nihil *vindictæ cauſſa* fiat: 2. Ut id fiat unicè, quod ad repellendam injuriam prorſus *neceſſarium* eſt: 3. Ut *modus* repellendi injuriam, ipſius injuriæ magnitudinem gravitatemque *non excedat*.

Hoc poſito, celebris de hac quæſtione inter Theologos *controverſia* eſt. *S. Auguſtinus*, qui in partem *negantem* compluribus (*c*) locis videtur eſſe *propenſior*, alibi etiam *dubitaſſe* ſe ſatis inſinuat. *S. Thomas* (*d*) partem *affirmantem* non obſcurè tradit, ſed eo tamen modo quo tradere ſolet veritates, quæ ſibi non omninò liqueant. Poſt S. Thomam communior Theologorum æquè ac juriſconſultorum opinio eſt, iniquum vitæ aggreſſorem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, occidi fas eſſe;

(*c*) *Lib.* 1. *de lib. arb. c.* 5. *Epiſt.* 47. *nov. edit. alias* 154. & *Ep.* 204. *alias* 82 & *q* 81. *in Exod. c.* 22. ℣. 2.

(*d*) *q.* 64. *art.* 7.

quod nempè *caſualiter* potiùs quàm *deliberato propoſito* id fieri cenſendum ſit, quando quis eum, à quo in certiſſimum vitæ diſcrimen iniquiſſimè adductus eſt, præter intentionem occidit, nihil utique *intendens* aliud quàm *neceſſariam ſui defenſionem*.

Q. 6. *Quid ſentiendum de defenſione* PUDICITIÆ, HONORIS, *aut temporalium* FACULTATUM *cum occiſione invaſoris*.

℞. Fuit non ita pridem *communis* ferè opinio, defenſionem hujuſmodi, certis *limitatam* circumſtantiis, ſæpè licitam eſſe poſſe, ſi nempe *pudicitia*, quam *vitæ* multi præferendam putant, aliter ſervari non poſſit: Si vir *nobilis* magnæque exiſtimationis & famæ, *notabilem injuriam*, calumniam, contumeliam, aut notam ignaviæ, aliter quam occidendo, à ſe propulſare non poſſit: Si fur ſit vel *nocturnus*, vel *diurnus* quidem, ſed qui *telo* ſe defendat, aut rem *magni momenti* ſine *ſpe* recuperationis abripiat.

Plurimi hodiè ab ea ſententia receſſerunt, exiſtimantes, & aliter ſenſiſſe paſſim *veteres*, & ſtandum eſſe pro *generalitate* præcepti NON OCCIDES, quando nulla *exceptio* ſatis idonea demonſtrari poteſt, ac denique in tali defenſione *moderamen inculpatæ tutelæ* numquam reipſa ſervatum iri. *S. Auguſtinus* pro *pudicitia* ſervanda invaſorem occidi poſſe (*a*) ſatis manifeſtè negat, nec id uſquam alibi legitur in dubium revocaſſe. De *honore*, aut *facultatibus* ſic tuendis, inquirendum ſibi eſſe non putavit, uti nec *S. Thomas*.

(*a*) *Lib.* 1. de lib. Arbit. c. 5. *Vide etiam lib.* 1. Civ. Dei *cap.* 18. & 25.

Ut ut eſt, *certa* & indubitata nunc eſſe debent omnibus hæc ſequentia.

1. Non eſſe licitum *viro honorato* occidere invaſorem, qui nititur *calumniam* inferre, etſi aliter hæc ignominia vitari nequeat; nec eum

oc-

occidi fas eſſe, qui poſt *impactam alapam*, vel *ictum fuſtis* fugit. (*a*) (*a*) *Vide Prop.* 30. Innoc. XI.

2. Multo minus licitum eſſe *Religioſo*, vel *clerico* occidere calumniatorem, quantumvis gravia crimina de ſe, vel de ſua religione *ſpargere minantem*, paratumque vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni *publicè*, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, uti & certò facturus eſt, niſi occidatur. (*b*) Erat ſanè oppoſita aſſertio nimis (*c*) *ſanguinaria*, & ab *Eccleſiæ Spiritu*, quæ ſanguinem etiam *juſtè* effuſum quodammodò reformidat, ſuprà modum aliena. (*b*) *Vide Prop.* 17. Alex. VII. (*c*) *Vide Pſal.* 58. 3.

3. Virum Equeſtrem *ad Duellum provocatum* id acceptare non poſſe, etiamſi *timiditatis notam* apud alios incurrere eum oporteret. (*d*) (*d*) *Prop.* 2. Alex. VII.

4. Falſum eſſe, quòd regulariter fur occidi poſſit *pro conſervatione unius aurei*. (*e*) (*e*) *Prop.* 31. Innoc. XI.

5. Illicitum eſſe defendere *defenſione occiſiva* ea ad quæ *jus* tantùm *inchoatum* quis habet, & poſſeſſurum ſe *ſperat*. (*f*) (*f*) 32. *Ibid.*

6. Talem quoque defenſionem illicitam eſſe *hæredi*, vel *legatario* contra *injuſtè impedientem*, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur: magis etiam illicitam eſſe jus habenti ad *Cathedram*, vel *præbendam*, contra eum qui alterutrius poſſeſſionem impediat. (*g*) (*g*) 33. *Ibid.*

7. Certum denique eſt, non licere interficere *falſum accuſatorem*, *falſos teſtes*, aut *judicem*, à quo *iniqua certo imminet ſententia*, etſi alia via non poſſit innocens damnum evadere. (*h*) (*h*) *Prop.* 18. Alex. VII.

Concludere licebit ex jam dictis: falſam fore *Regulam*, qua ſtatueretur, *jus defenſionis ad ea omnia pertinere, quæ neceſſaria ſunt, ut à nobis* OMNEM INJURIAM *propulſemus*.

Q. 7. *Occiſio* INNOCENTIS *poteſtne aliqu indo licita eſſe?*

(a) Exod. 23. 7.
(b) Q. 64. art. 6. ad 3.

℞. Generalis quidem Regula hæc eſt : (a) *inſontem & juſtum non occides* ; ſed præcipuam hìc controverſiæ partem facit (b) locus celeberrimus *S. Thomæ*, de *judice*, qui ſecundùm *allegata & probata*, *morti* addicit eum, quem *privata ſcientia* ſcit eſſe *innocentem*, ubi quæſtio eſt, ſitne hoc ille *rectè facturus*, an ſecus? Aſſertio S. Doctoris eſt, debere eum moliri primùm omnia, quæcumque conducere poſſunt, ut eam judicandi neceſſitatem evadat; at, ſi poſt omnia evadere eam nequeat, *non peccaturum*, ſi ſecundum *allegata & probata* ſententiam ferat.

Huic quidem ſententiæ *S. Thomæ*, Theologorum ingens turba reclamat : ſed qui valdè & ex animo *Doctori Angelico* affecti ſunt, illam quoque aſſertionem ejus, quæ ad caſum planè *Metaphyſicum*, ac numquam fortè extiturum, omninò reſtringitur, ab omni *falſitate & nævo* facilè vindicare ſe poſſe confidunt.

Caſus alius, iſque non multo magis *practicus*, ſumitur ex lib. 2. *Machab.* cap. 14. ubi tyrannus minatur: *Niſi Judam vinctum mihi tradideritis, iſtud Dei fanum in planiciem deducam* &c. tradi ne potuerit, aut jam poſſet, poſito quod civitas, vel reſpublica non ſit aliter reſiſtendo ? Hic autem ferè *problematicus* eſt.

Q. 8. ABORTUS *de induſtria procuratus verumne homicidium continet ?*

(c) Vide Propoſ. 35. Innoc. XI.

℞. Certum eſt (c) in abortu *fœtus animati* de induſtria procurato homicidium (d) perpetrari :

(d) Sixtus V. *in Bulla* 87. *quæ incipit* ; Effrænatam, abortum *de induſtria procurantibus inflixit pœnam excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervatæ*, *ſed ſucceſſor ejus* Gregorius XIV. *an.* 1591. *eam mitigavit*, *voluitque* Epiſcopo *tantùm eſſe reſervatam*, *à quo ſpecialis facultas obtinenda ſit ad hujus criminis abſolutionem*. *Vide Bullam ejus* 8. *quæ incipit* : Sedes Apoſtolica.

Digitized by Google

trari: neque ulla ratione *probabile* eſt, omnem fœtum, *quamdiu in utero eſt*, carere anima rationali, ac tunc primùm incipere eamdem habere, cùm paritur. Quota autem die à conceptu fœtus animetur, incertum eſt; & vel ideo *incertum*, ne quis ullo unquam tempore *conceptum* diſſolvere audeat.

Præterea certum eſt, (*a*) ne quidem *ante fœtus animationem*, licitum eſſe abortioni operam dare, ad eum etiam finem ne puella, deprehenſa gravida, *occidatur*, vel *infametur*. Hæc ſi darentur, mirum quot quantiſque libidinum & abortuum ſceleribus mundus inundaretur; ſed tenenda generatim ſunt graviſſima hæc *Tertulliani* verba; (*b*) *Nobis homicidio ſemper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci.* Quamvis ergo mulieri prægnanti, cujus vita gravi morbo periclitatur, porrigi *fortè* aliquando liceat *pharmacum* aliunde *neceſſarium*, ex quo embryonis, vel fœtus etiam animati abortio timeatur; nefas tamen eſt, per abortionem *directè* procuratam, periclitantis matris vitæ velle conſulere.

(*a*) *Ex Prop.* 34. *ibid.*

(*b*) *In Apologet. c.* 9.

Q. 9. *Complectiturne* injuſta occiſio *eam etiam, qua quis* SIBI IPSI *vitam eripit?*

℞. Omnino complectitur: neque enim *propriæ* magis quàm *alienæ* vitæ quiſquam dominus eſt. Immò verò præceptum hoc *generale* magis adhuc obligat reſpectu *ſui ipſius*, quàm *proximi*, magiſque peccat, qui *ſeipſum*, quàm qui *alium* occidit, ſicuti qui *parentem*, quàm qui *extraneum*. Unde & inter Ethnicos non pauci agnoverunt, *impium* eſſe, quiſquis *injuſſu* ſummi imperatoris, ex vitæ hujus *ſtatione* diſceſſerit.

Quare ſi *Sancti* aliqui mortem ſibi conſci-

viſſe legantur, (*a*) id latenti *Spiritus* illius *inſtinctui* tribuendum eſt, qui per eos miracula faciebat. Non aliter *Samſon* excuſari ſolet; nec aliter virgines ſanctæ, quarum in Eccleſia memoria celebratur, ſi quæ earum legantur in mortem ruiſſe, ne *fœdarentur*. Etenim ne quidem pro ſervanda *pudicitia* ſe ipſum occidere fas eſt.

(*a*) *Vide* S. Auguſt. *l.* 1. *Civ. Dei c.* 21.

Cuſtos igitur vitæ ſuæ unuſquiſque à Deo poſitus eſt, non *dominus*; quocirca non leviter peccare cenſendi ſunt, qui ſe *levibus ex cauſis* in apertum *vitæ diſcrimen* adducunt.

Difficile etiam fuerit, eos ab homicidii reatu eximere, qui per aſſiduam *crapulam*, potum *fervidiorem*, immoderatas affectuum *perturbationes*, vel opera nimis apertè *temeraria*, ſibi mortem accerſunt.

Sunt interim caſus quidam, in quibus aut *præcepti*, aut *magni meriti* eſt, occiſionem ſui permittere, etſi poſſet evitari; puta, ad tuendum Catholicæ Fidei & Religionis honorem: ob Reipublicæ, vel civitatis neceſſitatem: ob ſalutem ſubditorum: denique in eo, qui juſtè ad mortem damnatus eſt; *Fugere* hic quidem poteſt, ſi id poſſit *ſine violentia*: ſed rectè etiam in carcere tunc manebit, ut mortem, ceu pœnam criminibus ſuis debitam, patienti ac pœnitenti animo ſubeat.

Quod de *homicidio* dictum eſt, ad *mutilationem* etiam ferè extendi debet; nimirum, citra extremam *neceſſitatem* & ſalutem *corporis* id exigentem, nemini licet ſe, vel alium privata auctoritate *mutilare*, id eſt, membrum aliquod, quod non ſit *ſuperfluum*, aut *monſtroſum*, reſecare: adeoque ſive pro conſervanda *caſtitate*, ſive (quod longè etiam pejus eſt) pro *voce* ſervanda, ſe, vel alium *caſtrare* non licet.

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſequuntur, magis quidem controverſa ſunt, ſed tamen ſatis communiter tradi ſolita. 1. Ne quidem ex mandato *Principis*, aut *Magiſtratus* licitum fore homini, etiam *juſtè* damnato, *ſemetipſum occidere*, vel *mutilare*, cùm hujuſmodi imperium omnem eorum *poteſtatem excedere* videatur. *Venenum* igitur, quo pereat, neminem etiam juſſum *ſumere* poſſe, multi putant; uti nec cibum clam oblatum poſſe recuſare, ſi damnatus ſit, ut *fame* pereat. 2. Licitum tamen plerumque fore, ex *turri*, aut *navi* exſilire, ad evadendum certiſſimum incendium. Certum nihilominus haberi debet, non licere ignem in pulverem tormentarium *propriæ navis* injicere ad pereundum, etiamſi id fieret ex intentione *boni publici*.

Q. 10. *Cùm* DUELLUM *homicidio proximè conjunctum ſit, hic etiam dici velim, quid de eo ſentiendum?*

℞. Deteſtabilem omnino eſſe *duellorum* abuſum, ac non niſi fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucraretur, eumque adeò non modò ſacris *canonibus*, verùm etiam divina *naturalique* lege damnatum, ex *Concilio Trid.* & *Clementis VIII.* conſtitutione (*a*) manifeſtum eſt. Adversùs eum ejuſque fautores perpetuæ maledictionis & *excommunicationis*, quæ extra mortis articulum Pontifici reſervata ſit, pœnam ſancivit (*b*) Eccleſia: leges autem regiæ in Galliis, extremo & inexorabili ſupplicio eumdem *indifferenter* plectunt.

(*a*) *Quæ incipit:* Illius vices.

(*b*) Trid. *ſeſſ.* 25. *Ref. c.* 19.

At propriè *duellum* non erit, ſi quis pugnam *ex tempore* oblatam, quam evitare non poſſit, pro ſola vitæ defenſione ſuſcipiat: vel ſi in *bello*, *duorum*, aut *paucorum*, etiam cum

provocatione & *temporis locique* deſignatione, prælium fiat.

Q. 11. *Quid autem de ipſo* BELLO *ſentiendum, ubi tot paſſim hominum cædes & ſtrages fiunt?*

℞. Quamvis *Remediorum* omnium acerbiſſimum ſit, ipſoque, cui adhibetur, *malo* plerumque *acerbius*, certum tamen eſt, nonnumquam *inferri* poſſe; multo etiam ſæpiùs poſſe ac debere propulſari, cùm infertur. Cùm enim *principes* & *Reſpublicæ* nequeant habere finem *controverſiarum* ſuarum per communem *judicem*, ſicut *privati*; cùm etiam *ſuos* tueri debeant & ab *oppreſſione* vindicare, *Dei* quoquæ & *Religionis* injurias propulſare; ſæpè neceſſitas ingruit, ut arma inferantur, vel ſumpta ab aliis, forti animo repellantur.

At ante omnia ſuffragari debet, & principi *perſpecta* eſſe, (*a*) *juſtitia cauſſæ*, eaque talis ut tam horrendæ tot *Chriſtianorum* ſtragi, totque aliis, quæ mox ſecutura ſunt, *malis*, utcumque *proportionata* ſit. Quamvis autem dici ſoleat, fieri poſſe, ut *utrimque juſta* belli ſubſit occaſio; non minùs tamen facilè eventurum credo, ut ſit *utrimque injuſta*.

Juſtitiam belli debet habere *perſuaſam*, qui militare velit principi, cui ad hoc *obedientiæ* vinculo non eſt obſtrictus: at *ſtringente obedientia*, ſufficere videtur, ut non ſit ipſi *certa* belli injuſtitia.

Cætera, quæ ad *bellum* pertinent, Theologiæ legibus ægrè admodùm coercentur.

Q. 12.

(*a*) *Ut Bellum* licitum *ſit, tres præſertim conditiones ſunt neceſſariæ*: 1. *Suprema auctoritas*. 2. *Juſta cauſſa*. 3. *Recta intentio*.

Juſtam cauſſam *prabet* grandis injuria, *quam conſtet illatam eſſe nec adhuc reſarcitam*. Rectam intentionem *faciet amor juſtitiæ*, *ſaluſque Reipublicæ unicè præ oculis habita*.

Q. 12. *Quæ & qualis ob homicidium & mutilationem facienda eſt* RESTITUTIO?

℟. Etſi pro damno *perſonali* ſtrictè dicta reſtitutio non debeatur, exiſtimat tamen *S. Thomas* (*a*) deberi ſaltem *recompenſationem*, qualis poſſibilis eſt, ſi eam pars læſa exigat. Expenſas in *medicos*, cæteraque damna *realia* reſtituenda eſſe, indubitatum eſt. De expenſis *funeralibus* non ita liquet. Compenſandum certò eſt *lucrum ceſſans*, à quo multi putant *laboris æſtimationem* non eſſe detrahendam. Tranſit ea obligatio reſtituendi etiam ad *heredes* homicidæ; fieri autem debet *uxori*, *Filiis*, & *parentibus*, quos defunctus tamquam ſibi *conjunctiſſimos* aut *alebat*, aut deinceps alere *debuiſſet*. Porrò damna *remiſiſſe* cenſetur occiſus, ſi ipſe vel *invaſerit*, vel ad pugnam *provocaverit*; quòd ſi *expreſsè* remiſerit, ſæpè quidem erit ea remiſſio *illicita*, ſed ordinariè *valida*.

(a) Q. 62. Art. 2. ad 1.

Cæterùm, ut videatur, ad quid homicida teneatur *in conſcientia*, optima Regula erit animadvertere, ad quid condemnaretur *in judicio*, reſpectu occiſi. Sed hæc omnia exiguam ſæpè, aut nullam *executionem* inveniunt, præſertim ubi homicida pœnam *talionis* ſuſtinuit.

CAPUT XVIII.

De IRA *ejuſque Remediis.*

Vide S.Th 1. 2. q. 46 & 2. 2. q. 158.

QUæſtio I. *Quid præter* homicidium, *ſeu externam cædem, quinto præcepto prohibetur?*

℟. Prohibentur inſuper *mutilatio*, *verbera-*

tio, *incarceratio* & omnis *iniqua violentia*, qua corpus & vita proximi læditur. IRA deinde, *odium*, *invidia*, *rancor*, *indignatio*, & quivis *interni affectus* ad proximi *læſionem* animum impellentes. Memorabilis eſt S. Joannis ſententia: (*a*) *Omnis*, *qui odit fratrem ſuum*, *homicida eſt*: difficile enim eſt, ut quem quis oderit, non optet extinctum.

(*a*) 1. Joan. 3 35.

Hanc præcepti illius explicationem nos Chriſtus ipſe docere dignatus eſt, cum dixit: (*b*) *Audiſtis*, *quia dictum eſt antiquis*: NON OCCIDES; *qui autem occiderit*, *reus erit judicio*. *Ego autem dico vobis*, *quia omnis*, *qui iraſcitur Fratri ſuo*, (*c*) *reus erit* JUDICIO. *Qui autem dixerit*, *Fratri ſuo*, RACA; *reus erit* CONCILIO. *Qui autem dixerit*, FATUE; *reus erit* GEHENNÆ IGNIS. Oſtenſurus nempe Dominus, quibus præſertim in rebus Chriſtianorum juſtitia, virtus, & obedientia plenior ſincoriorque eſſe debeat quam *Scribarum & Phariſæorum*, qui de *interiori* cordis affectu & deſiderio non multum ſolliciti, præcepta pleraque nimis reſtrictè interpretabantur, à quinto Decalogi præcepto incipit, docetque complures eſſe *gradus* citra homicidium *reipſa* perpetratum, quibus *coram Deo* rei efficiantur homines per IRAM nocendique voluntatem, ſive *intus* in animo latentem, ſive *exterius* prorumpentem per *indignationem*, atque *convitia*.

(*b*) Matth. 5. 21.

(*c*) *Græce additur* Εἰκῆ, *id eſt*, fruſtra, *aut* ſine cauſſa.

Tria erant apud Judæos tribunalia. Primum pro cauſis *levinſculis*, trium virorum, in pagis vicisque conſtitutum. Secundum pro *majoribus*, tam criminalibus quam civilibus, *viginti trium judicum*; in oppidis locisque celebrioribus. Tertium erat Hieroſolymis LXX. virorum conſilium, *Sanedrin* dictum, in cauſis *maximis* de Religione & Rep. occupatum.

Decla-

Declarat Jeſus, ipſam IRAM adverſùs fratrem, ad *ſecundum* judicii gravioris genus pertinere *coram Deo*: indignationem cum *vituperio*, ad *tertium*, quod eſt ſupremum conſilium: aperta autem *convitia* maligno lædendi animo effuſa, hæc omnia, coram Deo, judæorum tribunalia tranſcendere, ac ſine diſcuſſione ad gehennæ *ignem infernalem* ſuo quodam jure pertinere.

Q. 2. *Omniſne igitur* IRA *peccatum eſt?*

℞. *Iræ* nomen generatim ſumptum vindictæ cupiditatem ſonat. Certum autem eſt, *vindictam* bene & male expeti poſſe: *bene* ſi juxta rectæ rationis ordinem; *male*, ſi contra illum expetatur. Igitur *ira* affectus eſt & animi motus ad bonum, aut malum ex ſe *indifferens*. Dominus ipſe in Euangelio (*a*) legitur *cum ira* contriſtatus fuiſſe ſuper duritia cordis judæorum. Non ergo *omnis* ira peccatum eſt? Imò ira *bene ordinata*, *S. Baſilio* (*b*) teſte, ſæpenumero bonarum actionum *miniſtra* eſt, nervus animæ, rationis *adjutrix* contra peccatum, *miles* adverſus improbitatem arma miniſtrans juſtitiæ, *moloſſus* gregem adverſùs lupos cuſtodiens. Denique, ipſo judice, pars animæ *iraſcibilis* ad multa virtutis opera *neceſſaria* eſt, iis præſertim qui in ſuperiori gradu & poteſtate collocati, arcere debent vitia, & crimina vindicare.

(*a*) *Marc.* 3. 5.

(*b*) *Hom. de ira. Vide etiam* S. Aug. *l.* 14. *Civ. Dei. c.* 9 *&* 15. *&* Lactant. *L. de ira Dei. c.* 21.

Itaque *ira* tunc demum *mala* eſt, & peccati reum facit, ſi contra *rationis ordinem* vindicta expetatur.

Q. 3. *Quotupliciter id fit?*

℞. Dupliciter: expetendo ſcilicet vindictam vel *injuſtam*, vel juſtam quidem, ſed *modo indebito*; puta, præpoſterè, nimis ardenter &c.

Injuſta vindicta expetitur, cum quis deſiderat puniri eum, qui *non meruit*; vel *ultra*

S. Thom. 2.2. q. 158. *Art.* 2.

quàm meruit: vel præter *legitimum ordinem*; vel denique præter *debitum finem;* qui utique non eſt alius quam conſervatio juſtitiæ, & correctio culpæ.

Ex tertio capite, quod eſt *præter legitimum ordinem*, ſemper & ubique ilicitum eſt homini *privato*, expetere vindictam *per ſe ipſum* inferendam, cum juris naturalis & divini ordo requirat, ut non niſi *perſona publica* eam inferat, idque *vice Dei*, qui dixit (*a*) *mihi vindicta: ergo retribuam*. Quamvis ergo liceat homini privato, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ *ſe tueri*, & vim vi repellere, numquam tamen licet *ſe ulciſci*, malumve pro malo reddere.

(*a*) Deuter. 32. 35. Rom. 12. 19.

Q. 4. *Quale quantumque in* injuſta ira *peccatum eſt?*

℞. Primum, quamdiu motus iræ exortus ad ſolam hominis partem *ſenſitivam* pertinet, nondum eſt peccatum, neque erit, niſi acceſſerit *conſenſus rationis*, cum prohibere *potuiſſet*.

Deinde, ira etiam ex *voluntate* procedens non erit *grave* peccatum, ſi non ſit ex *judicio deliberato*.

Tertio, ſi *juſta vindicta* appetitur, ſed *modo indebito*, non eſt ordinarie niſi *veniale* peccatum, fieri tamen poteſt ut ſit *mortale*, ſi nempe ex vehementia iræ à *Dei dilectione* quis excidat, in *Blaſphemiam* prorumpendo; vel à *dilectione proximi*, in gravem illius *injuriam* proſiliendo; vel à *dilectione ſui ipſius*, notabile corpori, vel animo ſuo *nocumentum* inferendo.

S. Thom. ibid. art. 3.

Quarto denique, ſi voluntate deliberata, injuſta vindicta, grande malum proximi continens, expetatur, erit proculdubio grande peccatum. Unde *S. Thomas* de verbis Chriſti ſupra relatis agens „ Dominus, inquit, verbum

„ illud

„ illud dixit de ira, quaſi ſuperaddens ad illud
„ verbum legis: *qui occiderit, reus erit judicio;*
„ unde loquitur ibi Dominus de motu iræ, in
„ quo quis appetit proximi *occiſionem*, aut
„ quamcumque *gravem læſionem*, cui appetitui
„ ſi *conſenſus rationis* ſuperveniat, abſque du-
„ bio erit *peccatum mortale*.

Q. 5. *Cur ira inter* vitia capitalia *recenſetur?* *Vide S. Gregor. l. 31. Moral. c. 30. 31. 32. & 33.*

R. Quia fœcunda parens eſt multorum aliorum. *Ira* quippe, adhuc *in animo* latens *indignationem* parit, *mentiſque tumorem*, id eſt, agitationem animi æſtuantis circa vias modoſque parandæ ultionis. *Externa*, vel eſt in ore, vel in facto: *in ore* profert *clamorem*, *contumeliam* adversùs proximum, & *blaſphemiam* adversùs Deum: *in facto*, generat *Rixam*, ſub qua intellige externa quælibet nocumenta.

Q. 6. *Cum procul dubio magni referat homini Chriſtiano, qui mitiſſimi* JESU *Diſcipulus eſt, iram generoſe refrænare, ne tam amaros fructus proferat; Quid ergo adversùs iram* REMEDII *eſt?*

R. 1. Stude ex animo agnoſcere propriam *vilitatem* tuam. Cum enim *Ira* potiſſimum inde naſcatur, (*a*) quod quis animo apprehendat ſe ab aliis *vilipendi*; ſi & nos ipſi feriò ſemel perſuaſum habuerimus, omni nos ob iniquitatem noſtram vilitate, contemptu & ignominia *dignos* eſſe, haud ægrè feremus alios in *idem nobiſcum judicium* conſpirare.

(*a*) 1. 2. q. 47. art. 2.

2. Dei *ordinationem* cum ſincera animi *ſubmiſſione* perpende. Quidquid tibi unquam etiam ab hominibus eventurum eſt, crede firmiter id niſi Deo *immittente*, vel ſingulariter permittente & *ordinante* non evenire, qui ſuos variis modis *urere & ſecare* conſuevit in hoc ſæculo, ut parcat in futuro. Ea conſideratione iram

com-

compeſcuit *David*, cum atrociſſimis eum ma-
(a) 2. *Reg.* lediĉtis inceſſeret *Semei*. (a)
16. 11. 3. Si qua (*b*) *radix amaritudinis ſurſum ger-*
(b) *Hebr.* *minare* incipiat, Auĉtorem & conſummatorem
12. 15. fidei noſtræ JESUM CHRISTUM præ oculis habe,
qui (*c*) *cum malediceretur, non maledicebat:*
(c) 1. *Petr.* 2. 23. *cum pateretur, non comminabatur;* ſed (*d*) *velut*
(d) *Iſai.* *ovis ad occiſionem ducta, non aperuit os ſuum*,
53. 7. niſi ut à patre ſuis ipſe crucifixoribus veniam
poſtularet.

4. Cum adhuc *tranquillitas* eſt, animum obfirma & præpara ad *tempeſtatem* forte ſecuturam. Facile *manſueti* omnes ſumus, quamdiu nulla ſe offert iraſcendi *occaſio*: ut & hac oblata *mitis* ſis & *tranquillus*, decerne cum Dei auxilio, quidquid eveniat, (*e*) *locum dare iræ*,
(e) *Rom.* 12. 19. & Dei, & injuriantium, & propriæ: *iræ Dei*, eam expectando: *iræ injuriantium*, eam patienter tolerando: *iræ etiam propriæ*, ut ſine effectu prætereat, nulli malum pro malo reddendo.

5. Ne aliena iracundia tuæ ipſius præbeat
(f) *Prov.* incitamentum, ſi fieri poteſt (*f*) iracundi ho-
22. 24. minis conſuetudinem *devita*: ſi fuga adhiberi
(g) *Prov.* non poteſt, (*g*) *reſponſio mollis frangat iram*,
15. 1. aut certe *ſilentium*, tamquam firma rupes, alienæ iracundiæ fluctus elidat.

6. Memores nos eſſe oportet, ut nullum eſt *excelſi animi* majus indicium, quam *contemnere injurias*, quibus utique plus *ſibi* quam *nobis* nocuit, qui intulit; ita nihil eſſe animi tam *abjecti*, atque ignavi, quam *privatas* injurias perſequi. Præterea eadem omnes origine ſatos, eumdem nos habere Creatorem ac Patrem; ejuſdemque Salvatoris ſanguine redemptos eſſe, qui ut eſſemus *omnes unum*, ſic-
(h) *Joan.* ut ipſe & pater *unum ſunt*, (*h*) pridie mor-
17. 21. tis ſuæ, Patrem oravit. *Unam* quoque nobis

omni-

omnibus communem eſſe *Matrem*, Eccleſiam, in qua *uno* regenerationis *lavacro* abluti, *eodem* ſalutifero *pane* veſcimur, ad *eamdem* vocati *beatitudinem* & felicitatem ſempiternam. Hujus autem felicitatis ſuaviſſima quædam prægustatio per magnam vitæ tranquillitatem in nobis naſcitur, dum excelſo animo injurias contemnimus & libenter condonamus; ex IRA autem, *odio, & contentione*, incredibilis totius hominis *perturbatio*, perpetua cordis *convulſio*, & funeſta quædam infernalium ſuppliciorum *prælibatio*, proficiſci ſolet.

7. His denique omnibus aſſidua jungatur *oratio* pro impetrando veræ *manſuetudinis* dono; quam in rem utiliſſime adhibebitur patrocinium Beatiſſimæ *Virginis Matris*, quam *inter omnes mitem* non fruſtra compellat Eccleſia:

Virgo ſingularis, inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.

Q. 7. *Quid juxta ea, quæ hactenus dicta ſunt, quintum præceptum à nobis exigit?*

℞. Exigit animi *manſuetudinem*, *humanitatem*, *clementiam*, *comitatem*, *ac beneficentiam*: nimirum ut injuriarum facile *obliviſcamur*, nec *vindictam* expetamus, ſed ita *condonemus* invicem offenſas, (*a*) ſicut in Chriſto Deus donavit nobis. Omnem ſibi vindictam, niſi quæ in malefactores *publica* auctoritate decernitur, *reſervatam* Deus voluit; (*b*) *Mihi*, inquit, *vindicta, & ego retribuam*. Et Salvatoris vox eſt: (*c*) *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. (*d*) *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publi-*

(*a*) *Epheſ.* 4. 32.
(*b*) *Hebr.* 10. 30.
(*c*) *Matth.* 11. 29.
(*d*) *Matth.* 5. 44. & *ſeqq.*

Digitized by Google

blicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt?

CAPUT XIX.

Vide S.Th. 1.2.*q.*100. *art.*5.& 2.2.*q.* 122. *art.*6.& *q.* 153. *item* 154.

De ſexto præcepto: NON MŒCHABERIS: LUXURIA, *ejuſque Remediis.*

QUæſtio 1. *Quid prrhibetur ſexto præcepto:* Non Mœchaberis?

℞. *Primario* prohibetur ADULTERIUM, id eſt, *legitimi thori* injuria & violatio, ſive *proprius* ille ſit, ſive *alienus*. Vetatur deinde quævis alia *fornicatio*, omniſque *impura libido* externo opere conſummata. Prohibentur inſuper omnia quæ ad adulterium *viam ſternunt*, id eſt, quæ luxuriam carniſque libidinem *irritare* ac *fovere* nata ſunt, ut *ſermones* turpes ac lubrici, *picturæ* & *imagines* obſcænæ, *libri* amatorii, *ſpectacula* impura, *choreæ* diſſolutæ, *cantilenæ* inhoneſtæ, *aſpectus, tactus geſtuſque* impudici: quæ omnia velut *incitamenta libidinis* à Chriſtianorum moribus, quam fieri poteſt longiſſime amovenda ſunt.

Q. 2. *Suntne hæc omnia* GRAVIA *peccata?*

℞. *Adulterium* crimen eſſe graviſſimum, ex (*a*) SS. literis & aliunde evidens eſt; quippe quod præter nefariam libidinem, *injuſtitiam* inſuper adjunctam habeat, qua non modo *legitimo conjugi*, verùm etiam *civili ſocietati* injuria irrogatur, unde & *divina* olim lege, & legibus poſtea *civilibus* morte plectendum fuit. (*b*) *Nefas* igitur *eſt & iniquitas maxima;*

(*a*) *Gen.* 26.10. *Levit.* 20. 10. *Deut.* 22. 22.

(*b*) *Job* 31.11.

ignis

ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Quapropter (*a*) *qui adulter eſt propter cordis inopiam, perdet animam ſuam; turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur*. At præter *adulterium*, cetera quoque, quæ mox recenſita ſunt, eouſque mala ſunt, ut quidquid in iis animo *ſatis deliberato & libidinoſo* admittitur, gravi culpa (uti communior Theologorum ſententia eſt) vacare non poſſit; quippe quod per paſſionem natura ſua *indomitam*, ad conſummatam libidinis *turpitudinem* ſua ſponte procedat. Quapropter nullo modo (*b*) *probabilis* haberi poteſt *opinio*, *quæ dicit eſſe tantum veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo* (quod ſcilicet moraliter excludi non poteſt) *conſenſus ulterioris & pollutionis*. (*a*) *Prov.* 6. 32. (*b*) *Prop.* 40. *Alex. VII.*

Attamen non omnia in hoc genere ſunt *æque gravia*, ſed inter varias *luxuriæ* ſpecies dantur quidam veluti *malitiæ gradus*, falſumque eſt (*c*) *mollitiem*, *ſodomiam*, & *beſtialitatem* peccata eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſatis fore, ut qui horum *quodlibet* admiſerit, in confeſſione dicat procuraſſe ſe *pollutionem*. Sane poſteriora duo, naturæ *probra* ſunt, & *monſtra* potius quam peccata. (*c*) *Prop.* 24. ibid.

Ceterum monet Apoſtolus, (*d*) ab omni hac ſpurcitia tam alienos eſſe oportere Chriſtianos, ut ſi fieri poteſt, ne quidem *audiatur* aliquando *nominari* ex ore noſtro; ne forte (quod proclive eſt in hujuſmodi vitiis) ex ipſo *auditu* concepta *cogitatio*, carnem commoveat ad *concupiſcendum*. (*d*) *Epheſ.* 5. 3.

Quapropter quoties de hujus præcepti intelligentia & latitudine ad populum diſſerendum erit, *cautione*, prudentia, & moderatio-

ne

Digitized by Google

ne magis opus erit, quam *orationis copia*, qua longe lateque explicetur, *quot quibuſque* modis præceptum hoc violari poſſit. Ea quidem notitia *parochis* & *confeſſariis* pro aliorum inſtructione & *directione* ſæpe neceſſaria eſt, ſed ea *privatim* uti debent, uti temporis & perſonarum ratio poſtulabit.

Q. 3. *Recenſe breviter præcipua* luxuriæ genera?

℟. Præter ADULTERIUM, ſex alia recenſentur; nimirum, FORNICATIO SIMPLEX, ſoluti ſcilicet cum ſoluta: INCESTUS, cum perſona conſanguinea, vel affini intra gradus prohibitos: STUPRUM, id eſt, *Virginis* defloratio, quam ſimplici fornicationi *ſpecialem*, eamque *mortalem*, luxuriæ deformitatem ſuperaddere, non pauci tenent, licet alii diſſentiant: RAPTUS (*a*) id eſt, violenra abductio explendæ libidinis cauſſa: SACRILEGIUM cum perſona Deo conſecrata: denique luxuria CONTRA NATURAM, cujus ſpecies ſunt *mollities*, & hac longe execrabiliores (*b*) *ſodomia* & *beſtialitas*.

(*a*) *Vide* Conc. Tri. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Ref. Matr.*

Q. 4. *Quid circa recenſita Luxuriæ genera præcipue* obſervandum *eſt?*

℟. Certiſſime tenenda ſunt ſequentia:

1. *Mollitiem* non ſolo *jure poſitivo* divino, ſed & (*c*) *naturali* prohibitam eſſe, ac de illarum impuritatum genere, de quibus dixit Apoſtolus, (*d*) *nemo vos ſeducat inanibus verbis*, PROPTER HÆC *enim venit* IRA DEI *in* Fi-

(*c*) *Ex Prop.* 49. Innoc. XI.
(*d*) *Epheſ.* 5. 6.

(*b*) *Vide Gen.* 19. 5. & 13. & *Bullam* S. Pii V. *Quæ incipit:* Horrendum illud ſcelus. *Ann.* 1658. *Tam dirum* (*inquit*) *nefas exercentes, omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate & beneficio Eccleſiaſtico præſentis canonis authoritate privamus...* addit, *ut degradati poteſtati ſtatim ſæculari tradantur &c.*

Digitized by Google

Filios diffidentiæ, id eſt, *infideles*, qui tamen legem aliam non habebant in rebus hujuſmodi, quam *naturalem*.

2. Idem dicendum eſſe de *ſimplici fornicatione*, (*a*) non ſolum ſcilicet malam eam eſſe, *quia interdicta*, ſed ideo interdictam, quia ex ſe & *intrinſece* mala eſt, *bono* nempe *prolis* ex natura ſua repugnantem, nihilque habentem, quo libidinis fœditas cohoneſtari poſſit.

(*a*) Ex *Prop.* 48. ibid.

3. Cum *alienus thorus*, civiliſque *ſocietas* violetur, etiam tum, cum *marito conſentiente* ejus uxor extranea commixtione polluitur, cumque ſuo hac in parte *juri* non magis *cedere* vir poſſit, quam ipſi *conjugio*, tenendum eſt, copulam cum conjugata *conſentiente marito* habitam, non ideo deſinere eſſe *adulterium*, adeoque non ſatis fore, ut qui eam admiſerit, in confeſſione accuſet ſe fuiſſe *fornicatum*. (*b*)

(*b*) Ex *Prop.* 50. ibid.

4. Qui *fornicatus* fuerit, non ſatis ſe accuſaturum in confeſſione, ſi *tantum* dicat commiſiſſe ſe peccatum grave contra caſtitatem cum ſoluta, *nullam faciendo mentionem* nefariæ commixtionis. (*c*)

(*c*) Ex *Prop.* 25. Alex. VII.

5. *Mortalis peccati* reum eſſe famulum, qui ſcienter *adjuvat* herum ſuum, aſcendere volentem per feneſtram, ad ſtuprandam virginem, aliterve ipſi ad hoc (*d*) *cooperatur*, etiamſi id faciat *metu notabilis detrimenti*, puta ne à domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. (*e*)

(*d*) *Vide Rom.* 1. 32.

(*e*) Ex *Prop.* 51. Innoc. XI.

6. Obligandum eſſe (*f*) *concubinarium* ad ejiciendam illico concubinam, quantumvis hæc ipſi aliunde utilis eſſe fingatur. (*g*) Imo commu-

(*g*) Ex *Prop.* 41. Alex. VII.

(*f*) Concubinatus *ſimplici fornicationi habitum, conſuetudinem, & ſtatum quemdam ſuperaddit*, de *quo vide* Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *Ref.*

Digitized by Google

communis eſt Theologorum ſententia, concubinarium *regulariter* abſolvi non poſſe, quantumvis proponere ſe dicat à fornicatione abſtinere, niſi prius concubinam *reipſa* abjecerit.

Q. 5. *Quænam ex ſtupro & adulterio* OBLIGATIO *naſci ſolet?*

(*a*) *Vide Exod.* 22. 16.

℞. 1. Si quis puellam (*a*) præſertim *honeſtam*, ſub promiſſione matrimonii, ſive *ficte*, ſive ex *animo* facta, ad fornicationem pellexerit, tenetur eam *ordinarie* congrue dotare, & in uxorem accipere, id quod maxime locum habet, ſi ſub pollicitatione conjugii STUPRUM attulit *Virgini*, tametſi conſentienti, ſalvis dumtaxat *exceptionibus*, quæ apud authores paſſim adferri ſolent; puta, quod ob nimiam fortunarum conditioniſque *diſparitatem*, animadvertere facile potuerit ac debuerit, promiſſionem hujuſmodi non niſi ad libidinem explendam tantiſper eſſe confictam, &c.

2. Tametſi pro mera ADULTERII INJURIA nihil reſtituendum ſit *marito*, etiam *exigenti*, ne uxorem videlicet proſtituere & *lenocinium* exercere videatur, *realia* tamen *damna* quæ ex adulterio conſequuntur, reparanda ſunt; unde ad *alimentum* prolis ex adulterio natæ tenetur adulter, etiam (*b*) *probabiliter* tantum pater, ſaltem pro *ratione dubii*, cæteriſque deficientibus *in ſolidum*. Tenetur pariter ad compenſandum damnum, ſi quod *Hoſpitalibus*, vel *legitimis* liberis ea occaſione illatum fuerit. *Adultera* quoque *æque principaliter* ad reſarcienda damna obligatur, ac præſertim ſi prolem marito *ſuppoſuit*, poteſt & debet variis modis

(*b*) *Id cum* Navarro, Leſſio, Maldero *aliiſque*, *negat* Sylvius *in* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 2. *quæſit.* 7. *concl.* 4. *Quia in dubio, inquiunt, melior eſt conditio poſſidentis.*

dis conſulere *legitimorum* indemnitati; inter quos fere modos unus eſſe poterit, perſuaſio *ingrediendæ Religionis*. Cæterum, quod ad *praxim* attinet, ad *finem iſtum* numquam videtur obliganda eſſe, ut *revelet*, aut *poſt mortem* revelandum curet, adulterium ſuum, quippe, ex quo nihil plerumque aliud, quam atrocem & inutilem ſui ſuorumque *diffamationem* conſequi poſſit, cum graviſſimis odiis aliiſque incommodis ſecuturis.

Q. 6. *Quid de peccatis libidinis, eorumque* GRAVITATE *& pernicie ſacræ Litteræ commemorant?*

℟. Nihil iſtic tam perſpicuum eſt, quam ea omnia puriſſimis Dei oculis vehementiſſime diſplicere. Hæc enim (*a*) univerſale *Diluvium* provocarunt: hæc cœleſtem ignem attraxerunt, (*b*) quo *Sodomorum Gomorrhæorumque* oppida, tremendo poſteris exemplo, in cineres favillaſque converſa ſunt; hæc cauſſam præbuere, (*c*) cur pene ad internecionem Tribus *Benjamin* deleta fuerit. De his denique Dei nomine pronuntiat Apoſtolus: (*d*) *Nolite errare, neque fornicarii .... neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores .... regnum Dei poſſidebunt*. (*e*) *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus*. Quapropter tremendum VÆ imminet Chriſtianis, qui non verentur *coram Deo* & *Angelis* ejus fœda ſe libidine contaminare, poſtquam (*f*) *corpora membraque* eorum Spiritui Sancto, & Chriſto Domino veluti *templa* pura in Baptiſmate conſecrata ſunt.

(*a*) Geneſ. 6. 5.
(*b*) Geneſ. 19.
(*c*) Judic. 20.
(*d*) 1. Cor. 6. 9.
(*e*) Hebr. 13. 4.
(*f*) 1. Cor. 6. 15. & 20.

Q. 7.

(*f*) *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo* membra Chriſti *faciam* membra meretricis? *Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem* adhæret *Domino* ...

Q. 7. *Quæ mala adfert libido?*

℟. Sapientes *amentes*, & homines pœne *pecudes* facit: *corpus* effœminat, in tabem ac *putredinem* reſolvit, vivumque *cadaver* efficit. Animum cœlo natum, in *cœnum* & lutum deprimit: nihil altum, ſublime, generoſum, ſerium & ſe dignum cogitare ſinit, ad cetera omnia vitia *gradum* ac præcipitium facit; quod præter innumera alia, (*a*) DAVIDIS & (*b*) SALOMONIS exempla luculenter oſtendunt. Ingenium, memoriam, & omnes animi facultates obnubilat, excæcat & *obruteſcere* facit. Hinc rebus magnis, *Reipublicæ* regimini, imo propriæ *familiæ* adminiſtrandæ inutiles plerumque ſunt ac inidonei, qui vitiis carnis immerſi ſunt.

(*a*) 2. *Reg.* 11. 15. (*b*) 3. *Reg.* 11. 4.

Q. 8. *Quid ſextum præceptum à nobis* EXIGIT?

℟. Requirit *fidem* inviolabilem in conjugio: plenam deinde *pudicitiam*, tum *cordis* in cogitationibus & deſideriis, tum *corporis* in lingua, facie, oculis, auribus, tactu, atque in omni demum habitu cultuque exteriore, ut ſive *ſoli*, ſive *cum aliis* vivamus, non modo luxus & intemperantiæ notam effugiamus, verum etiam *modeſtiam*, *frugalitatem*, *continentiamque* ſedulo exerceamus.

Q. 9. *At vero quomodo id inter tot tantaſque illecebras* CONSEQUI *poterimus?*

℟. Nemo *ſuis viribus* tutus eſt: ſed (*c*) qui ex

(*c*) *Philip.* 4. 13.

unus Spiritus *eſt*. Fugite *fornicationem*. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur*, in corpus ſuum *peccat*. *An neſcitis quoniam membra veſtra* templum *ſunt* Spiritus Sancti, *qui in vobis eſt, quem habetis à Deo &* non eſtis veſtri? *Empti enim eſtis* pretio magno. *Glorificate &* portate Deum *in corpore veſtro*. 1. Cor. 6. 15. 20.

Digitized by Google

ex nobis ipſis nihil poſſumus, confortante Deo poſſumus omnia. Itaque ante omnia in ſinum ſe *divinæ protectionis* abjiciat, & magnum illud *continentiæ donum* aſſiduis à Deo precibus efflagitet, qui caſtitatem ſervare voluerit illibatam. *Otium* vitet, ut eum Diabolus occupatum ſemper inveniat. *Gula* deinde luxuriæ mater, abſtinentia & moderata victus ratione frænanda eſt. Liberior *cum ſexu diſpari* conſuetudo, curioſior *aſpectus*, *ſaltationes* & *tripudia*, *comœdiæ* & impura *ſpectacula*, *ſermonis*, *cantus*, *librorum*, atque *imaginum* obſcænitas, non ſecus ac pernicioſa quædam lues, fugienda ſunt. Turpium cogitationum *principiis* ita obſiſtendum, ut ſine mora mens alio convertatur: caſtiſſimæ *Dei Genitricis* patrocinium imploretur: adjungatur *futuri judicii* viva repræſentatio: frequens denique ac devotus *pœnitentiæ* & *Euchariſtiæ* ſacramentorum uſus, quo remedio nullum eſt ad reſtinguendum libidinis ardorem, potentius atque ſalubrius.

CAPUT XX.

De GULA *ejuſque Remediis.*

Vide S. Th. 2. 2. q. 148. & 150.

CUM tanta ſit *Gulam* inter & *Luxuriam* conjunctio, ut hæc ex illa plerumque naſcatur, non importunum erit hoc loco de *Gula* tractare.

Q. 1. *Quid eſt* GULA?

R. Jam ſupra dictum eſt, eſſe *inordinatam & intemperantem cibi potuſque appetentiam.*

Cum igitur cibus potuſque non niſi ad *reparandas ſuſtinendaſque* corporis vires, quantum

Digitized by Google

(a) S. Aug. lib. de Morib. Eccleſ. c. 12.
(b) Ex Propoſ. 8. Innoc. XI.

(*a*) *vitæ hujus & officiorum neceſſitas* exigit, adhibendus ſit, in vitium *gulæ* incurritur, quoties iſta, vel *contra* corporis valetudinem uſurpantur, vel *ob ſolam voluptatem* appetuntur: falſum enim eſt, (*b*) *appetitum naturalem licite poſſe ſuis actibus frui*. Hæc ex adverſo ſtatuenda eſt Regula: *comedere & bibere, aut alias ſenſuum voluptates quærere* OB SOLAM VOLUPTATEM, *peccatum eſt*; inordinatum quippe eſt, ut quod ad *noſtri conſervationem* Deus & natura inſtituit, ad finem tam *abjectum* unice referatur.

Q. 2. *Quæ ſunt gulæ* SPECIES *principales?*

℟. *Crapula* & *Ebrietas*.

CRAPULÆ nomine immoderata cibi potuſque ingurgitatio denotatur, *abſtinentiæ* virtuti contraria.

EBRIETAS verò eſt violenta privatio uſus rationis largiori potatione procurata: hæc virtuti *ſobrietatis* adverſa eſt.

Q. 3. *Quid de utraque in Euangelio expreſſum eſt?*

℟. Extant hæc memorabilia Chriſti verba:

(c) Luc. 21. 34.

(*c*) *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in* CRAPULA *&* EBRIETATE, *& curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa*. Quibus verbis id indicatur, infelicem eſſe ſortem eorum hominum, qui epulis unice vinoque intenti, (*d*) *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*.

(d) Job 21. 13.

Q. 4. *Quinam iſti ſunt, in quos ob* Crapulam *ſuprema illa dies repentina ſuperveniet?*

℟. Ii nempe, qui *finem* in deliciis cibi & potus conſtituentes, ventris cauſſa omnia faciunt, ita ut Apoſtolica phraſi (*e*) *venter* ipſis pro *Deo* ſit.

(e) Philip. 3. 19.

Q. 5.

(*e*) *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico*, inimicos Crucis Chriſti,

Digitized by Google

Q. 5. *Quibus autem indiciis dignoſci poterit, ſitne aliquis* tam pernicioſæ Gulæ *obnoxius?*

℞. Si ob Gulæ voluptatem *aliena* ſurripiat, juſta *debita* non perſolvat, Eccleſiaſtica *jejunia* violet; ſi ex cibi potuſque abundantia *ad turpia* concitari, & plerumque conſentire ſe noverit, nec tamen Gulam frænare decernat: ſi per intemperantiam, corporis *valetudini* grave nocumentum inferat, ac præſertim per *ſervidiorem* potum lenta ſe tabe conſumat: denique quiſquis habet *crapula* cor ita prægravatum, ut vel *generalia* hominis Chriſtiani munia, vel *peculiaria* ſtatus, aut conditionis ſuæ officia enormiter negligat, in *ſtatu damnabili* ultrò perſeverat.

Q. 6. *Quid jam de* EBRIETATE *cenſendum? eſtne per ſe grave peccatum?*

℞. (a) Certum eſt, *mortalis* peccati reum eſſe, qui *ſciens ac volens* EBRIETATEM contrahit; quod is facit, qui animadvertens potum immoderatum eſſe & *rationis uſum* paulatim evertere, non vult tamen potandi finem facere & abſtinere. Id apertè declarat Apoſtolus, cùm inter cætera peccata, quæ à regno cœlorum excludunt, *Ebrietatem* quoque recenſet: (b) *Ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

(a) S. Th. 2.2. q. 150. art. 2.

(b) Galat. 5. 21.

Quòd ſi Chriſtianos *omnes* ab hoc Ebrietatis malo *alienos* eſſe oporteat, *remotiſſimi* ab eo eſſe debent, quicumque aliorum *regimini*, aut *doctrinæ* præfecti ſunt, & quicumque *caſtitatem* profitentur, cujuſmodi ſunt *Monachi & Sacerdotes*; de quibus ait *S. Petrus Chryſologus*

quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, *& gloria in confuſione ipſorum, qui* terrena ſapiunt. *Noſtra autem* converſatio in cælis *eſt, &c.* Philipp. 3. 18. 20.

(a) *Serm. 26.* gus (a) Ebrietatem in aliis *crimen* eſſe, in ſacerdotibus *Sacrilegium* : & ſanè quod ad *caſtitatem* attinet, nota eſt hæc *S. Hieronymi* ſententia : „ numquam ego ebrioſum hominem „ *caſtum* putabo.

Q. 7. *Quâ in re tanta iſta* Ebrietatis *malitia, fœditaſque conſiſtit*?

℞. Naturam *rationalem* graviſſimè dedecet, quòd quis per abundantiorem potum rationis uſu, *utendique poteſtate* ſe privet : quippe qui id ſibi bonum per vim auferat, quo ſolo *animantia bruta* præcellit, ſeque in eam neceſſitatem ultrò conjiciat, ut *mente* ſepulta, *ſoli* ſine rectore *ſenſus* vigilent, ad omne tunc flagitium ſua ſponte propenſi. Denique de Ebrioſo veriſſimè iſta Pſalmi ſententia uſurpari poteſt : (b) *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit : comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* : immò belluis ipſis abjectior redditur ; quæ *naturali ſaturitate* contentæ, præſcriptos à natura *limites* vix excedunt.

(b) *Pſal. 48. 13.*

Q. 8. *Unde ergo fit, ut tam* leve *apud multos* reputetur *Ebrietatis peccatum*?

℞. Partim ex vehementi multorum ad hoc malum *propenſione*, quam mirificè adauget inveterata *conſuetudo* ; partim ex *multitudine* delinquentium, quæ ſuo plerumque exemplo juſtum peccati horrorem primùm imminuit, ac deinde ſenſim extinguit. (c) „ Sed væ peccatis „ hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus : *uſitata* verò, pro quibus abluendis „ filii Dei ſanguis effuſus eſt, quamvis *tam* „ *magna* ſint, ut omninò contra ſe claudi faciant regnum Dei, ſæpè videndo, omnia *tolerare*, ſæpè tolerando, nonnulla etiam *facere* cogimur.

(c) S. Auguſt. *Enchirid. c. 80.*

Q. 9. *Quid ſtatuendum de conſuetudine ſe mutuò provocandi ad* ÆQUALES HAUSTUS?

℞. Si

℞. Si quis *urbanitatis* limites prætergreſſus, alios *urgere* pergat, etiam poſtquam *propinquum* Ebrietatis periculum animadvertit, à *gravi culpa* excuſari nequaquam poteſt: quin & aſſiduis *robuſtiſque* potatoribus graviter interminatur Propheta: (a) *Væ qui potentes eſtis ad bibendum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

(a) *Iſai.* 5. 22.

Q. 10. *Quid ſentiendum de* peccatis *in Ebrietate commiſſis?*

℞. Cùm nihil poſſit eſſe peccatum, niſi ſit *voluntarium*; Ebrietas in tantùm à peccato excuſare cenſenda eſt, in quantùm vel ipſa in ſe *involuntaria* eſt, vel cauſſa, ut *involuntarium* ſit, quod *in ea*, & *per eam* perpetratur. Si ergo planè *inculpabilis* fuerit Ebrietas, vel flagitium, quod *per eam* committitur, penitus *inſolitum* & *improviſum*, ad culpam coram Deo non imputabitur; unde dicit *Aug.* (b) LOTH eſſe culpandum, non quantùm *inceſtus*, ſed quantùm *Ebrietas* merebatur. Contrà verò, illa meritò imputabuntur tamquam ſatis *in cauſſa* ſua voluntaria, quorum *ſimilia* ſcire quis potuit à ſe in Ebrietate *ſolere* patrari: ut ſi quis ſibi conſcius ſit, ſe ad *ſcortationem* impuramve libidinem, ad *rixas*, *pugnas* & *cædes* in ebrietate eſſe proclivem, hic ſi *Ebrius* in illorum aliquod impegerit, id illi meritò, tamquam *in cauſſa voluntarium* ad culpam pœnamque imputabitur, etiam *coram Deo*: & *irregularis* fiet, ſi in eo ſtatu *homicidium* fecerit. Quod ad *forum externum* attinet, flagitiorum in ebrietate commiſſorum *excuſatio* juxta edicta *Caroli V.* admitti non debet, quia & ipſa per ſe Ebrietas meritò *odioſa* eſt, & non facilè præſumitur ſufficiens *animi deliberatio* defuiſſe, niſi probaretur, ebrietatem & *omnimodam* fuiſſe & *involuntariam*.

(b) *L.* 22. *cont. Fauſt.* c. 44. *Vid. Gen.* 19. 33. & *ſeqq.*

Q. 11. *Quid homini guloſo, aut ebrioſo potiſſimùm agendum incumbit, ut aſpirante Dei gratia à prava conſuetudine liberetur?*

℞. 1. Seriò attentèque expendat illa *Spiritus Sancti oracula*, quibus guloſi & ebrioſi graviſſimè perſtringuntur, quæ ſuprà ex parte prolata ſunt.

2. Perverſam conſuetudinem, cum ſincero emendationis deſiderio identidem *deteſtetur*, convertens mentis oculos in *Chriſtum Redemptorem*; qui in terris conſtitutus *famem ſitimque* perpeti, & jam morti proximus *aceto* ac *felle* potari voluit, ut noſtram *intemperantiam* expiaret, nobiſque *donum temperantiæ* mereretur.

3. Omni ſtudio vitandum eſt, quidquid his vitiis occaſionem dedit, ac præcipuè declinanda intemperantium hominum & potatorum *ſocietas*, qui ad æquales hauſtus provocare ſolent, & potitandi finem facere neſciunt. (a) *Noli eſſe in conviviis potatorum.* (b) *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* (c) *Luxurioſa res eſt vinum & tumultuoſa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit ſapiens.*

(a) Prov. 23. 20.
(b) 1. Petr. 5. 8.
(c) Prov. 20. 1.

4. Monet (d) *Auguſt.* eum, qui poſt inveteratam conſuetudinem, hoc tam pernicioſo malo liberari deſiderat, „ ut quomodo ſibi in„ tervallo dierum potum *addendo* ad ebrietatis „ tenebras pervenit, ita *paulatim ſubtrahendo*, „ ad ſobrietatis lucem redire contendat. Quomodo verò ebrietatum, aut comeſſationum prava conſuetudo, quæ in aliquam *communitatem*

(d) *Vel quicumque eſt author Serm. 231. de temp. nunc. 294. in append. nov. edit. qui putatur eſſe* S. Cæſarius Arelat.

Digitized by Google

rem irrepſerit, ex eadem provida ſuperiorum ſollicitudine tollenda ſit, alibi (*c*) idem *Auguſt.* ſapienter expoſuit: „ Non *aſpere*, in„ quit, quantùm exiſtimo, non *duriter*, non „ modo *imperioſo* iſta tolluntur: magis *docen„ do* quàm jubendo, magis *monendo* quàm mi„ nando. Sic enim agendum eſt cum multitu„ dine: *ſeveritas* autem exercenda eſt in pecca„ ta *paucorum*. Et ſi quid minamur, cum do„ lore fiat, de *ſcripturis* comminando vindi„ ctam futuram, ne *nos ipſi* in noſtra poteſtate, „ ſed *Deus* in noſtro ſermone timeatur. Ita priùs „ movebuntur *ſpiritales*, vel *ſpiritalibus* pro„ ximi, quorum auctoritate, & *leniſſimis* qui„ dem, ſed *inſtantiſſimis* admonitionibus cæte„ ra multitudo frangatur.

(*a*) *Ep.* 64. *nunc* 22. *num.* 5.

CAPUT XXI.

De ſeptimo Decalogi præcepto: NON FURABERIS.

Vide S. Th. 2. 2. *q.* 66.

QUæſtio I. *Quid generaliter hoc præcepto interdicitur?*

℟. Prohibetur omnis REI ALIENÆ illicita *contrectatio*, *uſurpatio*, atque *detentio*, per *furtum*, *rapinam*, *uſuras*, *lucra injuſta*, *dolum* malum, & quoſvis *contractus iniquos*, quibus & fraterna charitas læditur, & proximus fraude circumvenitur.

Q. 2. *Quid eſt* FURTUM, *quid* RAPINA?

℟. *Furti* nomen generaliſſimè ſumptum quamlibet injuſtam *rei alienæ* ablationem & uſurpationem complectitur; eaque ratione non tantùm *occultam*, aut *fraudulentam* alienæ rei ablationem, verùm etiam *plagium*, liberi nem-

pe hominis, vel alieni ſervi furtum; *peculatum*, quo bona publica auferuntur, vel in uſus proprios convertuntur: & *ſacrilegium* comprehendit. *Sacrilegii* autem crimen incurrunt, qui *rem ſacram*, vel aliud quidpiam è *loco ſacro* furantur, item *Religioſi*, qui contra votum paupertatis, bonorum communium aliquid, clam diſpenſatore, uſurpant ac detinent.

Furtum ſtrictiùs ſumptum definiri ſolet: *injuſta & OCCULTA rei alienæ contrectatio, domino rationabiliter invito*. Sic ſumptum differt à *Rapina*, in eo quòd hæc ſit MANIFESTA & VIOLENTA *alienæ rei contrectatio, ſciente & invito Domino*; ubi ad violentiam ſatis eſt, ut ob majoris mali *metum*, aut *verecundiam* dominus reſiſtere, aut reclamare non audeat.

Quamvis autem leges graviùs ſæpè puniant *furem* quàm *raptorem*, rapina tamen cæteris paribus ob *violentiam*, majoremque adeò *injuriam*, quam involvit, furto gravior eſt, & alterius *ſpeciei* malitiam continet.

Q. 3. *Recenſe præcipua hominum genera, qui ob fraudulentam alienæ rei contrectationem* Furti *rei ſunt?*

℞. 1. Fraus omnis, quæ in *Emptionibus & Venditionibus*, cæteriſque hujuſmodi CONTRACTIBUS admittitur, ad furtum pertinet: ſive merces *vitioſæ* vendantur pro *integris*, aut ſupra *juſtum pretium*: ſive menſura, aut ſtatera *doloſa* adhibeatur. (a) *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*.

(a) Prov. 11. 1.

2. Furti rei ſunt *operarii*, qui mercedem integram pro dimidiata, aut negligente admodùm opera depoſcunt.

3. Reipublicæ, aut juventutis *Rectores*, ac diſciplinarum omnium *Magiſtri*, qui publicis ſtipendiis, aut mercede fruuntur, neque interim ſui muneris partes diligenter adimplent.

4. Fi-

Digitized by Google

4. *Filii Familias*, qui à (*a*) parentibus occultè ſurripiunt, vel aſtu doloque emungunt, quod in comeſſationes, luſus, aut ſcortationes effundant. (*a*) *Prov.* 28. 24.

5. *Famulantes*, qui ab heris ſuis clanculò nonnulla ſubducunt, (*b*) etiamſi id faciant prætextu *compenſandæ* operæ ſuæ, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt. (*b*) *Prop.* 37. *inter* 65. *Innoc. XI.*

6. Qui, cùm non egeant, *ementita mendicitate*, quod veris pauperibus deſtinabatur, emungunt.

7. Qui *monetam publicam* abradunt, aut adulterant, in quos Reſpublica gravi ſupplicio meritò animadvertit.

8. Denique univerſim omnes, qui *fraude* ac *dolo* ab ignorante, juſtèque invito Domino quidpiam *extorquent*, aut *iniquè detinent*.

Q. 4. *Recenſe ſimiliter nonnulla hominum genera, qui ob injuriam, violentiæ æquiparandam*, Raptoribus *accenſendi ſunt?*

℞. 1. Raptores ſunt, qui vi, aut malis artibus *mercedem operariorum* defraudant. Quod quidem crimen adeo exoſum eſt Deo, ut (*c*) vindictam in cœlum clamare dicatur. (*c*) Jacob. 5. 4. *Deut.* 24. 15. *Levit.* 19. 13. *Tob.* 4. 15.

2. Qui *decimas*, *vectigalia*, & *juſta tributa*, iis, quibus legitimè debentur, pendere detrectant, vel intervertunt, & ad ſe transferunt.

(*a*) *Qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & à Matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicida eſt.* Prov. 28. 24.

(*b*) *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Jac. 5. 4.

Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die *reddes ei pretium laboris ejus ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne* clamet *contra*

3. Principes & Toparchæ, Ductores militum, Provinciarum Urbiumque præfecti, qui vel *iniqua vectigalia*, injuſtaque *onera* imponunt, vel quovis modo *indebitas* à ſubditis *contributiones* extorquent.

(a) Deut. 16. 19. Eccli. 20. 31. 4. *Iniqui judices*, cæterique apud judicum tribunalia laborantes, qui *muneribus* (*a*) excæcati, optimas miſerorum cauſſas evertunt.

5. Qui frumentorum ſuppreſſione, annonæ caritatem inducunt; vel aliter *iniquis* MONOPOLIIS, Reipublicæ gravamen adferunt.

6. Qui in creditorum *fraudem*, *foro cedunt*.

(b) Exod. 22. 26. Deut. 24. 12. 17. 7. Qui nimia duritie & immiti ſeveritate, *debitores pauperes* propemodum excoriant, aut *pignoris* (*b*) loco ab iis accipiunt veſtimenta, aut res alias ad quotidianum uſum omnino neceſſarias, quas non ſine magno illorum incommodo crudeliter detineant. Quamquam hi crudelitatis potiùs rei ſint quam *injuriæ propriè dictæ*, ſive *injuſtitiæ*, cùm ad reſtitutionem non teneantur.

8. *Fœneratores*, ſive *Uſurarii*, qui ex pecunia mutuò data lucrum captant. Omnes denique,

te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. Deut. 24. 14. & 15.

Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui, apud te omnino non remaneat. Tob. 4. 15.

(*a*) *Non accipies* perſonam *nec* munera: *quia munera* excæcant *oculos ſapientum*, & mutant *verba juſtorum*. Deuter. 16. 19.

Xenia & dona excæcant *oculos judicum*, & quaſi mutus, *in ore avertit correptiones eorum*. Eccl. 20. 31.

(*b*) *Si* pignus *à proximo tuo acceperis* veſtimentum, *ante ſolis occaſum reddes ei*. *Ipſum enim eſt* ſolum, *quo operitur*, *indumentum carnis ejus*, nec habet aliud *in quo dormiat*: *ſi clamaverit ad me*, *exaudiam eum*, *quia miſericors ſum*. Exod. 22. ℣. 26. & 27.

que, qui per apertam vim à quocumque aliquid auferunt, *juris ordine* prætermiſſo.

Q. 5. *Furtum, item Rapina* QUALE *peccatum eſt?*

℞. Utrumque *ex genere ſuo* peccatum *mortale* eſt, id quod Apoſtolus apertè declarat, cùm ait (a) *neque fures..... neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.*

(a) 1. Cor. 6. 10.

Poteſt nihilominùs utrumque eſſe *veniale;* rariſſimè quidem ob *actus indeliberationem*, ſed aliquanto ſæpiùs ob *materiæ parvitatem*: rariùs tamen quàm vulgo creditur; cùm ſæpiſſimè ea ſit *mens furantis*, capere quantùm poteſt.

Quæ porrò *quantitas* ad furtum mortale præcisè requiratur ac ſufficiat, ſatis incertum eſt, neque *inutiliter* ignoratur. Plerique eam in *abſoluto* potiùs, quàm in *reſpectivo*, conſtituendam eſſe conſentiunt; & inter omnes convenit, *paucos* ſaltem *florenos* ad *furtum mortale* ſufficere: quin ordinariè *merces diurna* operarii honeſta arte laborantis, *notabilis* quantitas reputatur. Interim variis modis contingit, ut graviùs peccet, qui à *paupere*, quàm qui à divite rem quampiam furto abſtulerit.

Hæc, quæ jam dicta eſt, *incertitudo*, augere debet omnium ſollicitudinem, ut vel à *minutis* furtis abſtineant, maximè cum hac in parte, teſte *Hieronymo*, (b) non tam *res* quæ aufertur, quàm *animus furantis* attendi debeat, utpote qui reum quemque coram Deo conſtituat. Quare qui furtis quantùmvis *minutis* paulatim *diteſcere*, vel ad *ſummam notabilem* pervenire contendit, mortali peccato jam inde obſtrictus eſt; quin & in *ſingulis* furtis eo animo factis *gravem* noxam incurrit. Plus etiam additur, nempè ne eum quidem à gravi

(b) In cap. 2. Ep. ad Tit.

 culpa

culpa eximendum, qui etſi ab initio *formalem* iſtam, furandi ſummam notabilem, *intentionem* non habuerit, ſenſim tamen per plura furta *moraliter* inter ſe connexa, ad eam ſe pervenire perſpiciens, eamdem complere ac *detinere* decernit.

Cæterùm qui minuta auferendo, animadvertunt, *aliis* ſimiliter exigua auferentibus, *notabile* damnum inferri proximo, ſi id vel *communi conſilio* agant, vel aliter in aliorum injuſtitiam alii *influant*, gravis peccati rei ſunt, & ad reſtitutionem *ſinguli in ſolidum* tenebuntur: At ſi horum neutrum ſubſit, à peccato *mortali*, *& gravi* obligatione reſtitutionis, plerique eos eximendos putant.

Q. 6. *Quid ſentiendum de Recuperationibus, ſeu* COMPENSATIONIBUS OCCULTIS?

(a) Q. 66. Art. 5. ad 3. item art. 3. ad 3. ℞. Mens ſatis aperta S. *Thomæ* (a) eſt, per ſe illicitum, *furtiſque* regulariter annumerandum eſſe, quòd quis rem ſuam, *etiam injuſtè* apud alios detentam, vel ſibi *liquidò* debitam, *recuperet occultè*, proptereà quod qui ſic agit, *contra communem juſtitiam* impingat, *dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium*, JURIS ORDINE PRÆTERMISSO.

Ab hac regula generali *exceptionem* multi faciunt, ſi certæ adſint cauſſæ & *circumſtantiæ*: ſi nempe debitum ſit prorsùm liquidum & *indubitatum*, poſſitque hac compenſationis via ſine *periculo* damni, infamiæ, & ſcandali; via autem juris *vix*, aut ne vix quidem recuperari: verùm alii, ne hanc quidem exceptionem facile admittendam putant.

(b) Ex. Prop. 37. Innoc. XI. Hoc certum eſt, (b) compenſationes occultas famulantium, eo prætextu factas quod operam ſuam majorem judicent ſalario quod percipiunt, planè illicitas eſſe; imò vera

fur-

furta ſunt, & quidem è *gravioribus*, *quia domeſtica*, quæ minus facilè quam cætera caveri poſſunt.

Q. 7. *Quid ſtatuendum de furto, quod in* NECESSITATE *contingit?*

℞. Si *extrema neceſſitas* urgeat, furtum non erit, quia res quæ tunc auferetur, *aliena* non eſt, ſed *communis*. Si neceſſitas ſit dumtaxat *gravis*, poterit furti malitiam extenuare, ſed (*a*) non abſtergere; unde ne viro quidem *honeſto*, aut *nobili* videtur licitum fore aliena ſurripere, etſi ad eam *neceſſitatem* devenerit, ut alioquin ipſi mendicandum foret.

(*a*) *Prop.* 36. Ibid.

Fugitivi interim illi, qui ob direptiones militum alio ſe cum jumentis conferunt, ubi neceſſitate compulſi alienos agros depaſcere conſueverunt, hoc ab aliis *mutuo* potius ſumere, cum obligatione poſteà quoad potenrunt *ſolvendi*, quàm *furari* cenſentur.

Q. 8. *Viſum eſt, quid hoc ſeptimo præcepto prohibeatur; dic jam quid à nobis* EXIGAT?

℞. Exigit, ut in omni *commercio* atque negotio, *humanæ ſocietatis* jura inviolata æquitate ſerventur, *proximique utilitas*, ſicubi ſeſe offerat occaſio, ope noſtra promoveatur. Quod quidem facile unuſquiſque perficiet, ſi menti alte inſculptam gerat iſtam æquitatis & dilectionis Regulam: (*b*) *Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

(*b*) *Matth.* 7. 12.

CAPUT XXII.

Vide S.Th. 2. 2. q. 77.

De juſtitia & injuſtitia CONTRACTUUM.

CUM ad ſeptimi præcepti tranſgreſſionem reducantur ea omnia, quibus quoad *fortunas* & facultates proximo infertur *injuria*, cumque id ipſum varie fieri ſoleat per *contractus* fraudulentos, uſurarios, aut aliter vitioſos, de iis etiam hoc loco breviter agendum eſſe cenſuimus; & quidem de *mutuo & uſura*, aliiſque his valde affinibus, capite ſequenti: poſteà vero de obligatione, quæ omnem hujuſmodi injuriam ſponte conſequitur, ſcilicet *Reſtitutionis* faciendæ.

Pleraque, quæ hoc & ſequenti capite tractabuntur, magna ex parte pertinent ad juriſprudentiæ diſciplinam; unde cum in his aliiſque hujuſmodi pro conſcientia difficultas exoritur, non raro conſulendi erunt juriſperiti, ac plerumque ſequendi: nam *leges civiles & conſuetudines* municipales non modo ad externam politiam pertinere, verum etiam *conſcientiam* generatim ligare cenſendæ ſunt, niſi aliunde contrarium manifeſtè appareat. Juvat interim, ut Theologus harum rerum non ſit omninò imperitus, cum multa ſæpe, quæ ab his pendent, illi ex tempore reſolvenda ſint. Nos ſumma tantùm ſequemur faſtigia rerum.

Q. I. *Quid eſt* CONTRACTUS & QUOTUPLEX?

℞. *Contractus* generatim nihil aliud eſt, quam duorum, aut plurium conventio, aut in idem placitum conſenſus: *perfectus* erit, ſi *ultro citroque* obligationem pariat; *imperfectus*, ſi dumtaxat in *alterutro* contrahentium, uti in *promiſſione & donatione* uſu venit. Ille *onere-*

re-

voſus, hic *lucrativus*, eſſe & dici ſolet: uterque autem generali PACTI nomine comprehenditur.

Alius *nominatus* dicitur, qui ſpeciale nomen in jure obtinuit, & ex eo capite peculiarem *actionem* parit, ut Emptio-venditio, locatio, ſocietas: alius *innominatus*, qui certum ac legitimum nomen non habet; cujuſmodi quatuor hæc genera recenſeri ſolent: do, ut des; do, ut facias; facio, ut facias; facio, ut des.

Q. 2. *Omniſne contractus obligationem parit etiam* in conſcientia?

℞. Si contractus neque *per leges* irritetur, neque *ficte*, aut per *vim*, *errorem*, vel *dolum* ineatur, ſatis conſtat, cum ceu *privatam* quamdam *legem*, ipſam quoque obſtricturum eſſe *conſcientiam*.

Quod ſi FICTE tantùm, ex una ſaltem parte, ineatur, ita ut interior contrahendi ſeque obligandi voluntas deſit, quamvis in foro externo, ſi aliunde nihil obſiſtat, habendus ſit ut validus, cenſent tamen communiter Theologi, non habiturum robur in conſcientia; tametſi multis omnino probabile videatur, *fictionem merè internam* in iis contractibus, in quibus auctoritate publica conſenſus ſuppleri poteſt & ſolet, valorem eorum non impedire, ne fraus & dolus cuiquam patrocinari poſſint.

Quod ad METUM attinet, cùm is *libertatem* & *conſenſum* non penitus auferat, etiamſi metu gravi & injuſtè incuſſo contractus extortus fuerit, *jure* equidem *naturæ* ſubſiſtet; quin etiam, ſi paucos (*a*) excipias, *poſitivo*, ita tamen, ut plerumque *reſcindi* poſſit ac debeat ad arbitrium ejus, qui metum iniquum paſſus eſt.

(*a*) *Præſertim* matrimonii.

Aliter dicendum de ERRORE, aut DOLO qui

qui errori & contractui cauſſam dedit. Si verſetur *error* circa ipſam rei ſubſtantiam, cùm *conſenſum* penitus auferat, contractum reddit ipſo *naturæ jure* invalidum: ſecus ſi dumtaxat circa aliquod *accidens*, niſi hoc ipſum fortè ſe habeat per modum cauſſæ principaliter impellentis; tunc quippe *in ſubſtantiam redundare* cenſetur. Etſi porro contractus alias ipſo jure non irritetur, poteſt tamen & debet, ubi *reſciſſionem patitur*, ad arbitrium ejus, qui deceptus fuerit, reſcindi; modo dolus contractui *cauſſam dederit*, & doli *conſcius* fuerit alter contrahentium. Si non reſcindatur, generatim ſaltem reparandum erit, quidquid ex dolo pars decepta *damni* ſuſtinuerit.

Q. 3. *Quinam* VALENT *contrahere?*

℟. Quicumque rationis uſum, & *liberam* habent rerum ſuarum adminiſtrationem: hanc quia *pupillis* & (*a*) *minoribus* leges adimunt, ut inconſultæ ætati aliorum prudentia ſuccurratur, idcircò illi ſine authoritate *tutoris* adversùs utilitatem ſuam contrahentes, neque *civiliter*, neque (ut veroſimilius eſt) *naturaliter* obligantur. Quin etiam, ſi, poſtquam auctoritate tutoris, aut judicis contraxerunt; *læſi* fuiſſe comperiantur, authoritate publica *in integrum reſtitui* poterunt: quo etiam *privilegio* gaudent *Eccleſiæ*, alia *pia loca*, *civitates* &c. quæ cum *Minorum* inſtar regantur ab iis, qui res curant *alienas*, facilius lædi ſinuntur.

(*a*) *Id eſt qui annum ætatis vigeſimum quintum nondũ impleverunt.*

Q. 4. *Quid ſi contractui aliunde invalido adjectum fuerit* juramentum?

℟. Tametſi *juramentum*, quocumque etiam *metu* extortum fuerit, ob *Religionis* vinculum quod inducit, ſervari debeat, (*b*) niſi vergeret in *deteriorem exitum*, id eſt, præiudicium tertii, vel *ſalutis æternæ diſpendium*; contractum

(*b*) *Vide C.* cum contingat. ✠ De jurejurando.

ctum tamen, qui ipſo jure nullus eſt, ita firmare per ſe non poteſt, ut eamdem vim eaſdemque illi proprietates tribuat, ac ſi reipſa ab initio ſubſtitiſſet: (*a*) *Acceſſorium* quippe *ſequitur naturam principalis*. Si autem pupillus (*b*) *pubes* contractui, quem ſine curatoris auctoritate inierit, juris-jurandi vinculum ſuperaddat, non modo *naturaliter*, verum etiam *civiliter* ex legum diſpoſitione obligabitur; quia juramentum hic *ſupplebit* ætatem.

(*a*) *Reg. 42. de Reg. Juris. in 6.*

Q. 5. *Quid cenſendum de* CONDITIONIBUS, *quæ contractibus apponi conſueverunt?*

℞. 1. Sola conditio de *futuro contingenti* ſuſpendit contractum, donec ipſa eveniat. Hac pendente neutri contrahentium reſilire fas eſt, altero reluctante: eadem verò impleta, mox tranſit contractus in *abſolutum*, etiam abſque *novo conſenſu*, modo prior non fuerit retractatus.

2. Si *turpis* conditio appoſita eſt, ea in *matrimonio* æquè ac in *Teſtamento* habebitur pro non adjecta; ita quippe jura (*c*) ſtatuunt in utriuſque *favorem*, niſi tamen *ſubſtantiæ matrimonii* conditio adjecta manifeſtè repugnet. Idem pro utroque jura decernunt, ſi conditio *impoſſibilis* adjungatur.

(*c*) *Cap. final. de condit. appoſ.*

3. Conditio *turpis* ſi alibi apponatur, ſatis quidem conſtat, nullam oriri obligationem, *priuſquam* ipſa compleatur: an vero & qualis oriatur, *poſtquam* fuerit adimpleta, id variè diſputatur.

4. A *Conditione* differt *modus*, quod hic plerumque contractus valorem non ſuſpendat, ſed ſolummodo *onus* aliquod injiciat, à quo pacti

valor

(*b*) Pubertas *in maſculo ætatem exigit annor. XIV. in fœmina XII. ſed ad* plenam *pubertatem XVIII. anni de jure requiruntur.*

Digitized by Google

valor pendere non ſolet; niſi tamen *modus* ipſe ſit cauſa *principalis* atque *finalis*, uti eſſe videtur, ſi pater dicat filio: dono tibi hos centum florenos, *ut tibi inde libros compares*.

Q. 6. *Quid circa* PROMISSIONEM *&* DONATIONEM *Theologo præcipuè obſervandum eſt?*

℞. Sequentia utiliter notabuntur.

1. *Promiſſio* de re *poſſibili* & *licita*, ab eo cui *ſerio* facta fuerit, *acceptata*, ligat proculdubio conſcientiam promittentis. Sitne autem ea obligatio *ex juſtitia*, graviſque pro *ratione materiæ*, an ex *fidelitate* tantum, & *levis* etiam in materia gravi, id non omnino liquet: multi ſiquidem exiſtimant, non parum hoc pendere ab *intentione* gratuito promittentis. Id certum habetur, non eamdem hic ad *materiæ gravitatem*, ſufficere quantitatem, quæ pro *furto* alibique ſufficiat in contractibus *oneroſis*.

2. Promiſſio *ob turpem cauſſam*, *ante* operis patrationem certo ſervari non debet: an verò eo patrato præſtari debeat, quod promiſſum eſt, poſſitque quod datum fuerit retineri, varie diſceptatur. Ex mente *S. Thomæ* ſic nobis videtur eſſe diſtinguendum; ubicumque *leges & dationi & acceptioni reſiſtunt*, uti in muneribus *judicum*, mercede *ſicariorum*, aliorumque ejuſmodi, qui ad peccandum contra *legem* & *juſtitiam* præmio inducuntur, nulla oriri poteſt obligatio, & quod datum fuerit, *retineri* non poteſt; ſecùs dicendum de turpi cauſſa, quæ legibus non punitur: unde ſentit *S. Thomas*, *meretricem* (ubi id genus hominum ad graviora mala vitanda toleratur) opere turpi impleto, neque turpiter accipere, neque, ſi fraus & dolus abſuerint, injuſte quod datum fuerit, retinere.

3. *Ceſſat* obligatio promiſſionis etiam acce-

pta-

ptatæ, ſi, quod promiſſum fuerat, *illicitum* deinceps fiat, aut *impoſſibile*, vel ſi citra culpam promittentis ea *rerum mutatio* ſupervenerit, ut prudentum judicio cenſeri debeat in eum eventum noluiſſe obligari.

4. *Donatio* requirit *acceptationem* æque ac promiſſio. Res *uni promiſſa*, plerumque illicite *donabitur alteri*, valebit tamen donatio, ſi modo ſit ejus rei, cui penes donantem ſit *dominium*, *adminiſtratio*, & *alienandi* facultas. Donari non poteſt, neque *res quælibet*, neque *omnibus*; qua in re, uti & in aliis ejuſmodi, jura ſequenda ſunt, etiam in conſcientia; nec immunis erit à culpa, qui leges *fraude* circumvenerit. *Revocari* poteſt donatio, ſi ſit *inofficioſa*; ſi donatarius fiat *ingratus*; ſi *proles* ſuſcepta fuerit, quæ ante non ſperabatur: & poſt ſententiam judicis reddendum erit quod prævia donatione fuerat acquiſitum.

Q. 7. *Quid circa* ULTIMAS VOLUNTATES?

℞. 1. Quod morituris liceat de rebus ſuis *ultima voluntate* diſponere, id *ex jure gentium* ubique fere obtinuit; quod non niſi hac, aut iſta forma *teſtamentum* condere valeant, hoc ex *jure civili* derivatum eſt, quod multis olim *ſolemnitatibus*, quas requirebat, *fraudibus*, quæ hic adhiberi natæ ſunt, occurrendum judicavit. Hodiernis harum regionum moribus *pauciores* requiruntur, & *teſtamentum* neque directam *hæredis inſtitutionem* exigit, neque à *codicillo* fere diſtinguitur. *Qui* autem, *quid*, *quomodo*, *quibus*, qua *forma* teſtari, aut *legare* poſſint, à juriſperitis, cum opus fuerit, requirendum eſt; hæc quippe variant pro varietate locorum, quæ tamen *parochis* utcumque debent eſſe perſpecta, cum non raro ultimas voluntates conſcribere eos oporteat, præſertim in hoc *Belgio* noſtro.

2. Te-

2. Teſtamentum per ſe loquendo *revocari* poteſt uſque ad mortem teſtatoris, (*a*) ſolaque ejus *morte* firmatur illud ipſum quod *poſtremo* loco robur voluit obtinere; quòd ſi non revocaturum ſeſe jurejurando promiſerit, *illicite* quidem revocabit, attamen *valide*.

(*a*) *Hebr.* 9.17.

3. Teſtamenta ad *cauſſas profanas*, ſi deſtituta ſunt *ſolemnitatibus*, quæ in ea regione de jure requiruntur, etiam pro foro conſcientiæ habenda videntur *invalida*, quantumvis conſtet de mente & libera voluntate teſtatoris: ſecus, ſi ad *cauſſas pias* facta fuerint; tunc quippe, pro ea ſaltem parte, *in utroque foro* robur poterunt obtinere.

4. Si legatum ad cauſſam piam, illi ipſi cui deſtinatum eſt, uſui, applicari non poſſit, *arbitrio Epiſcopi* alteri, itidem pio, poterit applicari, etiamſi autem eidem, cui relictum eſt, cauſſæ applicari poſſit, nihilominus, ſi juſta aliqua ratio intervenerit, auctoritate *Sedis Apoſtolicæ* attribui poterit cauſſæ alteri æquè, vel magis piæ; quod tamen neque facile petendum eſt, neque niſi ægre admodum concedendum; expedit enim rebus humanis, ut quoad fieri poteſt, ultimæ voluntates *inviolabiliter* obſerventur.

5. *Clerici* teſtamentum condituri, monendi ſunt & urgendi *efficaciter* à directore conſcientiæ, ut de bonis Eccleſiaſticis quæ ſuperſunt, ad *cauſſas pias* diſponant; neque hæredibus ab inteſtato, ſi *pauperes* non ſint, ea relinquant.

Q. 8. *Quid circa* LUDOS *&* SPONSIONES?

℞. Tametſi *ludi*, uti & *ſponſionis* contractus, *per ſe liciti* ſint, & obligent *in conſcientia*; ludi tamen, qui *fortunæ* vocantur, de *genere malorum* ſunt, (*b*) atque *excuſari* egent *circumſtantiis* cohoneſtantibus; quapropter averſanda,

(*b*) *Vide* S. Franciſ. Saleſ. *part.* 3. *Introd. advit. dev. Cap.* 33.

ſanda, præſertim *clericis*, illorum *frequentatio eſt*.

Si *ludi* aliqui ſpeciatim per leges *vetiti* ſint, peccat quiſquis iis operam dederit: quod interim ob ludum hujuſmodi *ſolutum* fuerit, *teneri* poteſt dum *repetatur*; *repeti* autem poteſt, & tunc reddi debet in utroque foro; qui nondum ſolvit, adversùs exigentem *exceptione* ſibi per leges conceſſa uti, ſi velit, poteſt.

Peccat quoque, qui aliis ludis *nimium* inſumit temporis, vel lucrum *principaliter* intendit, vel notabilem pecuniæ ſummam ludo apponit; atque eo quidem delinquit gravius, quo vel eſt jactura temporis *diuturnior*, vel cupiditas lucri *ardentior*, vel ſumma pecuniæ ludo appoſita *major*.

Addi & hoc debet, *fraudes* in ludo non ideò permiſſas eſſe, quia communiter adhibentur. Denique Axioma eſt, idque regulariter verum: *per ludum, vel ſponſiones non poſſe lucrari, qui non poſſunt perdere*.

Q. 9. *Quid circa contractum* EMPTIONIS-VENDITIONIS?

℞. 1. Regula hæc *S. Thomæ* (*a*) perpetuo præ oculis habenda eſt: *Quod pro communi utilitate inductum eſt, non debet magis eſſe in gravamen unius quam alterius;* unde prima *Emptionis-venditionis* lex eſt, ut pretio *juſto* fiat, intra cujus *latitudinem*, ſed non aliter, verum eſt quod dici ſolet, *tanti valere rem quamlibet, quanti vendi poſſit*, & contra; *tam parum valere, quam emi poſſit*. Si ſupra juſtum pretium ſummum vendatur, aut infra infimum ematur, peccati reatus & obligatio *reſtitutionis* incurritur; & quamvis negetur actio in *foro externo*, niſi fuerit læſio *ultra dimidium*, ſatis tamen aliunde innoteſcit, trahendum id non eſſe ad *forum internum*.

(*a*) 2. 2. q. 77. art. 1.

2. Si

2. Si *mere* ob *dilatam ſolutionem*, ſine ullo *titulo extrinſeco*, ſupra juſtum pretium res vendatur: vel ob *anticipatam*, infra juſtum ematur, injuſtitia eſt vitio *uſuræ*, & reſtitutioni obnoxia.

3. *Occultum* rei vitium emptori noxium, vel periculoſum, tenetur ei venditor patefacere, etiam ex *juſtitia*.

4. *Famulus*, aut *proxeneta* ordinariè ſibi retinere non poteſt id, quod *excreſcit* ſupra pretium ſibi *præſcriptum*, ſive infra quod rem vendere prohibitus fuerat; niſi hoc ipſum tamquam pro ſtipendio fuerit attributum.

5. Qui certis nuntiis didicit magnam propediem aliquarum mercium *copiam* adventuram, eaque ratione pretium earumdem notabiliter *diminutum* iri, *juſte* quidem adhuc vendere poteſt *pretio currente*: ſed *naturalis æquitas* exigit, ut ne magnam earum quantitatem vendat uni cuipiam, qui grave inde detrimentum ſuſtineat. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

6. *Emptioni-venditioni* apponi poſſe pactum, quòd res poterit *redimi*, certum eſt ex *legibus*, & aliunde; hæc autem duo controverſa ſunt: 1. Liceatne rem *frugiferam* emere cum *pacto retrovendendi*, ſive quod redimi debebit? 2. An debitum, ſeu *chirographum*, cujus ſolutio in ſe *difficilis* eſt, *minoris* emere liceat quàm ſonet, ſi aliunde emptor ſolutionem facile poſſit obtinere? in utroque *periculum* multi agnoſcunt latentis uſuræ.

Q. 10. *Quid dicendum de* NEGOTIATIONE, *quæ in earumdem rerum venalium coemptione, & diſtractione conſiſtit?*

℞. Certum eſt, *negotiationem* per ſe *licitam* eſſe, etſi rebus etiam non mutatis, ex ea quæratur *lucrum*, modo juſtum & moderatum, ceu

ceu laboris induſtriæque ſtipendium, ad ſuſtentandam *familiam*, vel ſublevandas neceſſitates *egenorum*. Nec modo *licita*, verum etiam *Reipublicæ neceſſaria* eſt: etenim non omnis fert omnia tellus, voluitque Deus diverſas regiones ſibi mutuo ſuppetias ferre, ut arctior eſſet inter homines ſocietas, & fraterna dilectio. Mendacia & perjuria, fraudes & injurias proximorum, in negotiatione reprehendenda monet *Auguſt.* (*a*) non ipſam, quæ ab his ſeparari poteſt, negotiationem.

(*a*) *Serm.* 1. *in Pſal.* 70. *n.* 1. 17.

Attamen, ut multa alia, ita & *negotiationis exercitium* periculoſum eſſe ſolet homini Chriſtiano: idcirco ea merito *clericis* interdicta eſt; quam nec ſatis tuto *per alios* exercebunt; etenim (*b*) *nemo militans Deo, recte implicat ſe negotiis ſæcularibus*.

(*b*) 2. *Tim.* 2. 4.

Ut *juſte*, *licite*, & *Chriſtiane* exerceatur *negotiatio*, tria præcipue vitanda ſunt. 1. *Mendacia & perjuria*, qui abuſus ſanè intolerabilis eſt. (*c*) *Qui congregat theſauros lingua mendacii, vanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.* (*d*) *Sit igitur ſermo veſter: eſt, eſt: non, non: quod his abundantius eſt, à malo eſt.*

(*c*) *Prov.* 21. 6.

(*d*) *Matth.* 5. 37.

2. Reliqua omnis *fraus* & iniquitas, quæ ſive ex parte *pretii*, ſive ex parte ipſius *rei*, ſive ex parte *modi* admitti ſolet.

Ex parte pretii, quando hoc eſt majus, aut minus *juſto*; hæc autem pretii *juſtitia*, quæ ab humani uſus indigentia pendere ſolet, ex *communi* prudentum & proborum *uſu* atq; *judicio*, pro variis locorum ac temporum circumſtantiis ſumitur, vel auctoritate Principis definitur: iſtud *vulgare*, hoc vero *legitimum* dicitur. Prius illud ſuam habet latitudinem, & tres gradus, *ſummum*, *medium*, & *infimum*, poſterius ita *fixum* ac determinatum eſt, ut

nullo

nullo pacto excedi poſſit. Peccat ergo non mediocriter, qui rem *longe majoris* indicat quàm valeat, præſertim apud imperitos; paratus accipere quidquid offerretur. Peccant quoque non leviter, qui in emendo, aliena *ignorantia*, vel *neceſſitate* ad ſuum compendium abutuntur, alieno quodammodo ſudore & ſanguine diteſcentes.

Ex parte rei, fraus & iniquitas admittitur, vel in ipſa rei *ſubſtantia*, cùm res rei ſubſtituitur; vel in *quantitate*, per *ſtateram* dolo-
(a) Deut. 25.13. Prov. 11.1. & cap. 20. 10. & v. 23.
ſam, *ponduſve* iniquum, quod *utrumque* (a) *abominabile eſt apud Deum*; vel in rei *qualitate*, ut ſi res *occulto vitio* laborans, illo minimè patefacto, currenti pretio vendatur: ſi res, qua ſæpè homines ad grave peccatum abutuntur, vendatur illi; qui eadem ſic abuſurus eſſe prænoſcitur, &c.

Ex parte modi delinquunt, qui ſine *privilegio* principis, & cum gravamine communitatis, MONOPOLIA (b) exercent, præſertim ſi vel *vi*, *aut fraude* impediant, ne major mercium copia invehatur; vel aliter inter ſe conſpirent, ut non niſi *ſupra juſtum pretium* vendant, quibus etiam caſibus *reſtitutionis* onus incurrunt: At nihil hac in re tam deteſtandum occurrit, quam ſi per iniqua *monopolia* ANNONÆ *caritas* inducatur. (c) *Qui abſcondit*
(c) Prov. 11.26.
frumenta, maledicetur in populis: Benedictio autem ſuper caput vendentium.

Tertium quod evitari debet, eſt nimia *cordis adhæſio*, qua contingit, ut cui ſit propoſi-
(d) 1.Tim. 6.10.
tum modis omnibus diteſcere; hi nempe (d) *qui* tanto affectu *volunt divites fieri*, *incidunt in*

(b) Monopolii *nomine intelligitur machinatio unius, pluriumve mercatorum in unum conſpirantium, ut ipſi ſoli vendant emantve, pretio à ſe conſtituto.*

in tentationem & laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Hæc nimia cordis adhæſio, cum aliunde, tum ex hoc etiam pateſcere ſolet, quòd ipſi quoque dies Feſti, atque Dominici negotiationi impendantur, cùm tamen diebus iſtis mercatum omnem *S. Pius V.* ceſſare voluerit, eumque prima (*a*) Provincialis *Synodus Mechlinienſis* pariter interdixerit.

(*a*) *Tit. de Feſt. cap. 2.*

CAPUT XXIII.

De MUTUO, USURA *&* CENSIBUS.

Vide S. Th. 2.2. q. 78.

QUæſtio I. *Quid eſt* MUTUUM, *& quomodo differt à* depoſito, commodato, precario *&* locato?

℞. *Mutuum* (*b*) definitur contractus, quo res *fungibilis*, id eſt, numero, pondere, vel menſura conſtans, uſuque conſumptibilis, in alterius transfertur *dominium*, cum obligatione priori domino reddendi *aliam* ejuſdem ſpeciei & bonitatis, ſeu valoris.

(*b*) *Inde* mutuum *appellatum eſt, quia ita tibi datur, ut ex* meo tuum fiat.

Differt à DEPOSITO, quòd in hoc ſola rei *cuſtodia* alteri committatur, ut dum repetitur, res *numero eadem* integra reſtituatur; ita ut depoſitarius, citra expreſſum tacitumve *conſenſum* deponentis, ne quidem *re depoſita uti* poſſit.

Differt à COMMODATO, item PRECARIO, quòd licet in utroque etiam hoc contractu, *uſus rei gratis* concedatur, res tamen *numero eadem* reſtituenda ſit, in *precario* quidem, *quandocumque* domino rei videbitur; in *commodato* autem, *tempore* præſtituto.

Dif-

Differt à LOCATO, quod in hoc uſus rei cujuſpiam, aut opera perſonæ, non *gratis*, ſed *certa mercede* præſtetur. Differt denique ab his ſimul omnibus, quod in horum nullo transferatur *dominium*, quod tamen transfertur in *mutuo*; unde hoc ſi *perit*, etiam *fortuito*, perit *mutuatario*, ſecus, in aliis mox recenſitis.

Q. 2. *Quæ* bonitas *attendi debet in redditione mutui?*

℞. Bonitas alia *intrinſeca* dicitur, alia *extrinſeca*. In *pecuniis* potiſſimum ſpectatur valor *extrinſecus*, quamquam aliter paciſci quis poſſit, & plerumque *gratitudo*, aut *honeſtas* exigat, ut hæ reddantur eo modo qui *mutuanti utilior* ſit, modo ſine *damno notabili* mutuatarii: in ceteris, ubi nihil eſt conventum, juſtitia attendi vult bonitatem *intrinſecam*, ſive eventus fuerit certus, ſive dubius, ſive dominus rem fuerit ſervaturus, ſive antea diſtracturus.

Q. 3. *Quid eſt* USURA, *&* quo JURE *prohibita eſt?*

℞. *Uſura* ab *uſu* dicta, eſt *lucrum ex mutuo immediate proveniens*. Hanc *utriuſque Teſtamenti* pagina condemnari *canones* (*a*) aſſerunt: *mutuum date*, inquit Chriſtus, (*b*) *nihil inde ſperantes*. Apud *Ezechielem* (*c*) autem *uſura* inter *deteſtanda* crimina recenſetur, quæ qui fecerit *morte morietur*, *& ſanguis ejus in ipſo erit*, id eſt, ipſe ſibi juſtæ damnationis cauſſam ultro accerſet. Nec jure dumtaxat *poſitivo*, tam divino quam humano, prohibetur, ſed & *naturali*; nempe ſi ſine damno tuo petenti mutuum, ſuccurrere poſſis ac velis (uti & nonnumquam *Charitas* (*d*) obligat) gra-

(*b*) *Luc.* 6.35.
(*c*) *Cap.* 18.13.
Vide etiam Levit. 25. 35.
2.*Eſdr.* 5. 7.
*Pſal.*14. 5.
(*d*) *Matth.* 5.42.

(*a*) *Vid. in decretal. in* 6. *& in Clement. Tit. de* uſuris; *Item cauſſa* 14. *q.* 3. *&* 4.

gratuito id facias neceſſe eſt, ne alioquin *ex re aliena*, eaque de ſe *ſterili*, lucrum facias; ex pecunia ſcilicet, vel re alia, cujus per contractum mutui plena poteſtas atque *dominium* transfertur in alterum, cujus etiam aliunde *uſus* in ipſa ejus *conſumptione* conſiſtit, cujuſque *æquivalens*, quomodocumque res *pereat*, poſtea reddi debet.

Judæis quidem dictum fuit (*a*) *non ſænerabis* FRATRI TUO *pecuniam ad uſuram, nec fruges, nec aliam quamlibet rem*, SED ALIENO; at non ſatis conſtat, verbiſne illis vere (uti potuit) conceſſerit Deus, ut ab *alienis*, ſeu vicinis gentibus, ſine uſuræ vitio, tamquam *tributum* aliquod, Judæi fœnus exigerent, prout aliqui ſentiunt: an ſolummodo „ permiſſum id eis fuerit ad majus malum vitan„ dum, ne ſcilicet à Judæis Deum colentibus „ uſuras acciperent propter avaritiam, cui de„ diti erant, uti loquitur (*b*) *S. Thomas*.

(*a*) *Deut.* 23.19.

(*b*) *Art.* 1. *ad* 2.

Q. 4. *Nulline dantur* TITULI, *ob quos mutuanti liceat aliquid* ultra ſortem *exigere?*

℞. Cum juſtum ſit, ut qui ex mutuo *non lucratur*, non ferat etiam *detrimentum*, Tres aſſignari ſolent *tituli*, ob quorum quemlibet juſte, ac ſine uſuræ vitio, à mutuante aliquid exigi, & accipi poſſit ultra ſummam mutuo datam, videlicet: *damnum emergens*, *lucrum ceſſans*, & extraordinarium amittendæ *ſortis periculum*. Horum duo priores ab omnibus paſſim admittuntur: tertius in controverſiam adducitur.

Damnum emergens titulum ſufficientem præbet (*c*) non modò cum illius ante præviſi compenſatio *in pactum* deducta fuerit, ſive *definito* aliquo pretio, ſive *indefinito* pro ratione eventus; verùm etiam cum pactum nullum de eo præſtando præceſſit, ſi modo damnum acci-

(*c*) *Eſt hæc communis ſententia, contra* Scotum *in* 4. *Diſt.* 15. *q.* q. 2.

acciderit per *dilationem* reddendæ ſortis ultra *terminos conventionis*, vel ſi mutuum non fuerit *ſpontaneum*, ſed *vi*, aut *metu* extortum. Idem eſto judicium, ſi in *recuperanda* ſorte *expenſas* fieri oportuerit.

De *lucro ceſſante* compenſando mutuans *paciſci* poterit, ſi (1) certa, aut *probabilis* juſti lucri ſpes ſit, de qua mutuatarius *præmoneatur*: (2) neque *aliæ* in promptu ſint pecuniæ, quibus *id* lucrum, quod animo *deſtinaverat*, mutuans conſequatur, (3) & caveatur, ne quantum lucrum ipſum futurum creditur, tanti *ſpes ejus*, quæ compenſanda eſt, æſtimetur, neque auctarium, de quo conventum fuerit, *mox ab initio* exigatur. Titulo huic videri poteſt *Doctor Angelicus* adverſari, ſed ab authoribus explicari ſolet, & huic ſententiæ conciliari. Interim non tam *apertè* ei *favet*, ut præcedenti; unde majorem etiam *titulus* hìc *cautionem* exigit, ut *practicetur*. Ceterùm *lucri ceſſantis* nomine abutuntur, qui eum titulum allegant, quòd alibi eſſent pecuniam ſuam ad *lucrum ſimile* collocaturi, ſeu daturi (ut vocant) *ad intereſſe*.

Titulum *periculi ſortis*, tametſi cum *Heſſelio* complures impugnent, plurimi tamen admittendum putant, ſi certis *conditionibus* veſtiatur; quarum præcipuæ ſunt: (1) ut periculum ſit *extraordinarium*, ideoque mutuo generatim ſpectato *extrinſecum*; alioquin fatentur omnes merum fore pallium uſuræ: (2) ut veriſimilitudini & magnitudini periculi *proportionetur* auctarium: (3) ut mutuatarius mutuanti *ſecuritatem* præſtare non poſſit, aut non velit, aſſignando pignus, aut fidejuſſorem &c. (4) Denique ut mutuans ſimilem *lucrandi occaſionem* non quærat, aut expetat, ſed in alterius commodum, rogatus ac penè coactus, admittat.

Q. 5. *Quænam, citra hos titulos, generalis circa uſuram* REGULA *ſtatuenda eſt?*

R. Hæc: *omnis conventio, in qua* RATIONE MUTUI *expliciti, imponitur mutuatario* NOVA OBLIGATIO *pretio æſtimabilis, aut* ONUS *quodlibet, quod aliàs erat* INDEBITUM, *apertè uſuraria eſt*. Qui ergo mutuatario onus imponit poſteà remutuandi, fidejubendi, molam, aut officinam emptionis gratia frequentandi, officium, aut (*a*) *beneficium* ſibi, aut ſuorum alicui conferendi, uſurarius eſt; eſto etiam non intenderet *obligationem juſtitiæ* inducere, ſed gratiam pro gratia exigere, uti certò conſtat ex hujus propoſitionis (*b*) reprobatione: *uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & GRATITUDINE debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tamquam* EX JUSTITIA *debitum*. Mutuarii tamen *amicitiam* expectare & exigere nihil vetat, nec vitioſum erit lucrum, ſi quod ea occaſione percipiat, vel ex mera gratitudine *ſpontè oblatum* eodem animo acceptet. Sed latere facilè poterit uſura ſaltem *mentalis*, ſi lucrum ex mutuo intendat, tametſi nihil in pactum deducatur; quæ quidem erit uſura *mixta ex reali & mentali*, ſi lucrum aliquod reipſa conſequatur. Ceterùm non ad uſuræ iniquitatem, ſed ad prudentiam potiùs pertinebit, ſi exigatur, ut mutuarius alia debita *certa* & *liquida* agnoſcat, ac ſolvere promittat, vel ab *iniqua*, quam incepit, *vexatione* deſiſtat.

(*a*) *Quo caſu etiam* Simoniacus *eſt*.

(*b*) *Eſt* 42. Innoc. XI.

Q. 6. *Suntne &* FALSI *aliqui* TITULI, *qui lucro ex mutuo fruſtrà prætenduntur?*

R. Præter *gratitudinem*, de qua mox dictum eſt; ſunt inſuper alii duo meritò reprobati: primus eſt, *carentia pecuniæ*, quæ utique omni mutuo intrinſeca eſt, unde hæc ab *Innoc. XI.* jure damnata eſt; (*c*) „ cùm pecunia *nu-*

(*c*) *Eſt* 41. Innoc. XI.

„ *merata* pretioſior ſit *numeranda*, & nullus „ ſit, qui non majoris faciat pecuniam *præſentem* quam *futuram*, poteſt creditor aliquid „ ultra ſortem à mutuatario exigere, & *eo* „ *titulo ab uſura excuſari*. Alter eſt, *obligatio*, quam in ſe mutuans ſuſcipiat, *non repetendi ſortem* uſque ad certum tempus, quem prætextum merito reprobavit *Alexand. VII.* (*a*)

(*a*) *Prop.* 42. Alex. VII.

Falſus etiam *plerumque* titulus, & ad palliandas uſuras ſervire natus eſt, *pœna conventionalis*, quæ mutuanti à mutuatario ſolvenda præfigitur, ſi hic fuerit in mora reddendæ ſortis tempore præſtituto.

Uſurarius quoque *regulariter* cenſendus eſt, qui *fructus* rei frugiferæ ſibi ad ſecuritatem cauſſa mutui *oppignoratæ*, in rem ſuam vertit, non computaturus eos in *diminutionem ſortis*.

Q. 7. *Quid intelligitur nomine uſuræ* PALLIATÆ, *& qua præſertim* REGULA *detegenda eſt?*

℞. *Uſura palliata* dicitur, quæ ſub alio contractu velut *pallio* occultatur, cum nempe contractus, qui initur, aliud quidem nomen gerit, ſed reipſa in *mutuum* uſurarium, ſaltem *virtuale*, degenerat; id quod contractu *emptionis-venditionis* ob *dilatam*, vel *anticipatam* ſolutionem ſupra, vel infra juſtum pretium factæ, locum obtinere jam ſupra dictum eſt: idem etiam in contractu *depoſiti*, *pignoris*, *locationis*, *mohatræ*, *cenſus*, *ſocietatis* & *cambii* uſu venire poteſt & ſolet. Ut autem *pallium* detrahi, & latens uſura facilius detegi poſſit, hæc eſto *Regula* generalis: „ Quiſquis „ alteri *realiter*, aut *virtualiter* pecuniam „ tradit eo pacto, ut vel ad libitum, vel „ certe ad conſtitutum tempus *repetere* poſſit, utque interim præter ſortem *perci-*

„ *piat*

„ *piat aliquid,* quod pretio æſtimari ſolet; „ *non alio titulo* (*a*) quàm quod in alterius „ commodum pecunia conceſsa fuerit, quo- „ cumque demum nomine contractus nuncu- „ petur, *mutuum* cum illicito *fœnore* dediſse „ convincitur.

(*a*) *Aliud quippe erit ſi titulus* damni emergentis, *aut lucri* ceſſantis *vel contractus legitima* ſocietatis *interveniat.*

Q. 8. *Suntne* CENSUS *immunes ab uſura?*

℞. Cum in *cenſu*, ſeu *Reditu*, veri nominis *emptio-venditio* interveniat, qua juſto pretio emitur jus ad penſionem annuam è certa re, vel perſona frugifera percipiendam, nemo hodie dubitat, quin *jure naturæ* licita ſit cenſus conſtitutio, ſive is *reſervativus* fuerit, ſive *conſignativus;* nec tantum ſi *realis* ſit, aut *mixtus*, verum etiam ſi *mere perſonalis*, dummodo perſona, ſuper quam fundatur, ſit *frugifera* per ſuam induſtriam, aut ſufficientes in re, vel ſpe facultates habeat, unde annuos canones perſolvere poſſit. Communis hodie in Belgio eſt cenſus *perſonalis* cum pacto, ut poſt annum, vel triennium *realizetur* ſive *hypothecetur*, ut loquuntur, vel certe *redimatur:* quem ipſum ab uſura immunem, ac *licitum* eſse, paſſim omnes agnoſcunt.

Reditus conſtitutus nummo *decimo ſexto*, ita tamen, ut primo V. G. trimeſtri poſt lapſum ſolvi poſſit nummo *Vigeſimo*, certo nihil habet illiciti; contra vero conſtitutus nummo *vigeſimo*, ſed ſi diuturnior ſolutionis mora interceſserit, ſolvendus nummo *decimo ſexto*, *ſpeciem* ſaltem uſuræ habere cenſebitur. Si quod porro genus cenſuum, poſitivis alicubi *legibus*, quæ præſertim *uſu* receptæ, & moribus comprobatæ ſint, interdictum fuerit, ab eo religioſe abſtinendum erit, & pro regula habendum, leges hujuſmodi ipſam etiam conſcientiam obligare.

Q. 9. *Quid ſi cenſus creetur* UTRINQUE RE-

DIMIBILIS, *ita ut emptor compellere poſſit venditorem ad eum redimendum?*

(*a*) *Interdixit S.* Pius V. *in Bulla, quæ incipit: cũ onus.*

℞. Fatentur omnes, rem plenam eſſe periculi, ideoque legibus *poſitivis* (*a*) merito interdictam. Quamvis autem nonnulli ſentiant, *jure naturæ* licitum eſſe poſſe, ſi illa redimendi obligatio magnitudine pretii compenſetur; nobis tamen, cum multis aliis, omnino tenendum eſſe videtur, merum id uſuræ *pallium* eſſe (*b*) quatenus in verum mutuum contractus iſte degenerat, ex quo ſine alio titulo legitimo lucrum percipiatur; cum plane idem ſit, ac ſi ad certum tempus *mutuum* daretur, repoſtea à mutuante, ubi viſum fuerit, repetendum, ob quod interim annuas penſiones accipiat, in ſortem non computandas. *Stupidus* profecto ſit, ſi hoc liceat, qui velit eſſe *uſurarius*.

(*b*) *Vide ſupra q. 7. & mox infra, q. 10. ſ. 9.*

Q. 10. *Quid ſtatuendum de contractu, qui vulgo* MOHATRA *dicitur?*

(*c*) *Prop.* 20.

℞. Is, prout ab *Innocentio XI.* (*c*) damnatus eſt, non eſt aliud quam merum mutuum cum uſura, ſubtili dumtaxat duorum contractuum emptionis & venditionis *pallio* tectum; puta, cum illi, qui 25. aureis opus habet, equus venditur pretio 30. aureorum *poſt annum* ſolvendo, cum pacto ut *emptor* eumdem illum equum mox revendat *venditori* 25. aureis, ſed præſentibus & numeratis. Quid namque intereſt, itane fiat, an verò ſimpliciter mutuo dentur 25. aurei, pro quibus poſt annum rependantur 30. Res plane eadem, ſola in nominibus differentia eſt. Ex quo certo ſtatuas, fieri poſſe, ut è pluribus contractibus, quibus *ſeorſum* ſinguli *liciti* ſunt, exurgat unus aliquis *uſurarius*, præſertim ſi plures illi *de induſtria* jungantur in unum. Applicari id poterit & quæſtioni præcedenti.

Q. 11.

Digitized by Google

Q. 11. Habetne id quoque locum in famoſo CONTRACTU TRIPLICI, *ſcilicet ſocietatis, aſſecurationis ſummæ principalis, & venditionis majoris lucri incerti pro minori quod certum eſt?*

℞. *Singulos* horum contractuum *per ſe* licitos eſſe; ipſos quoque tres *cum diverſis*; vel cum eodem, *diverſo tempore*, ſine vitio uſuræ iniri poſſe, ſatis conſtat: verùm ſi *eodem tempore*, cum *eadem perſona*, omnes tres *de induſtria* conjungantur, idem illud quod præcedenti quæſtione dictum eſt, hic quoque locum habiturum eſſe, multi exiſtimant, ut nempe ex *tribus* ſeorſim licitis, *unus* aliquis exoriatur contractus novus, qui nihil ſit aliud quam *virtuale mutuum*, ex quo lucrum percipiatur (*a*) *uſurarium*; quemadmodum ex terra pura & aqua munda, ſi commiſceantur, non prodit niſi immundum *lutum*.

(a) Saltem à Sixto V. *plane reprobatus eſſe videtur, in Bulla,* deteſtabilis avaritiæ *ann.* 1586.

Q. 12. *Quid circa* CAMBIUM *præcipue obſervandum eſt?*

℞. *Cambium* hoc loco contractum *permutationis* inter *pecuniam* & *pecuniam* ſonat. Quod *ſiccum*, (*b*) ſeu *fictum* vocant, tametſi exurgat ex duobus contractibus, qui *ſeorſum* liciti forent, verum *mutuum* eſt, & *uſurarium*.

Cambium *verum*, aliud *minutum* dicitur, aliud *locale*. *Minutum*, ſeu *manuale*, una cum lucro quod inde quæritur, per ſe licitum eſt, præcipuè ſi authoritate *publica* exerceatur: poteſtque hic etiam *valor intrinſecus* conſiderari, qui ab *extrinſeco* quantum aliquando differre poſſit, noſtris temporibus comprobatum eſt.

(*b*) Siccum *dicitur, quod inſtar terræ aridæ humore careat, juſtoque titulo lucri producendi:* fictum *vero, quia cum reipſa aliud nihil ſit quam* mutuum *cum auctario,* cambium *tamen eſſe fingitur, cujus ei nomen falſo tribuitur.*

Digitized by Google

Locale, ſive *per literas*, ſicut communius, ita apertius *juſtum* eſt, etſi pecuniæ non *re-ipſa*, ſed ſolum *virtualiter transferantur*: ſed ex hoc campſores, V.G. *Tabellarii*, tantum ſemper lucri accipere non poſſunt, quantum ſi pecunias *reipſa* transferrent. Nihil porro refert, *campſorne prius* pecuniam numeret, an *campſarius*. At ſi prius *campſor* numeret, pretiumque augeat pro *longitudine* temporis, intra quod *campſarius* alibi reddat; *uſura* eſt, niſi ii tituli interveniant, propter quos in *mutuo* ultra ſortem recte aliquid exigitur; *miſcetur* enim hic cambio mutuum, illudque adeo pro ea parte, hujus *naturam* ſequitur, in *mora ſolvendi*, *intercapedine temporis*, *anticipatione ſolutionis* &c.

Q. 13. *Quid dicendum de* MONTIBUS PIETATIS?

℞. Etſi his initio non parum fuerit *contradictum*, quemadmodum etiam & *cenſibus*, hodie tamen omnes eos paſſim habent velut ab uſura immunes, ac *licitos*, idque ſive ii ſint *Italici*, ſive *Belgici*, ſive ex utriſque *mixti*. Judæis, *Lombardis*, aliiſque *uſurariis profeſſis* in Belgio ſucceſſerunt, non modo *montes pietatis*, verum etiam (*a*) *Lombardi correcti*, id eſt privati illi, qui ſuſceptis *conditionibus* iiſdem cum *montibus pietatis*, ſub illis mutuum exercent *commodo ſuo*, & jam pridem Eccleſiæ *reconciliati* ſunt, atque ab *uſura* vindicari ſolent, ubi publica authoritate ſtabiliti ſunt. Cæterum dominium ipſius *Montis*, ſeu *maſſæ* pecuniarum, è qua ſumitur *mutuum*, & ſuper qua hypothecati ſunt *cenſus*, quibus montes illi Belgici onerati ſunt, dicitur eſſe penes *communitatem pauperum*, ſeu tali modo indigentium.

(*a*) *Sic dicti quod olim è* Lombardia, *ſeu Pedemontio plerumque eſſent oriundi*.

Duritia & immiſericordia erga pauperes, quæ

his

his in Belgio montibus cauſſam dedit, in cauſſa etiam eſſe videtur, cur illis parum hactenus *benedixerit* Deus.

Q. 14. *Licetne* ACCIPERE *mutuum ſub uſuris?*

℞. Nemo quidem inducere alium poteſt ad *uſuram*, poteſt tamen, ubi juſtâ & rationabilis *cauſſa* ſubeſt, inducere ad *mutuum*, etſi ſciat non daturum niſi ſub *uſura*, adeoque & de uſura *paciſci*. Ad juſtam autem cauſſam ex mente *S. Thomæ* ſufficere videtur *communis aliquâ indigentia*, non item *ſola utilitas*, aut lucrum.

Ob *juſtos* quoque *fines* recte tolerantur & *permittuntur* uſurarii ab ipſa Republica; quamquam autem *per ſe* illicitum eſſe non videatur, ut, ubi Reſp. uſurarios *permittit*, cogat etiam mutuatarios ad ſolutionem uſurarum, eoſque *impediat*, ne quod ſupra ſortem ſolverint, repetant: (*a*) canonibus tamen recte interdictum eſt, ne ſtatuto, vel ſententia uſuras ſolvere *compellat*.

(*a*) *Vide Clement. unic.* de uſuris.

Q. 15. *Quænam in uſurarios conſtitutæ ſunt* PŒNÆ?

℞. (*b*) Si *facto*, vel *jure*, notorii ſint ac *manifeſti*, (1) notantur *infamia* juris; (2) non admittuntur ad pœnitentiam, niſi ſecundum facultates ſuas *reipſa ſatisfecerint*, vel idoneam dederint *cautionem*: (3) repellendi ſunt à *communione* altaris: (4) non admittuntur ad *oblationes* faciendas: (5) privantur Eccleſiaſtica *ſepultura*: (6) *Teſtamenta* eorum irrita ſunt, niſi prius ſatisfecerint, aut legitimam dederint cautionem.

(*b*) *Vide C.* quia in omnibus, *de uſuris*, *& C.* tua, *ibid. item Cap.* quamquam, *de uſuris. in 6.*

Hæc olim omnia recte conſtituta, exiguum *hodie* ac pene nullum uſum habent.

CAPUT XXIV.

De RESTITUTIONE ob *furtum & Rapinam*.

F*Urtum*, *Rapinam*, cæteraſque hujuſmodi, quæ proximo inſeruntur, *injurias*, inſeparabili connexione conſequitur *reſtituendi* neceſſitas; quapropter hoc etiam loco de *Reſtitutione* tractandum eſt.

Q. 1. *Quid generatim eſt* RESTITUTIO?

℟. Definiri poteſt: *Actus juſtitiæ* COMMUTATIVÆ, *quo res accepta Domino ſuo redditur, vel damnum illatum reparatur*. Reſpicit reſtitutio *injuriam*, non ſemper ut *factam*, ſed ſaltem ut *faciendam*, ita ut idcirco reſtituendum ſit, vel quia injuria facta eſt, vel ne fiat. INJURIA autem eſt *alieni juris violatio*; quæ juxta commune axioma, *ſcienti & conſentienti* non infertur, modo tamen & *libere* & *valide* conſentiat, in iis nempe rebus, quæ ab ejus *pendent conſenſu*, & in quibus jus ſuum *valeat abdicare*.

Cum porro *juſtitia diſtributiva* STRICTUM jus alterius non reſpiciat, hujus *ſolius* (multoque minus cujuslibet *alterius virtutis*) violatio, reſtituendi neceſſitatem adferre non poteſt; ſi ſecus aliquando accidere videbitur, idcirco erit, quod ratione *pacti* alicujus præcedentis, aut conjuncti, ſimul & juſtitiæ *commutativæ* vinculum interveniat.

Q. 2. *Quæ & quanta eſt Reſtitutionis* OBLIGATIO?

(a) Rom. 13.7.

℟. Reſtitutio *ad ſalutem* (*a*) neceſſaria eſt, *in re*, ſi facultas ſuppetat, alioquin, *in voto*, ita ut ſi *totum* nequeat, ſaltem *partem* reſtituat: ſi ne hoc quidem poſſit, *ſeriam* ſaltem habeat reſti-

reſtituendi *voluntatem*, ſi unquam adſit opportunitas. Celebris in hanc rem eſt ſententia S. Auguſtini: (a) *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur: ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Non eſt tamen reſtitutio neceſſaria *neceſſitate medii*, ſed ſolius *præcepti*, & quidem *affirmativi*, quod tamen *negativum* includit; quapropter, etſi *dilatio reſtitutionis*, aut *voti*, animabus in purgatorio detentis aliqua ex parte forſitan *obeſſe* poſſit, non tamen eſt generaliter admittendum, eas ibi *tam diu* detentum iri, donec oneri reſtitutionis, quod viventes contraxerant, ab *hæredibus* fuerit ſatisfactum.

(a) Epiſt. 54. nunc 153. ad Macedon. Vide Exod. 21. & 22. paſſim. Levit. 5. 16 Deuter. 14. 15. Tob. 2. 21. & 4. 15. Ezech. 18. 7. & 33. 15.

Præceptum reſtituendi *ſtatim* moraliter obligat, etſi etiam is, cui reſtitutio facienda eſt, nullum ex mora patiatur damnum *novum*: unde quamdiu ſine juſta ratione omittitur, peccatum non *multiplicatur* quidem, ſed voluntaria detentione protrahitur & *continuatur*, ita ut ex diuturna dilationis mora non parvum ſæpe ſumat incrementum.

Ceterum reſtitutionis obligatio facile incurritur, ſed *ægre* & *raro* admodum, ſicut oportet, impletur; quippe non minor eſſe ſolet *retinendi* cupiditas, quam *acquirendi*: ut vel ex hoc capite omnis injuſtitia vehementer *fugienda* ſit.

Q. 3. Ex quotuplici CAPITE *oritur reſtitutionis obligatio?*

℞. Duo paſſim ſtatuuntur *Tituli* ad reſtitutionem obligantes. *Rei acceptæ* ſcilicet, & *injuſtæ acceptionis*, aut detentionis. Tertium, quem ex *contractu* oriri aliqui ſtatuunt, plerique fruſtra admiſſum iri exiſtimant, quod quæ hoc titulo facienda erit, deprehendatur non

eſſe proprie *reſtitutio*, ſed vel *ſolutio*, vel *ſatisfactio*.

Prior ille *rei acceptæ* titulus oritur, uti nomen indicat, ex ipſamet *re*, quæ ubicumque exiſtat, dominum ſuum *inclamare* dicitur, eoque proinde titulo ad reſtitutionem obligatur, quiſquis *rem alienam quocumque modo* poſſidet. Poſteriori tenetur, quiſquis rem alienam *per injuriam* abſtulit, ſive interim eam auferendo perdiderit, ſive ſervaverit, ſive penes ſe adhuc habeat, ſive non habeat; unde titulus hic *injuriam* præſupponit, injuſtamque *damnificationem* complectitur.

Facile ex dictis intelliges, titulos illos ſæpe quidem eſſe *conjunctos*, ſed eorum quemlibet *ſeorſim* poſſe ſubſiſtere: *prior ſolus* locum obtinet in eo, qui rem furtivam bona fide comparaverit; *poſterior ſolus* in fure, qui rem vendiderit; *uterque ſimul* in eo, qui rem mala fide comparatam ſcienter detinet.

Q. 4. *Quæ eſt inter utrumque* DIFFERENTIA?

℞. Sane multiplex. 1. Qui ſolo *rei acceptæ* titulo obligatur, id eſt, *bonæ fidei poſſeſſor*, rem quidem alienam apud ſe adhuc extantem, nec *legitime præſcriptam*, quamprimum *alienam* eſſe cognoverit, vero ejus *domino*, aut certe ei, qui illius conſervandæ, vel adminiſtrandæ jus habet, reddere tenetur, una cum *fructibus*, qui adhuc ſuperſunt, ſive (*a*) *civilibus*, ſive (*b*) *naturalibus*, aut (*c*) *mixtis*, (non tamen ſolius *induſtriæ*) deductis, quas fieri oportuit, *expenſis*: At ſi res *perierit*, vel *bona fide* ipſa fructuſve ejus *conſumpti* ſint, non ultra reſtituere tenebitur, niſi quantum inde factus fuerit *ditior*.

(*a*) Cujuſmodi *ſunt* cenſus, *ſive* reditus.
(*b*) *Quales ſunt* fœtus animalium.
(*c*) *Ut* ſegetes,

Deterior longe conditio eſt ejus, qui per *injuriam* abſtulit, vel *mala fide* rem poſſidet alie-

nam;

nam; hic utique non modò rem ipſam, reive valorem, reddere debet, ſed & *omne damnum* reparare, quod ea occaſione dominus rei paſſus eſt, adeoque reſtituendi ſunt fructus quantavis induſtria ex re percepti, ſive *extent*, ſive *conſumpti* ſint; quin & ii quoque, quos, etſi malæ fidei poſſeſſor non percepit, dominus tamen ſingulari diligentia *percepturus* erat. Et quamquam fructus *meræ induſtriæ* à reſtitutione immunes ſint, compenſandum tamen eſt *damnum emergens*, aut *lucrum ceſſans*, ſi quod ea occaſione dominum rei incurriſſe contigerit. Verbo, *menſura reſtitutionis* ex priori titulo, eſt quantitas *rei alienæ adhuc moraliter extantis*; ex poſteriori, quantitas *damni illati*.

2. Qui per injuriam abſtulit, aut detinet, quamdiu *moram* non purgaverit, *caſum* etiam *fortuitum* præſtare tenetur, id quod eò uſque extendendum putant, qui in fures ſeveriores ſunt, ut locum habere debeat, etiamſi res eadem eodem modo eodemque tempore apud dominum fuiſſet peritura; & ſic ſaltem in foro externo in odium criminis judicatum iri, vix eſt dubium. Addunt iidem, reſtitutionem à fure faciendam eſſe juxta *ſummam æſtimationem*, quam res habuerit toto eo tempore, quo iniquè detenta fuit. Neutrum horum locum habet in *bonæ fidei* poſſeſſore.

Q. 5. *Oriturne reſtituendi neceſſitas, quacumque demum* CULPA *damnum inferatur?*

℞. *Culpa*, quæ præter *dolum*, *lata*, *levis*, & *leviſſima* in jure diſtinguitur, quamlibet ibi *negligentiam* comprehendit, etiam à peccato Theologico prorſus immunem. Lege damni farciendi (ſecluſis *contractu* & *legis* diſpoſitione) neminem in conſcientia obligari, Theologi paſſim exiſtimant, niſi cum *culpa* verè *Theologi-*

logica fuerit illatum; & quidem ſi ob *materiæ lævitatem*, culpa dumtaxat fuerit *venialis*, ſatis conſtat reſtitutionis obligationem non fore etiam, niſi *ſub veniali*: ſi autem ob *indeliberationem actus*; qualis, quantaque reſtitutio facienda ſit, non exigua controverſia eſt. Multis videtur veroſimilius, obligationem tunc vel *nullam* oriri, jacturamque cenſendam eſſe *fortuitam*; vel (ſi juſto durius id videatur, ut *innocens* totum damnum ſubire cogatur) oriri quidem aliquam, ſed quæ culpæ & voluntati ex qua profluxit, *proportionata* ſit. Ceterùm tenendum eſt, *leges civiles* pro hac materia *in conſcientia* obligare, etiam *ante ſententiam* judicis.

Q. 6. *Quid ſi quis per plura furta, quorum ſingula fuerint* modica, *notabilem aliquam ſummam ſurripuerit, quam incurret reſtitutionis obligationem?*

℞. Hunc ad reſtitutionem ſub *pœna peccati mortalis* certum eſt obligari, ex quo præſertim hæc ab *Innoc. XI.* propoſitio (*a*) reprobata eſt: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per parva furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*. Perſpectu ſanè facile eſt, *gravitati rei alienæ*, quæ furto ablata ſit, reſtituendi obligationem reſpondere.

(*a*) *Eſt* 38. *inter* 65.

Q. 7. *Quid agendum incumbit circa* RES INVENTAS?

℞. Si res inventa dominum (*b*) numquam habuerit, naturale eſt ut fiat *inventoris*: ſi aliquando habuit; (*c*) ſed habere deſiit, ſervandum, quod in jure decernitur, æquumque eſt, ut partim *Domino fundi*, partim cedat *inventori*: ſi nuper tantùm perdita eſt, ac proinde dominum adhuc habet, non fit continuò inventoris, ſed hic ſedulam diligentiam adhibere

(*b*) *Uti* gemmæ *in littore maris*.

(*c*) *Uti* Theſaurus *pridem defoſſus, cujus non extat memoria*.

bere debet, ut illius verum dominum deprehendat, remque illi integram reſtituat: alioquin nota eſt S. Auguſtini ſententia (*a*) *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.*

(*a*) *Serm.* 178. *vel* 19. *de verbis Apoſtoli c.* 6. *Deut.* 22. 3

Quòd ſi poſt debitam *inquiſitionem*, juſtamque temporis *moram*, dominus rei nullo modo innoteſcat, vel ſi *ſumptus*, qui pro inquiſitione & redditione faciendus foret, pretium rei *excederet*, cùm & tunc moraliter idem ſit, ac ſi dominus *reperiri* non poſſet, id quiſque *velle cenſendus* eſt, ut res amiſſa cedat in *pauperum*, alioſve pios uſus, in quos proinde *juſta cum cautela* expendenda erit. Atque idem ſervandum erit, quoties aliquis ſibi conſcius *rem alienam* à ſe poſſideri, neſcit interim, *cui* reſtituenda ſit.

Si tamen is, qui invenerat, vera ipſe egeſtate prematur, quod domino reddi non poterit, ſibi ipſi ut *pauperi*, interveniente ſaltem Epiſcopi, aut parochi facultate, poterit applicare. Sed valdè cavendum eſt, ne paupertas *aliàs* non facilè agnoſcenda, tunc ſola lucri cupiditate fingatur.

Q. 8. *Extra hunc caſum* incertitudinis CUI *facienda eſt reſtitutio?*

℟. *Illi ipſi*, ad quem *res*, aut rei *adminiſtratio* noſcitur pertinere, vel ſi vita functus ſit, legitimo *hæredi* ejus. Nemo ergo exiſtimet, à reſtitutionis onere ſeſe liberum fore, ſi quod novit hujus, aut illius eſſe, in *eleemoſynas* diſtribuerit. Non enim de *alieno*, ſed de *proprio*, liberalitas exercenda eſt.

Suum igitur cuique *regulariter* reſtituendum eſt, nulla etiam habita *uſus*, *vel abuſus* ratione: fieri tamen poteſt, ut petenti reſtitui id quod petit, *eo tempore* nec debeat, nec poſſit; quin etiam, ut contra *juſtitiam* reſtituendo peccetur; ut ſi *gladius* furioſo, vel alteri red-

datur

datur repetenti ad necem cuipiam inferendam. Simile quiddam eſt in *libris* noxiis, *picturiſque* obſcænis, quæ licèt aliquando reddi debeant, aliquando etiam ne quidem poſſunt.

An porrò *emptor bonæ-fidei*, ad récuperandum pretium quod perſolverat, rem *furi reddere* poſſit, diſputatur, propterea maximè quòd ita reddendo in *pejorem* eam ſtatum ipſe adducere videatur: quod tamen alii negant, dicentes eum *deſinere* dumtaxat rem, ſibi jam *noxiam*, in *meliori*, ad quem devenerat, ſtatu conſervare. Quidquid id eſt, ſi rem porrò ipſe vendiderit, ſecundo emptori de rei *evictione* tenebitur.

Q. 9. *Quo* LOCO *reſtitutio facienda eſt?*

℞. *Si bona fide* res accepta eſt, ſufficiet eo loco reſtitui, ubi exiſtit, aut ubi conventum eſt: ſi *iniquè ablata*, ad manus domini reponenda eſt, locuſque reſtitutionis is plerumque erit, ubi eam ille erat *habiturus*, ſi non fuiſſet ablata, quantoſcumque ſumptus facere oporteat, ut eò deferatur; niſi ipſe rei dominus, ut alibi reddi poſſit, indulgeat.

Q. 10. *Quo* TEMPORE Reſtitutio *facienda eſt?*

℞. *Quamprimùm* fieri poteſt, ne alioquin voluntariè, in iniqua rei alienæ detentione, animus perſeverans, majoris in dies in proximum injuriæ reus fiat. Quare non leviter peccant, qui reſtitutionem uſque ad *morbum* reſervare conſtituunt, graviùs, qui eam demum *executoribus* perficiendam committunt, illi quoque qui bona *dubia* retinent, de quibus non niſi ferè *morituri* difficultatem movent, aut inquirendum curant juſtè ne poſſideantur, an ſecus.

Non idem omnino eſt in debitis *juſta ratione* contractis: nam, præter neceſſitatem, ſtatuſque

tuſque decentiam, notabile etiam propriæ rei detrimentum (niſi tamen ſimile quoque impenderet *creditori*) juſtam præbere poteſt cauſſam differendæ tantiſper ſolutionis.

Q. 11. QUID, QUANTUM, & QUOMODO *reſtituendum eſt?*

℞. 1. Res ipſa, aut rei valor *reddendus* eſt, aut ſupplendus. *Supplendus*, ſi res culpa detinentis *deterior* facta eſt: *reddendus*, ſi mala fide accepta *quovis modo* periit, aut benè accepta *culpabiliter* periit; item, ſi *res ipſa* ſine *manifeſtatione* criminis, aut alio grandi *incommodo* reddi non poſſit. *Fructus* quoque rei eo modo reſtituendi ſunt, quo ſuprà (*a*) dictum eſt. (*a*) Q. 4.

2. In re *certa*, tantumdem reſtitui debet ac debetur: in re *incerta*, ex arbitrio boni viri.

3. Si *totum ſimul* reddi poteſt, *per partes* reſtitutio fieri non debet. *Per alium* fieri fas eſt, dummodò ille talis ſit, qui *tutò* adhiberi poſſit.

Q. 12. *Soline illi, qui* PER SE *damnum atque injuriam intulerunt, ad reſtitutionem obligantur?*

℞. Præter illos obligantur etiam quicumque ad inferendum proximo nocumentum *operam contulerunt* (*b*) illiuſve quovis modo *cauſſa* extiterunt. Hi verò memoriæ cauſſa, vulgaribus iſtis verſibus exprimi ſolent: (*b*) *Vide Prop.* 39. Innoc. XI.

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Mutus, non Obſtans, non Manifeſtans:

id eſt: qui jubendo, conſulendo, conſentiendo, adulando, receptando, participando, vel negligendo ſive *verbo*, ſive *opere impedire*, aut *revelare*, cùm ad id *ex officio*, aut *ex contractu* teneretur, in alienum damnum *influit*, is deficiente *principali*, ſuo *ordine* ad damni reparationem

tionem obſtrictus eſt; immò JUBENS, utpote *principalis*, * poſt eum, penes quem *res* exiſtit, ante cæteros obligatur, etiam ante eum, qui *flagitium* deſignavit.

Qui flagitio jam *perpetrato*, *adulando*, vel approbando *conſentit*, peccat procul dubio; ſed quia injuriæ, quæ præceſſit, *cauſſam* nequaquam dedit, reſtitutionis onere non gravatur, id quippe ſolis iis incumbit, qui aliqua ratione in damnum *influunt*, vel certè in ejuſdem *continuationem*. At cavendum eſt, ne pro *Regula* ſtatuatur, neminem in hoc cenſendum eſſe influere, *ſine quo* illud etiam accidiſſet.

Mandans, ſi tempeſtivè mandatum *revocaverit*, idque ſignificandum curaverit *mandatario*, à reſtitutione communiter ſe liberaſſe cenſendus eſt, quidquid poſteà eveniat: & quamquam fieri poſſit, ut & *conſilium efficaciter* retractetur, rarò tamen id plenè, ac quantùm oportebat, deletur, dum qui accepit, etiam exequitur; unde ſi revocato conſilio facinus nihilominùs perpetretur, manet plerumque qui conſuluit, debito reſtitutionis obſtrictus.

Aliter etiam tenetur, qui in *crimine* latrocinii *participat*, aliter, qui dumtaxat in *præda*: hic ad *partem* tantùm, ille *in ſolidum*, cæteris nempe deficientibus.

De-

* *Inter* cooperantes, *hic ad reſtituendum obligationis* ordo *ſtatui poteſt*. 1. *Rem habens*. 2. *Mandans*. 3. *Executor*. 4. *Conſulens*. 5. *Adulator: Conſentiens: Receptator*. *Denique*, *Non impediens*.

Inter hos, *ſi qui* præcedit *reſtituerit*, ſubſequentes *eo onere liberantur*: *ſi plures* æquè *obligantur*, *uno eorum reſtituente*, huic *manent alii obligati*, *non* domino rei. *Si qui damnum paſſus eſt*, *uni cooperantium remiſerit debitum*, *non videtur ab aliis exigere poſſe* integrum.

Digitized by Google

Denique *Receptantis* nomine intelligitur non ſolùm is qui *hoſpitium* furibus præbet, ſed vel imprimis qui res furto ablatas recondit, emit, aut diſtrahit.

Q. 13. *Quo* ORDINE *facienda eſt reſtitutio, cùm omnibus, quibus debetur, tota fieri non poteſt?*

℞. Debita *certa* reddenda ſunt ante *incerta*. Inter *certa*, priùs reddenda ſunt, quæ in jure *privilegiata* ſunt, & generatim quæ *eadem numero* extant, ut commodatum, depoſitum, & pignus; res item (a) *empta* nec adhuc ſoluta. Priùs etiam ſolvenda videntur debita *legitimè* contracta, quàm quæ ex *uſuris* malè perceptis reſtitui debent, etſi non deſint, quibus aliter videatur. An alia *ex delicto* præcedere debeant, id non omnino liquet. Inter debita legitima, vel nullus, vel is ſervandus eſt *ordo*, quem *jus civile*, aut *municipale* præſcribit. (b)

(a) De hac aliqui diſſentiunt.

(b) Vide totam hāc controverſiam latè deductam apud Vvigers *Tract. 3. c. 5. dub. 4.*

Q. 14. *Quænam cauſſæ à reſtitutione* EXCUSANT?

℞. 1. *Inopia*, ſive *impotentia* cum phyſica, tum moralis; puta, quòd quis non habeat unde reſtituat; vel *extrema* ipſe neceſſitate laboret, vel ſaltem ſine graviſſimo incommodo, aut diſpendio reſtituere *jam* non poſſit.

2. Spontanea & libera *condonatio*, ſive remiſſio creditoris, niſi tamen huic ipſi *jura* reſiſtant.

3. Nonnumquam etiam *compenſatio*, cùm creditor viciſſim debet debitori: ſed & hìc vitanda erunt *compenſationum occultarum* (c) incommoda, nec *tuta* erit compenſatio, quæcumque *legibus* prohibetur.

(c) Vide ſuprà, Cap. XXI. q. 6.

4. *Ceſſio bonorum*, ſine *fraude* ac dolo, ſolaque *neceſſitate* ſuſcepta. Hac tamen, etiamſi juſta ac licita fuerit, non *extinguuntur* debita, ſed

Digitized by Google

ſed ſolummodò *ſopiuntur* : unde perſeverat obligatio, cui ſatisfacere oportebit debitorem, ſi fortè ad meliorem poſteà fortunam emerſerit.

5. *Uſucapio* rei mobilis, & *præſcriptio* immobilis, quæ (*a*) utique bono publico introductæ ſunt, ne quarumdam rerum diu & ferè ſemper incerta eſſent dominia, & litibus omnia replerentur; ita ut ex ſuprema Reip. poteſtate, *altoque* ejus in ſubjectorum bona *dominio*, utraque etiam in conſcientia *dominium transferre* cenſenda ſit; dummodò cum *titulo*, ſaltem apparenti, *poſſeſſio* inchoata, *totoque* quod per leges (*b*) præſcribitur *tempore*, *bona fide* fuerit continuata. Oportet enim juxta ſtatuta (*c*) canonum, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ.

(*a*) *Leg.* 1. *ff. de uſurp. & uſuc.*

(*c*) *Vide Cap. ult.* ✠ de præſcript.

Q. 15. *Ex qua* RADICE *prodire ſolet furtum, rapina, & reliqua in rebus alienis injuſtitia?*

℞. Interdum quidem ex *maligna* in proximum voluntate, quæ in ejus malis exultat: ſed plerumque procedit ex AVARITIA, perverſa illa atque immoderata divitiarum cupiditate, quam (*d*) *radicem omnium malorum* vocat Apoſtolus. Morbus eſt admodum *frequens*, ſed à paucis *agnitus*, eoque periculoſior, quo *latentiùs* irrepit ſub prætextu *neceſſitatis*, ſive præſentis, ſive futuræ, magnam interim animo perniciem adferens, dum eum terræ affigit, (*e*) ſementemque verbi Dei ſuffocat. Quæ cauſ-

(*d*) 1. *Tim.* 6. 10.

(*e*) *Matth.* 13. 3.

(*b*) *Pro re mobili* triennium, *pro immobili* decennium *inter præſentes*, viceunium, *aut* tricennium *&c. inter abſentes ; anni* 40. *in præſcriptione contra* Eccleſiam : centum *autem*, *contra* Romanam. *Notandum etiam quòd præſcriptionem elidat* interruptio. *Vide cap.* de quarta ✠ *de præſcriptionibus*,

cauſſa eſt, cur tam ſollicitè Dominus moneat: (a) *Videte & cavete ab omni* AVARITIA. (b) *Nam qui volunt divites fieri* (id eſt, quibus ſemel animo deſtinatum eſt, quovis modo diteſcere) *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

(a) *Luc.* 12. 15.
(b) 1. *Tim.* 6. 10.

Q. 16. *Quid facto opus, ut hæc funeſta radix tempeſtivè reſecetur?*

℞. Conſiderandum ſeriò id quod ait Apoſtolus: (c) *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Memores nempè nos eſſe oportet, vitæ huic, quæ veluti quidam *tranſitus* eſt *ad æternitatem*, pauca iſta neceſſaria eſſe ac ſufficere, eaque ſine tanta animi anxietate, contentione & moleſtia, quibus ultrò ſe divites onerant, acquiri poſſe, cùm Incarnata Veritas (d) hæc ſe adjecturam promiſerit illis, qui ante omnia quæſierint Regnum Dei & juſtitiam ejus.

(c) 1. *Tim.* 6. 7.
(d) *Matth.* 6. 33.

Alterum quoque adjungi debet, ut ſæpè ac libenter *eleemoſynas* quiſque pro facultatum viribus, indigentibus largiatur, Deum orans, ut quidquid *avaritiæ* ſupereſt, è corde extirpetur. Et certè non facilè *aliena* appetet, quiſquis *ſua* lubenti animo pauperibus impertitur.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Vide S. Th. 2.2.q.111. & 112. item q. 60. art. 3. & 4.

De Octavo Præcepto: NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM: *ac præſertim de* MENDACIO & JUDICIO TEMERARIO.

QUæſtio 1. *Quid octavo præcepto prohibetur*, quid *injungitur*?

℞. Præter *falſum teſtimonium*, quod contra proximum in *judicio* profertur, omne inſuper *mendacium*, omniſque contra proximum *linguæ* abuſus hìc interdicitur.

Injungitur vero, ut de proximo, ad ejus *defenſionem* & *utilitatem* ſine fuco, ſimulatione, atque inſidiis, benè ac commodè loquamur.

Q. 2. *Dic paulo explicatiùs, quinam ſint ii* linguæ *abuſus præter mendacium, qui hoc loco prohibentur?*

℞. Præcipui ſunt, ſuſurratio, detractio, contumelia, maledictio, irriſio, & adulatio.

Q. 3. *Nonne hoc etiam præcepto prohibita cenſetur* ſuſpicionum, judiciorumque temeritas?

℞. Planè iniquæ *ſuſpiciones*, & *temeraria* de alienis factis dictiſque judicia, ad hujus præcepti prohibitionem reducuntur, proptereà quòd ab his *interiùs* peractis pullulare ſoleant pleraque *linguæ* vitia, quibus fraterna *charitas*, & humana *ſocietas* violantur.

Q. 4. *Quid generatim eſt* MENDACIUM?

℞. Nihil aliud quàm *ſermo à loquentis animo diſcrepans*. Mentitur igitur, quiſquis aliud animo tectum gerens, aliud verbis proloquitur.

Q. 5.

Digitized by Google

Q. 5. *Quid ſi quis, dum falſa ſciens loquitur, aliquid ſola mente ſubaudiat, quo locutio ad veritatem* reſtringatur?

℞. Hoc artificio ſibi ipſi imponere poterit, ſed *mendacii* labem nunquam abſterget. (*a*) Quidquid enim interiùs reſtringatur, id neutiquam efficiet, ut verba exterius prolata à loquentis mente non diſcrepent. Etenim in præſenti *humanæ ſocietatis* commercio, ad declaranda invicem animi ſui ſenſa, ſola valent *ſigna ſenſibilia*.

(*a*) *Vide Prop.* 26. 27. *&* 28. Innoc. XI. *Vide etiam ſuprà,* Cap. XIII. q. 6.

Falſum ergo eſt, *prophetas*, *Angelos*, & *Chriſtum* ipſum *reſtrictionibus mentalibus* uſos fuiſſe. Quæ contrà objiciuntur, non eo *effugio* indigent, ut à falſitate & mendacio vindicentur.

Q. 6. *Quotuplex eſt* Mendacium?

℞. Diſtingui ſolet triplex: *pernicioſum*, *officioſum*, & *jocoſum*.

Pernicioſum illud dicitur, quo ſive in bonis animi, aut corporis, ſive famæ, aut fortunæ, nocumentum infertur proximo.

Officioſum vocatur iſtud, quod in proprium, aut alienum commodum, ſine ullius injuria adhibetur.

Jocoſum denique, quod joci & recreationis cauſa confingitur, ſed nulli nocumentum, aut commodum affert.

Q. 7. *Eſtne omne mendacium ſemper & ubique illicitum?*

℞. Eſt prorsùs ex ipſa *naturæ* lege. Quod quidem omninò perſpicuum eſt de *mendacio pernicioſo*, quatenùs alienum damnum ſecum trahit, ita ut hoc (*b*) *ex ſuo genere* ſit peccatum

(*b*) *Meminiſſe oportet, dici aliquid* ex genere ſuo, *vel* ex objecto *eſſe peccatum mortale, quando per ſe gravem malitiam involvit, niſi ob levitatem materiæ, vel animi indeliberationem excuſetur.*

Digitized by Google

catum mortale, octavo præcepto primariò interdictum; maximè ſi quando ob falſum teſtimonium proximus in *capitis* diſcrimen adducitur, aliterve in *judicio* periclitatur: quod crimen eſt longè teterrimum, & ſuprà modum Deo (a) exoſum.

(a) Vide Prov. 6. 19. & 25. 18.

Q. 8. *At quid mali habet mendacium, ſi alienum damnum ſemoveatur?*

℞. Omni mendacio *humanæ ſocietatis* jura & *fraterna dilectio* violantur. Sic enim à Deo mutua inter homines ſocietas ſtabilita eſt, ut dum alter alteri loquimur, arcana mentis noſtræ ſenſa nullis fallaciis involvamus. *Tacere* quidem licet, & ſæpè conſultum eſt; nonnumquam etiam (b) *veritatem occultare*: at numquam *fallere*, aut circumvenire. Et ſanè naturali quodam inſtinctu à nullo ferè hominum genere magis *abhorremus*, quàm ab iis, qui mendaciis delectantur. *Ægrè* admodum ferimus, ſi fallacibus verbis ab alio quopiam *decipiamur*: quod unicuique debet ſatis eſſe, ut ſecundùm generalem dilectionis Regulam, ipſe erga alios mendaciis numquam utatur.

(b) S. Aug. L. contra mendac. c. 10. S. Greg. M. p. 3. paſtor. c. 12.

Q. 9. *Nonne & ex alio capite cujuslibet mendacii perverſitas eluceſcit?*

℞. Eluceſcit utique & ex eo capite, quòd omne mendacium *infinitæ veritati* adverſetur: infinita veritas eſt ipſe Deus; omne ergo mendacium, quocumque *modo*, aut FINE fiat, adverſatur Deo, ac proinde perverſum eſt (c) atque illicitum.

(c) Vide S. Auguſt. duobus libris de mendacio. Item l. contra mend. Item Enchirid. cap. 22.

Q. 10. *Quid facto opus, ut à mendaciis conſtanter quiſque abſtineat?*

℞. Frequenti ferventique deſiderio anniti oportet ad inviolabilem quemdam primæ ſempiternæque *veritatis amorem*, ut ille ſenſim in corde radices agat, rebuſque omnibus præferatur. Seria deinde animi attentione cogitandum

dum eſt, non alium eſſe (*a*) *mendacii Patrem* & auctorem, quàm *diabolum*, qui ſubdola fraude verbiſque doloſis, (*b*) primos olim parentes noſtros, & univerſum cum illis genus humanum, in perniciem adduxit. (*c*) *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo: quoniam ſumus invicem membra*, inquit Apoſtolus; id eſt, depoſito & abjecto mendacio, loquimini quiſque quod verum eſt, cum proximo ſuo, præſertim Chriſtiano; quia nos *Chriſtiani* ſumus invicem *membra* ſub *capite* Chriſto. Nimis autem abſurdum eſt, ſi membra ejuſdem corporis mentiendo ac fallendo ſe invicem lædant, cùm nihil tale contingat in corpore *naturali*, niſi per inſaniam.

(*a*) Joan. 8. 44.
(*b*) Gen. 3. 5.
(*c*) Epheſ. 4. 25.

Q. 11. *Cùm ſuperius dictum ſit, ſub octavi præcepti prohibitione, etiam contineri iniquas adversùs probitatem proximi* SUSPICIONES, *&* TEMERARIA JUDICIA, *quid de iis ſentiendum?*

℟. Si ex nullis, aut leviſſimis indiciis, animo plene deliberato, proximi probitas *in dubium* (*d*) revocetur, aut quod pejus eſt, *firmo animi judicio* is condemnetur ut improbus, vel gravis alicujus flagitii reus; non eſt dubium,

(*d*) *Sola* ſuſpicio, *contra proximi probitatem*, *in re gravi*, *animo* deliberato, *ex nullis* leviſſimiſve *indiciis profecta*, *juxta* communiorem *Theologorum ſententiam*, mortale *peccatum eſt*, *non tantùm* charitati, *verum etiam juſtitiæ contrarium*. Levia *dicuntur indicia, quæ non ſunt nata movere virum prudentem*. *Ad materiam* gravem, *perſona* dignitas *gravitaſque multum attenditur, adeo ut illam nec omne, nec* ſolum *peccatum mortale conſtituat*. Cajetanus, Navarrus, Dominicus Soto, Gregorius à Valentia *negant* meram ſuſpicionem *eſſe* mortalem, *quibus q.* 60. *artic.* 3. *favere videtur* S. Thomas, *ſed explicari & communiori ſententiæ conciliari ſolet*. *Vide ibi* Silvium.

Digitized by Google

(a) 1. Cor. 13. 5. quin charitas (quæ (*a*) *non cogitat malum*) enormiter violetur, *graviſque* proximo injuria inferatur, etiamſi illa exterius non prodantur.

Q. 12. *Qua in re conſiſtit iſthæc* injuria?

℞. In eo, quòd cùm unuſquiſque ex præſcripto naturalis æquitatis habendus ſit *bonus*, donec conſtet *improbum* eſſe; hoc ſuo jure per *temeraria* judicia, aut ſuſpiciones *minimè fundatas*, inique & ſine cauſſa proximus ſpolietur.

Quin & injuriam DEO inferunt temerarii illi alienæ vitæ judices, dum ejus ſibi *juriſdictionem* & judicium quodammodo arrogantes, occultam alieni cordis *intentionem*, & arcana animi conſilia, quorum diſcuſſio ſoli Divino judicio reſervata eſt, temere ſcrutari ac dijudicare præſumunt. (*b*) *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit*. (*c*) *Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe reddet rationem Deo*. (*d*) *Nolite ergo ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo*.

(b) Rom. 14. 4. (c) Ibid. ℣. 12. (d) 1. Cor. 4. 5.

Proſpicere interim ſibi ipſi & aliis licet *in caſu dubio*, tametſi judicio *interiori* dubia *in meliorem partem* interpretanda ſint.

Q. 13. *Ex quo* FONTE *manare ſolent iniquæ adverſus proximum ſuſpiciones, & temeraria judicia?*

℞. (*e*) Partim ex propriæ vitæ perverſitate ac *malitia*; nam qui ſe novit improbum, idem facile de aliis opinatur: (*f*) *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat*: partim ex *ſuperbia*: fit enim uti qui in animo ſuo ſe ſuper alios efferre geſtiunt, eos infra ſe iniquis ſuſpicionibus libenter deprimant. Partim denique ex *odio* &

(e) S.Th. 2.2. q.60. art. 3. (f) Eccleſ. 10. 3.

invi-

Digitized by Google

invidia, quibus id proprium eſt, ut ea quoque quæ ab aliis bene fiunt, vertant in mala.

Q. 14. *Quomodo iſta ſuſpicionum judiciique temeritas & injuſtitia* EVITANDA *eſt?*

℞. Ante omnia reſecari debent *radices* è quibus illa pullulare ſolet. Reſtringenda deinde *levis crudelitas*. Tum unuſquiſque aſſueſcat *propriis vitiis* conſiderandis & judicandis occupari potiùs, quam *alienis rebus* temere diſcutiendis. Diſcat aliena facta in *meliorem partem* interpretari; (*a*) ſi *factum* ipſum excuſari nequit, excuſanda ſaltem *intentio*, puta per ignorantiam, puta per ſubreptionem, puta bono fine ac ſcopo contigiſſe. (*b*) *Nolite judicare, & non judicabimini.*

(*a*) S. Bern. *Serm.* 40. *in Cant.* S. Th. *art.* 4. *ibid.*
(*b*) *Luc.* 6. 37.

CAPUT XXVI.

De DETRACTIONE *&* CONTUMELIA, *aliiſque* LINGUÆ *peccatis.*

Vide S. Thom. 2. 2. *q.* 72. 76.

QUæſtio I. *Quod diſcrimen eſt* Detractionem *inter &* Contumeliam?

℞. Idem ferè quod inter *Furtum & Rapinam*. Eſt enim *detractio* occulta & iniqua alienæ *famæ*, id eſt, bonæ apud alios exiſtimationis, denigratio: *Contumelia* vero, aperta & manifeſta alieni *honoris* violatio, per convicium cuiquam in faciem dictum.

Detractio itaque clanculo graſſatur, *contumelia* palam ingeritur; quocirca hæc ceteris paribus (c) altera *gravior* eſt: ſed propter majo-

(c) *Matth.* 5. 22.

(c) *Qui dixerit fratri ſuo, raca: reus erit* concilio. *Qui autem dixerit*, fatue: *reus erit* gehennæ ignis. *Matth.* 5. 22.

majorem *deliberationem*, animumque *gravius* lædendi *detractio* ſæpe deterior ac (*a*) pernicioſior eſt. Cæterum in unum facile coaleſcunt, cum nempe alicui in faciem *coram aliis* falſum aliquod, vel occultum crimen impingitur.

(*a*.) Eccl. 10 11. Rom. 1. 30.

Q. 2. *Quid vero eſt* SUSURRATIO?

℞. Eſt nequiſſima detractionis ſpecies, qua inter amicos diſſenſiones & jurgia ſeminantur; quod crimen quam ſit exoſum Deo ex 6. Capite libri Proverbiorum facile intelligi poteſt, ubi dicitur: (*b*) *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus:* ſeptimo autem loco ponitur: *Qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

(*b*) Prov. 6. 16. vide etiam Eccli. 28. à ℣. 15. uſq; 19.

Q. 3. *Suntne* DETRACTIO *quoque*, & CONTUMELIA *grave peccatum?*

℞. Sunt utique *ex genere ſuo* peccata mortalia, adeo ut ſi res in qua verſantur, communi hominum æſtimatione ſit *notabilis*, neque deſit ſufficiens animi *deliberatio*, charitas & juſtitia, quas debemus proximo, *graviter* violentur: & quidem *per ſe* gravius quàm furto; cum bona, in quibus proximus detractione & contumelia læditur, longe præſtantiora ſint iis quæ furto auferuntur: *melius* (*c*) ſiquidem *eſt nomen bonum quam divitiæ multæ.*

(*c*) Prov. 22. 1.

Q. 4. *Deeſtne ſufficiens animi deliberatio, quoties aliquis* EXPRESSE *non intendit alienam famam, aut honorem lædere, vel amicitiam diſſecare?*

℞. Minime vero: ſufficit enim, ut prudenti hominum judicio id *velle cenſeatur*; quod tunc contingit, quando nulla id exigente *neceſſi-*

(*a*) *Si mordeat Serpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Eccl. 10. ℣. 11.
Detractores, Deo odibiles. Rom. 1. 30.

ceſſitate, aut *utilitate*, ſciens & volens hujuſmodi verba profert, quæ *ex ſe nata* ſunt alienam famam aut honorem graviter lædere, vel amicitiam diſſecare.

Q. 5. *Eſtne tum ſolum* detractio illicita, *cum alicui falſi criminis* calumnia *impingitur?*

℞. Execranda ſane & longe deterrima eſt detractio, qua *falſum* alicui crimen ſcienter imponitur, eſtque hæc octavo præcepto directe ac *principaliter* interdicta; adeo ut nullo unquam prætextu licita eſſe, aut *noxa mortali* vacare poſſit, ne tunc quidem, cum quis alteri *falſum crimen* imponit, *ut ſuam juſtitiam & honorem defendat* (*a*) multoque minus, ut *detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, elidat*. (*b*)

(*a*) *Vide Prop.* 44. Innoc. XI.
(*b*) *Vide Prop.* 43. *ibid.*

Cæterum non ſola *falſi* criminis impoſitione, *injuſta* detractio committitur, ſed quoties etiam verum, ſed *occultum*, proximi crimen, nulla id exigente *neceſſitate*, publica, aut privata, vel *uni ſoli* viro gravi ac taciturno, revelatur. Quin & injuſta detractio eſt, ſi quis latentem alterius *defectum naturalem*, etiam ab omni flagitio ſeparatum, quem interim vulgaris opinio reputet admodum *probroſum*, temere *in lucem* proferat.

Nec porro is tantum alienæ famæ noxius eſt, qui quod narrat, *firmiter* aſſeverat, ſed is quoque, qui dumtaxat hæc atque iſta à ſe *audita* commemorat, ſi modo prævidere poſſit ac debeat, non defuturos, qui his omnibus (quemadmodum humanæ malignitati conſuetum eſt) habituri ſint fidem.

Indigna quoque eſt homine Chriſtiano, tantoque odioſior, quanto communior, jocoſa iſta *loquacitas*, qua animo, ut ajunt, jocandi, proximi fama honorve impetitur. Sane niſi *jocus* & fidem dictis auferat, & famæ de-

Digitized by Google

trimentum arceat, non deſinet illa eſſe *formalis* & *criminoſa* detractio.

Q. 6. *Quorſum id additur*: nulla id exigente neceſſitate publica, vel privata?

℞. Quia, qui hac ſola inducitur, inter *detractores* recenſeri non debet, ut ſi crimen fratris occultum coram *teſtibus*, vel coram *Eccleſia* proferat, propter ſalutem ejus, quem *fraterna correptione* præmiſſa emendare non potuit: ſi *conſilio* opus ſit, quo pacto qui deliquit, vel corrigendus ſit, vel ab ulteriori injuria coercendus: ſi aliorum *periculo* conſulendum eſt, aperiendo occultam *proditionem*, aut ſeditionem, gliſcentem *hæreſim*; pravitatem hominis, qui aliis *præficiendus* deſtinatur; *furacitatem* famulantium; *imperitiam* medici &c. Denique ſi *juſta ſententia*, tametſi infamia adferens, proferenda eſt.

Cæterum, quamvis ſine *detractionis* crimine revelari poſſit crimen alterius, quod alioquin tibi, vel alteri graviter *nociturum* eſt, eaque ratione juxta *Aug.* dictum, *publice redarguendum ſit, quod in occulto nocet*, male tamen inde concludes, quod generaliter publicare liceat omne illud, *ſine cujus publicatione* tibi, vel alteri grave timueris nocumentum; fallit hoc ſane, ſi quod revelaturus es crimen, nec tibi, nec alteri *per ſe noxium* ſit.

Q. 7. *Quid ſtatuendum de divulgatione criminis, quod aliunde* PUBLICUM eſt?

℞. Si *per injuriam* crimen, quod *occulte* patratum fuerat, publicatum eſt, nefas erit ulterius divulgari: ſi per *juſtam judicis ſententiam*: ab omnibus paſſim admittitur, id intra eumdem locum ſine *juſtitia*, aut *charitatis* læſione evulgari poſſe; admittitur quoque, regulariter non peccari contra *juſtitiam*, ſi ad alium etiam locum infamia proferatur. Si *notorio*

torio crimine, *confeſſione* propria, vel depoſitione *teſtium*, infamia inducta fuerit, tenendum eſt, hanc ſine peccato ad ea loca propagari non poſſe, ad quæ alioquin notitia criminis veroſimiliter non eſt perventura. Quin etiam diffamare eum, qui per diuturnitatem temporis, aut morum emendationem, famam recuperare jam cœperit, ex genere ſuo tam *juſtitiæ* quam *charitati* repugnare cenſendum eſt.

Q. 8. *Quid de* SUI IPSIUS INFAMATIONE *ſentiendum eſt?*

℞. Tametſi in delictis, quæ vere à nobis admiſſa ſunt, plus aliquid circa *nos ipſos* poſſimus, quam circa *alios* non conſentientes: cum tamen fama noſtra non *ex integro* arbitrio noſtro relicta ſit, utpote nobis aliiſque ad bona etiam *ſpiritualia* ſæpe non parum *neceſſaria*; non eſt dubium, quin graviter peccare quis poſſit, ſemetipſum *infamando*, etiam per veri criminis evulgationem; quin & famam ſuam *prodigendo*, eamve, ſi læſa ſit, congruis remediis *reparare* non ſatagendo, præcipue ſi hæc ipſi neceſſaria ſit ad aliorum utilitatem.

Quod ſi de *falſo crimine* agatur, quo quis reipſa *infamis* fiat, id ſibi ſine novo crimine *mortali* imponere nemo unquam poteſt, cum id plane ſit mendacium *perniciosum*, in *materia gravi*, cum ſufficienti *deliberatione* prolatum; & quidem ſi in hoc caſu *infamiæ*, ipſa quoque *mors* accedat, non tantum infamiæ, ſed & necis ſuæ cauſſa, adeoque ſui ipſius *interemptor* eſſe cenſebitur, qui hujuſmodi ſibi crimen, etiam ad graviora morte *tormenta* evadenda, falſo impoſuerit.

Q. 9. *Quot quibuſque* MODIS *detractio committi ſolet?*

Digitized by Google

℞. His potiſſimum octo, qui duobus vulgatis verſibus exprimuntur:

Imponens, Augens, Manifeſtans, In mala vertens;

Qui negat, aut Minuit, Reticet, Laudatve remiſſe. Priores quatuor *falſum* crimen imponendo, *verum* augendo, *occultum* revelando, bonum in *malum* vertendo, aut pravam *intentionem* affingendo, alienæ famæ *directe* officiunt, ideoque per ſe deteriores & maligniores ſunt aliis quatuor, qui id tantum faciunt *indirecte*: nempe id quod vere *bonum* eſt, vel *negando*; vel *extenuando* per frigidum illud *ſed*, vel *niſi*; vel *tacendo* cùm ſilentium pro negatione habendum eſt; vel denique tam *ſegniter* laudando, ut laus ipſa vituperium potius ſonare videatur.

Q. 10. *Unde potiſſimum augetur detractionis, item contumeliæ atrocitas?*

℞. Partim ex *dignitate perſonæ*, cui ſimile injuriæ genus infertur; ut ſi parenti fiat, aut Principi, Epiſcopo, aut alteri ſuperiori, ſive Eccleſiaſtico, ſive ſæculari; partim ex *numero* ac *præcellentia* perſonarum, coram quibus, aut convicium ingeritur, aut virulenta lingua aliena fama arroditur. Quo ex capite atrociſſimum detractionis genus eſt, quod *libellis famoſis*, undique in vulgus ſparſis, admittitur.

Q. 11. *Unde ex adverſo* materiæ parvitas *in detractione petenda eſt?*

℞. Ex eo præcipue quod ea, quæ proferuntur, *ex communi hominum* æſtimatione *levem* tantùm famæ jacturam adferre *nata* ſint; quapropter & conditio *perſonæ*, & *locorum* ac *temporum* mores conſiderandi ſunt: ſunt enim nonnulla delicta hujuſmodi, ut reſpectu certorum locorum, certique generis hominum, qui talibus paſſim addicti ſunt, non cenſeantur relatu *valde probroſa*, maxime ſi illi adeò

non

non ſint *inviti* talia de ſe ſpargi, ut ultro etiam de iis ſoleant *gloriari*. Contra verò tales nonnumquam eſſe poſſunt circumſtantiæ, ut viro cuipiam *inſigniter probo*, peccatum dumtaxat *veniale*, citra mortalem noxam, imponi non poſſit, aut gravis committi poſſit detractio, aſſerendo aliquem *ſpurium* eſſe, aut *Eunuchum* &c. tametſi hi defectus ſint mere naturales, & à flagitio prorſus immunes.

Nomina vitiorum *generalia*, ut fornicarius, avarus, tenax, prodigus, mendax, ebrioſus, bibax, &c. materiam *gravem* præbent, aut *levem*, prout actus ipſos multum, aut parum probroſos, una cum eorumdem *aſſiduitate*, connotant, reſpectu habito ad *perſonas*, de quibus talia proferuntur.

Q. 12. *Soline detractionis rei ſunt, qui aliena vitia manifeſtant?*

℞. Non illi ſoli, ſed quiſquis *jubendo*, *hortando*, *interrogando*, aut *aliter* quempiam *excitat* ad *obtrectandum*, majoris delicti reus eſt, quam is qui pravæ illius voluntati obſequitur, parque *onus* incurrit atque ipſe *obtrectator*.

Quin & illi, qui *obtrectantes* patienter ac libenter audiunt, alienæ iniquitati *conſentiendo* participant. Tolle *audientes*, non erunt *obtrectantes*. Quare *S. Bernardi* vox eſt: (*a*) „ Detrahere, an detrahentem audire, utrum „ horum damnabilius ſit, non facile dixero. “ Si igitur authoritate vales, *compeſce* (*b*) linguas virulentas: ſin minus, obtrectationes ſevero (*c*) *triſtique vultu diſſipa*, & quoad fieri poterit, ſermonem alio *diverte*.

(*a*) *Lib.* 2. *de conſid. c.* 13. *poſt* Hieron. *Ep. ad Nepot.*
(*b*) *Pſal.* 100. 5.
(*c*) *Prov.* 25. 23.

(*b*) *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Pſal. 100. 5.

(*c*) *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*, Proverb. 25. 23.

Q. 13. *Quodnam* ONUS *conſequitur detractionem, item contumeliam?*

℞. Conſequitur indiſpenſabilis neceſſitas *reparandi damnum*, quod alienæ famæ, aut honori injuſte illatum eſt, ceteraque *incommoda* reſtaurandi, quæ porro ſecuta ſunt; & quidem, ſi aliter fieri nequit, cum jactura famæ & honoris *majoris*, ſaltem *ordinarie*: imo nonnumquam etiam cum *vitæ periculo*, uſque adeo, ut ſi quis *falſi* criminis *calumniam*, ſeu clam, ſeu palam, alteri impegerit, id coram omnibus, qui adfuerunt, tenetur *agnoſcere*, &, ſi ad faciendam fidem opus ſit, vel *teſtibus* adhibitis, vel *jurejurando* confirmare.

Quod ſi *verum*, ſed *occultum* crimen alterius, iniqua obtrectatione propalarit, ea obligatione conſtrictus eſt, ut, quantum ſine *mendacio* fieri poteſt, malam, quam audientium animis ingeneravit, exiſtimationem, tum *per ſe*, tum *per alios*, modis omnibus *auferre* ſatagat; & ſi aliter proficere nihil poteſt, ſupplicitcr ſaltem ab eo qui læſus eſt, *veniam* deprecetur.

Quæ res cum *ſuperbis animis* ardua ſit, atque aliunde inextricabilibus ſæpe difficultatibus implexa, per ſe ſolam juſtum terrorem incutere deberet malignis omnibus obtrectatoribus, contumelioſiſque conviciatoribus, qui alienam famam & honorem, indignis modis, tam facile lacerant ac proſcindunt.

Cæterum, ſi poſt iniquam veri criminis revelationem, illi ipſi à quo commiſſum eſt, aliunde *infamia* ſuperveniat, ſi quidem *via juſta* id fiat, ceſſabit reſtitutionis obligatio: ſecus, ſi per *injuriam*.

Ceſſat quoque, ſi nemo *credidit*, vel alia via fama jam inde *reparata*, vel infamia ita *obli-*

obliterata eſt, ut ſine periculo rememorari non poſſit; denique ſi læſus injuriam legitimè *condonaverit*: quam tamen, ſi ſit enormis exceſſus injuriæ, puta quòd *hæreticus* fuerit compellatus, vel ſi perſona *publica*, aut talis ſit, ut ejus infamia *in alios* quoque redundet, ordinarie condonare non poterit.

Defuncto etiam reſtituenda eſt fama perinde ut *vivo*; nec *hæres* condonationem facere valet, etſi id *læſus* potuiſſet, cum viveret. Hæres autem detractoris, etſi ad ipſam famæ reparationem non obligetur, cum id *perſonale* ſit, tenetur tamen reparare damna *realia*, ſi qua ex detractione ſecuta ſint.

Q. 14. *Cum inter peccata linguæ octavo præcepto prohibita*, Irriſio, Maledictio & Adulatio *ſuperius recenſitæ ſint, velim paucis dici, quid de iis ſtatuendum?*

℞. *Irriſio*, qua quis alium ludibrio habet, ut & ruborem incutiat, & animi pacem ac tranquillitatem conturbet, ſæpe ob gravem proximi contemptum, interioriſque tranquillitatis ejus detrimentum, grave eſt peccatum. Enimvero, teſte Scriptura, (*a*) *Parata ſunt deriſoribus judicia.* (*a*) *Prov.* 19.29.

Maledictio, quæ hoc loco denotat *imprecationem mali*, *quatenus alicui malum eſt*, puta, ut ſibi cervicem frangat, ut eum diabolus auferat, ut peſte pereat, &c. ſi vere adſit deſiderium ac voluntas, ut malum grande hujuſmodi alteri eveniat, procul dubio peccatum eſt mortale.

Adulatio denique, qua quis indignum laudibus onerat; tunc præcipue deteſtanda eſt, cum aliena crimina ceu laude digna prædicantur, vel ex perverſa placendi voluntate, flagitia, quæ arguendo emendari forſitan poterant, in ejus qui patravit, aliorumque perni-

(a) Ezech. 13.18. niciem, excuſantur; (a) *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* (b) *Dicentes: pax & non eſt pax.*

(b) Ibid. ℣. 10.

Q. 15. *Quo tandem pacto hæc omnia linguæ peccata tam longe lateque graſſantia, devitari poterunt?*

(c) Jacob. 3.5. (d) Ibid. ℣. 6. ℞. Si ſerio quiſque ſatagat, ut (c) *lingua modicum quidem membrum*, ſed volubile & *inquietum*, quod (d) *nullus hominum domare poteſt*, divini timoris cuſtodia refrænetur. Quem in finem crebro ardenterque iſta Davidis oratione utendum eſt: (e) *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*, nempe (f) *ut non delinquam in lingua mea*. Qui ad contumelioſa convicia proni ſunt, expendant illa Veritatis Incarnatæ verba in Euangelio: (g) *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Expendant detractores, illa Spiritus Sancti verba: (h) *Abominatio hominum detractor*. Item, (i) *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit*. Caveantque etiam ii, qui ab aliis vitiis procul receſſere, ne in iſtud velut extremum diaboli laqueum incidant. Nam, teſte *S. Paulino* Nolano Epiſcopo, (k) tanta hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut pauci ſint, qui illi toto corde renuntient, raroque invenias, qui ſic vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam. Stat interim inconcuſſa illa Jacobi Apoſtoli Sententia: (l) *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam .... hujus vana eſt Religio*, quantumvis aliunde pietatis ſpeciem præ ſe ferat.

(e) Pſal. 140.3.
(f) Pſal. 38.2.
(g) Matth. 5.22.
(h) Prov. 24.9.
(i) Eccl. 10.11.
(k) Vide S. Paulin. Epiſt. 14.
(l) Jac. 1.26.

CA-

CAPUT XXVII.

De JUDICIIS PUBLICIS, *ubi de officio Judicis, Accuſatoris, Teſtis, Rei, Advocati, &c.*

Vide S. Th. 2. 2. q. 60. 63. 67. 68. 69. 70. & 71.

CUm omnia, quæ in ſubvertendis, aut perversè adminiſtrandis *judiciis Publicis* occurrere poſſunt flagitia, octavo Decalogi præcepto interdicta cenſeantur, de iis etiam breviter hoc loco tractandum eſſe exiſtimavimus.

Q. 1. *Quid de* judiciis publicis, litibuſque *ſentiendum eſt?*

R. *Judicia publica* divina ordinatione conſtituta eſſe in vindictam malefactorum, & innocentium ſecuritatem, ex ſacris litteris manifeſtum eſt. Ea quoque licitè exerceri ad finiendas controverſias, quas de fortunis & facultatibus oriri contigerit, ſoli negant *Anabaptiſtæ*, ſimileſve hæretici, & quamvis (a) *vix* ſine peccato *litigari* ſoleat; non eſſe tamen *per ſe* illicitum litigare pro rebus quoque hujuſmodi *temporalibus*, idque *chriſtianis*, immò etiam *clericis*, & *Religioſis*, ex *bonorum* uſu & aliunde certum eſt. *Lites* interim ſolertiſſimè vitare ſataget quiſquis pacem, puram conſcientiam, mentiſque tranquillitatem diligit.

(a) *Vide 1. Cor. 6. 7.*

Ut judicium ſit *actus juſtitiæ*, tria hæc requiruntur apud *S. Thomam* (b): 1. Ut procedat *ex inclinatione juſtitiæ*: 2. *Ex auctoritate præſidentis*: 3. Ut proferatur *ſecundùm rectam rationem prudentiæ*. Si primum deſit, judicium erit *perverſum*; ſi ſecundum, erit *uſurpatum*; ſi tertium, erit *temerarium*, & ea ratione iniquum.

(b) Q. 60. atr. 2.

Q. 2.

Digitized by Google

Q. 2. *Quid inde colligitur pro definiendo* OFFICIO JUDICIS?

℞. *Ex primo* eorum, quæ apud Doctorem Angelicum requiruntur, hæc potiſſimùm quinque conſequuntur.

(a) Eccli. 7. 6. 1. Opus illi eſſe inflexibili *animi firmitate* qua *valeat* (*a*) *irrumpere iniquitates*, nec reformidet unquam (*b*) *vultum potentis*, quò à juſtitia, aut veritate deflectat: ſed pectus gerat vacuum ab *amore* & *odio*, à *timore* & *cupiditate*, quæ teſte *S. Iſidoro* (*c*) quatuor ſunt cauſſæ præcipuæ, ob quas judicium perverti, æquitas violari, & innocentia lædi conſuevit; atque hinc porrò deducitur,

(b) Levit. 19. 15.

(c) Lib. de ſum. bono, cap. 58.

(d) Deut. 16. 19. 2. Alienum eſſe debere judicem à ſtudio partium, *acceptione perſonarum*, & omni *avaritia*, ut conſtanti invictoque animo reſpuat MUNERA, quæ ipſos utique *excæcare* (*d*) nata ſunt *oculos ſapientum*, & ſubvertere verba *juſtorum*; quapropter judex *integer* ſtatuto ſibi contentus *ſtipendio*, munera neque *ante*, neque *poſt* ſententiam accipiet; accepta autem *pro ſententia*, ſive juſta, ſive injuſta, *non juſtè* retinebit.

(e) Exod. 23. 3. 3. Impensè quidem diligendos eſſe *pauperes*, ſed citra (*e*) *juſtitiæ* detrimentum; quocirca hoc illis præcipuè procurandum commodi, ut amputatis (*f*) *dilationibus* fruſtratoriis, reſectiſque ſanguiſugis illis *procraſtinationibus*, miſeri litigantes ea, qua utrimque enecantur, inquietudine, *citò* defungantur.

(f) Vide S. Bernard. l. 1. de Conſid. cap. 10.

4. Op-

(*a*) *Noli quærere fieri judex, niſi* valeas *virtute* irrumpere *iniquitates: ne fortè extimeſcas* faciem potentis, & *ponas* ſcandalum *in æquitate tua*. Eccli. 7. 6.

Non facies quod iniquum eſt, nec injuſtè judicabis. Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Juſtè judica proximo tuo. Levit. 19. 15.

4. Opportunum fore, ut, quoties *ſententia* ferenda eſt, attenta mente perpendat *judex*, ſe; qui jam de aliis *judicat*, à ſuperiori aliquando judice, citrà omnem *appellationem*, eſſe *judicandum*, ipſaque ſua *judicia* ad examen & trutinam æternæ atque *incommutabilis juſtitiæ* eſſe revocanda. Ceterùm *peccare* immo judicandi *authoritate privatum* eſſe, qui judicare velit in *peccato mortali*, hæreſiarcha *Joannes Hus*, cum ſuis, ſtultè dogmatizavit; fortè ut per *criminationes*, legitimorum judicum ſeſe ſubducerent poteſtati. Aliter pridem docuerat *S. Thomas*: (*a*) „ ſi peccata, „ inquit, non ſunt publica ſed occulta, & ne„ ceſſitas judicandi immineat propter officium, „ poteſt *cum humilitate* & *timore*, vel arguere, „ vel judicare.

(*a*) *Q. 60. art. 2. ad 3. vide S. Aug ſerm. Dom. in monte, l. 2. cap. 30.*

5. Cùm in *gravamen Reip.* non raro cedere ſoleat, ſi *pœna* atrocioribus ſceleribus debita *relaxetur*, non ita indulgendum eſſe *miſericordiæ*, ut *juſtitia* negligatur, aut impunitate criminum peccandi licentia invaleſcat. Si juſta cauſſa ſubeſſe videatur, *ſolus princeps* pœnam *Reip.* debitam, relaxare poterit, aut commutare, ſed pœnam *actori* debitam, ipſo reclamante, ordinariè relaxare non poterit, niſi unà provideat, ut illi aliter ſatisfiat.

Q. 3. *Quid pro eodem* OFFICIO JUDICIS *conſequitur ex* SECUNDO *S. Thomæ requiſito, quod eſt* authoritas præſidentis?

℞. Servandam illi eſſe *formam* & ordinem *juris*, qui tria hæc potiſſimùm exigit:

1. Ut non *inquirat* judex adversùs perſonam quampiam (*b*) *ſpecialiter*, niſi vel *ſemiplena probatio*, vel *infamia* criminis, & authoris, vel expreſſa aliqua utriuſque *indicia* præceſſerint, alioquin *accuſatore*, aut certè *denuntiatione* opus eſt; nemoque damnandus, qui (*c*) *defen-*

(*b*) *Vide Cap.* Inquiſitionis, *de accuſat.*

(*c*) *Act. 25. 16.*

defenſionis copiam non habuerit. Nemo etiam occidi poteſt, aut puniri (*a*) *uno contra ſe dicente teſtimonium*. (*b*) *Non ſtabit teſtis unus contra aliquem, quidquid illud peccati, aut facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. *Duo* nempe teſtes, *omni exceptione majores*, id eſt *viri* neque *infames*, aut criminoſi, neque *ſuſpecti*, aliterve legitimè *rejecti*, *plenam* in judicio probationem efficiunt.

(*a*) *Deut.* 17. 6.
(*b*) *Ibid.* 19. 15.

2. Ut citra *juriſdictionem*, ſive *ordinariam*, ſive *delegatam*, non judicet, ſententia quippe à *non ſuo judice lata non tenet*, & *extra territorium jus dicenti*, *impunè non paretur*. *Uſurpata* igitur & invalida eſt ſententia judicis in ſubditum alienum; vel in eum, qui ab illius juriſdictione, in hac ſaltem cauſſa, *exemptus* ſit; vel ab eo lata, qui excommunicatus ſit *non toleratus*: *toleratus*, ſi rogetur, validam & licitam, ſi ſe ingerat, illicitam ſententiam feret. Ceterùm auctoritatis defectum, pro *valore* ſententiæ, ſupplere (*c*) poterit communis populi *error*, titulo *colorato* innixus.

(*c*) *Ex L.* 3. *Dig.* de Offic. prætorum.

3. Ut juxta *leges* & *jura* pronuntiet: ,, de ,, iſtis enim temporalibus legibus, quamquam ,, (*d*) ait *Auguſt.*) homines judicent, cùm ,, eas inſtituunt; cùm tamen fuerint inſtitutæ ,, atque firmatæ, non licebit judici de ipſis ju- ,, dicare, ſed ſecundùm ipſas. ,, *Epiikiæ* interim, qua juris rigor æquitate temperatur, locus nonnumquam datur; quòd (*e*) leges ita ſcribi non poſſint, ut caſus omnes comprehendantur, ſed ea tantùm, quæ plerumque accidunt, iis ſoleant contineri; nulla verò juris ratio, aut æquitas patiatur, ut quæ ſalubriter pro hominum utilitate ſtatuta ſunt, hæc duriori interpretatione producantur ad ſeveritatem.

(*d*) *De vera Relig.* c. 31.
(*e*) *Dig. de Legibus.*

Q. 4. *Quid tandem ex* TERTIO, *quod rectam rationem prudentiæ exigit?*

℟. Hæc

℟. Hæc utique conſequuntur: 1. Judicem *contra allegata & probata*, ex privata ſua ſcientia, judicare non poſſe, ſive condemnando, ſive abſolvendo; tametſi nihil vetet quo minùs *juxta illa* abſolvere poſſit, quem *privatim* noverit eſſe reum. In cauſis quoque *civilibus*, quin & in *criminalibus* minoribus, ſi veritas, quam privatim novit, innoteſcere nequit, poteſt & debet condemnare juxta *allegata & probata*: an poſſit pariter in caſu, tantùm non *metaphyſico*, S. Thomæ acris controverſia eſt, de qua jam (*a*) ſuprà aliquid dictum fuit. (*a*) *Cap. XVI. q. 7.*

2. Falſum eſſe, judicem poſſe ſententiam inferre (*b*) *juxta opinionem minùs probabilem*, aut (*c*) poſſe pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio, quando litigantes habent pro ſe *opiniones æquè probabiles*; non ea ſanè *mente* judiciis ſe ſubjiciunt litigantes, ut pro *libitu*, vel *amicitia*, res ſuæ tradantur aliis, ſed ut ſecundùm *juſtitiam* dentur cui debentur, ſaltem *veroſimiliùs*. (*b*) *Vide Prop.* 2. Innoc. XI. (*c*) *Prop.* 27. Alex. VII.

Q. 5. *Quidnam circa accuſationem*, & ACCUSATORIS *officium*, *conſiderationis eſt Theologicæ?*

℟. *Accuſatio*, quam quis *pro ſe*, rebuſve ſuis ſuſcipiat, plerumque *libera* eſt: pro *bono publico*, aut ſalute *innocentis*, ſæpè (*d*) *præcepta*, ſaltem ſi *accuſationis* nomine, ipſa quoque *denuntiatio* comprehendatur, qua judici crimen defertur, ut ipſe *inquirat*; *clericus* enimverò in cauſſa criminali *denuntiare* poteſt, (*e*) *accuſare* non poteſt. *Denuntiationem* hujuſmodi, quæ *judicialis* ſit, *monitio* præceſſiſſe non debet, debet (*f*) fraternam, ſive *Euangelicam*. (*d*) *Levit.* 5. 1. (*f*) *Matth.* 18.

(*e*) Clericus in cauſſa criminali *denuntiare* poteſt. Intellige conformiter ad Conſtitutionem *Bonifacii VIII.* Cap. 2. de Homicidio, in VI. petens dumtaxat emendam ſibi fieri, & provideri ne contra ſe, aut ſuos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſsè, quòd vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendat.

Non eſt autem ſive *accuſatio*, ſive *denuntiatio* facienda de crimine contra Remp. quidem facto, ſed jam *emendato* : neque de eo, quod contra privatum quempiam admiſſum, ſed penitus *occultum* eſt : in iis autem *inquiſitionibus*, quas ſæpè Epiſcopi ſuper criminibus *generatim* inſtituunt, non *juridica*, ſed *fraterna* denuntiatione utendum eſt.

Triplici autem ratione injuſta redditur *accuſatio*, nempe vel per *calumniam*, cùm falſum crimen imponitur : vel per *prævaricationem*, cùm qui palàm accuſat, in occulto ſavet; aut gravioribus prætermiſſis, leviora tantùm delicta inſectanda producit : vel denique per *tergiverſationem*, quando cum Reip. damno, ab accuſatione deſiſtit; qua in re graviùs peccat qui ad accuſandum *ex officio* tenebatur.

Q. 6. *Quod eſt officium* TESTIS?

℞. Quoties *ſervato juris ordine*, legitima ſuperioris auctoritate exigitur, *teſtimonium* negari non poteſt; qui negaverit, gravem noxam, &, ut multi putant, *reſtitutionis* obligationem incurret. At miniſtri Altaris ad teſtandum in *cauſſa ſanguinis* (*a*) compelli non poſſunt, multoque minùs ut aliquid unquam in lucem proferant, quod ex *ſacramentali tantùm confeſſione*, ſive ipſius *Rei*, ſive *alterius* cujuſcumque cognoverint : ſi impia hujuſmodi interrogatio fieret, utrùm *in eo tribunali* crimen

(*a*) *In Gallia, juxta Edictum Regium menſis Auguſti an.* 1670. *Tit. VI.* §. 3. *tam* Religioſi *quam* Eccleſiaſtici, *ad teſtimonium etiam in* criminalibus *ferendum compelluntur per* obſignationem, *ſive apprehenſionem* temporalium, *ſi renuant. Qui ſic compulſus teſtimonium dixerit, non cenſetur ibi* irregularis; *ſed aliarum Eccleſiarum diſciplina ac moribus Gallicani mores non præjudicant.*

Digitized by Google

men aliquod intellexerint, nec ne, priùs cruciatus omnes ſubeundi forent, quàm aliquid reſpondendum.

Qui porrò aliunde conſcius fuerit criminis, quo Reip. vel tertiæ perſonæ gravis pernicies inferenda eſt, id etiam *non rogatus*, vel certè non *juridicè* rogatus, manifeſtare tenetur. Exigit quoque *charitas*, ut in cauſſa civili, vel criminali teſtimonium proferatur, per quod *innocens*, aut à morte, aut à gravi alio detrimento liberari poſſit.

Cavendum denique eſt magnopere, ne qui teſtificaturus eſt, pro *certo* afferat quod *dubium* habet, multoque magis, ne quod *falſum* putat, *verum* juratus affirmet, *triplici* utique, *mendacii*, *perjurii*, & *injuſtitiæ* ſcelere ſeſe obſtricturus, ſi fecerit.

Q. 7. *Quid* REO *agendum eſt, quid licet? quid non licet?*

℞. Primum, idque præcipuum REI officium, his *S. Thomæ* verbis exprimitur: (*a*) „Ex *debito* tenetur accuſatus judici *veritatem* „exponere, quam ab eo *ſecundùm formam* „*juris exigit*. Et ideò ſi *confiteri noluerit* veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam „*mendaciter negaverit*, MORTALITER peccat. „Si verò judex hoc exquirat, quod (*b*) *non* „*poteſt* ſecundùm ordinem juris, *non tenetur* „ei accuſatus reſpondere, ſed poteſt vel per „*appellationem*, vel *aliter* licitè *ſubterfugere*: „MENDACIUM tamen dicere non licet.„ Si ergo *Reus* legitimè interrogatus, in veritatis negatione, aut tergiverſatione perſiſtat, ſacramentali abſolutione cenſeatur indignus, donec ſincerum habeat animum *confitendi damnique* reparandi, quod alteri forſitan hac occaſione illatum eſt.

(*a*) *Q. 69. art. 1.*

(*b*) *Vide ſuprà, q. 3.*

2. Etſi *Reo* ab inferiore ad ſuperiorem judi-

Digitized by Google

cem *provocare* liceat, ut iniquum, quod ſibi impendere viderit, gravamen arceat; id tamen minimè fas eſt cauſſa *trahendæ moræ*, ne ſcilicet aut *juſta* contra eum ſententia proferatur, aut jam lata executioni mandetur.

3. Dum *juris ordine* ſervato ſententia contra Reum lata eſt, etſi is numquàm eam in ſemetipſum *exequi* teneatur, *executioni* tamen illius reſiſtere *per vim* non poteſt, ne tunc quidem, cùm eam credit, vel certò novit *iniquam*. At quovis caſu licitum ei fore putatur, tentare *fugam*, etiam carceres *effringendo*, quamvis non item aliis liceat ad hoc illi *ſuppetias ferre*.

Q. 8. *Quod* ADVOCATI, *quod* PROCURATORIS *cauſarum*, *quod denique* NOTARII *officium eſt*?

℞. *Advocati* officium eſt. 1. Plus conciliandæ inter diſſidentes *concordiæ*, quàm fovendis *extendendiſque* litibus operæ impendere.

2. Orphanis, viduis, egenis, & infeſta potentiorum violentia *oppreſſis* manum auxiliatricem ſeriò conſtanterque porrigere. Id etiam *gratis*, non quidem *omnibus* (quia id fieri nequit) ſed interdum aliquibus facere neceſſe eſt, perinde ut aliam *eleemoſynam*. Ab iis interim, qui non indigent, *honorarium* accipi & exigi poteſt, cujus juſtitia, ſive ex diſpoſitione *legum*, ſive ex *laboris* magnitudine, *gravitate* cauſſæ, & regionis *conſuetudine* deſumenda eſt. Paciſci autem de *quota rei*, pro qua litigatur, jura *poſitiva* prohibent, valdè conformiter ad *naturale*: nec cum hoc quidem jure ſatis fortaſſe conſiſteret, quòd *Advocato*, ultra legitimum honorarium, ingens aliquod *præmium* addiceretur in caſu *victoriæ*.

3. Advocati officium eſt nullam cauſſam, quæ ipſi videatur *injuſta*, tuendam ſuſcipere;

pro-

Digitized by Google

probabilem plerumque ſuſcipere poteſt, *cliente* monito de *periculo*, quod ſubiturus eſt; & hic quidem ſi *Reus* eſt & *poſſeſſor*, non continuò repellendus erit, quòd cauſſa ejus *minùs probabilis* videatur: nam & in *decurſu* litis *aliter* fortaſſe videbitur, & aliunde *melior eſt conditio poſſidentis*. Quòd ſi poſt *conteſtationem litis* pateſcat cauſſæ *iniquitas*, defectus clienti indicandus, utque vel *cedat*, vel cum adverſario (a) *ſine ejus damno* componat, cliens inducendus eſt.

(a) S. Th. q. 71. a. 2.

4. In dandis *conſiliis* nefas eſt *abſolutè* ſimpliciterque *ſubſcribere*, niſi parti illi, quam *juſtam*, ſeu veram judicat; unde meritò haberetur *infamis* qui *ſic utrique* litigantium parti ſubſcriberet. Cæterùm *ut probabili*, dummodò diſertè id exprimat, ſubſcribere poteſt ei, quam ipſe ut talem habet, vel ab aliis viris doctis haberi novit; tuncque nihil oberit, quo minùs par etiam judicium proferre poſſit de *contraria*.

5. Ad *reſtitutionem* tenetur *Advocatus*, non tantùm cum cauſſam manifeſtè *iniquam* amplexus eſt, ſed & cùm *probabilem* perdidit, quam clienti *certam* eſſe perſuaſerat; vel in qua ſua culpa, aut imperitia victus eſt. Tenetur quoque, ſi judicem *falſa* legis allegatione, vel expoſitione deceperit.

In Procuratore cauſarum, ſi non *paria* omnia, *ſimilia* pleraque requiruntur, nempe pacis & concordiæ ſtudium, benevolentia in pauperes, peritia, diligentia, veracitas, cauſſæ æquitas, aut certè probabilitas, denique juſta ſtipendii moderatio.

In Notariis & tabellionibus tria præcipuè neceſſaria ſunt, ſcientia, fidelitas, & juſtitia. *Scientia*, ne in confectione inſtrumenti per inſcitiam ſuam, alteri, vel utrique

con-

Digitized by Google

contrahentium, damnum adferant: *fidelitas* in conſcribendis, ſervandis, exhibendiſque, (ſed tantùm ubi & quibus opus eſt) inſtrumentis: *juſtitia* denique, ne inſtrumenta conficiant illicita, vel legibus interdicta, neque iniquum, aut indebitum ſalarium exigant.

CAPUT XXVIII.

De NONO & DECIMO *præceptis Decalogi.*

Vide S. Thom. 1. 2. q. 34. & q. 100. item 2. 2. q. 122.

QUæſtio 1. *Quid prohibetur nono hoc præcepto*: NON CONCUPISCES UXOREM PROXIMI TUI?

℞. Prohibetur *deſiderium* eorum, quæ *ſexto præcepto* interdicuntur, id eſt, adulterii, omniſque extra fines matrimonii venereæ voluptatis. Ne ergo putaremus, ſolam luxuriam *externo actu* perpetratam illicitam eſſe, non autem illius *concupiſcentiam* intra animum retentam, hoc præceptum adjectum eſt: quod Chriſtus his verbis confirmavit: (*a*) *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.*

(*a*) *Matth.* 5. 28.

Q. 2. *Quæ hujus prohibitionis ratio eſt?*

℞. Quia juxta Chriſti doctrinam, (*b*) *de corde exeunt*, hoc eſt, à voluntatis conſenſu dimanant peccata univerſim omnia, ita ut cujuſvis *actus exterioris* nequitia, à ſolo *perverſæ voluntatis* fonte derivetur, *actuſque exterior*, juxta commune Theologorum effatum, *per ſe nihil addat malitiæ* (uti nec bonitatis) *actui interiori*, à quo procedit. Ob multas tamen rationes actum *interiorem* confiteri non ſufficit, quando & *exterior* illi conjunctus fuit; tam-

(*b*) *Matth.* 15. 10.

Digitized by Google

tametſi enim hic malitiam *diſtinctam* non habeat, ab ea quæ ineſt interno *efficaci*, cùm tamen veram peccati rationem habeat, multaque ſæpe *damna & incommoda* ſecum trahat, neceſſario exprimendus eſt.

Q. 3. *Quid ſi quis pravos* CONCUPISCENTIÆ MOTUS, *pravaque deſideria in ſe patiatur* invitus?

℟. Certum eſt (*a*) *concupiſcentiam*, ſive *legem membrorum* & prava ejus deſideria, quæ *inviti* ſentiunt homines, quibuſque *ratio non conſentit*, verè & in rigore non eſſe prohibita hoc præcepto *non concupiſces*; neque adeo *veram* eſſe legis inobedientiam, ne iis quidem, qui poſt baptiſmum in peccatum mortale *relapſi* ſunt: *jam non ego operor illud*, inquit Apoſtolus (*b*) *ſed quod habitat in me, peccatum*; ubi concupiſcentiam vocat *peccatum*, quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat, non quod verè peccatum ſit, ſi ratio non conſentit.

(*a*) *Vide inter Bajanas Prop.* 50. 51. 74. *&* 75.

(*b*) *Rom.* 7. 20.

Q. 4. *Ipſane etiam impuræ voluptatis* COGITATIO *peccatum eſt?*

℟. (*c*) Si in hujuſmodi cogitatione voluntas ſe *oblectet*, vel repudiare *negligens*, illi ultro *inhæreat*, jam peccati rea eſt, & quidem *gravis*, ſi *conſenſus* in oblectationem, aut cogitationem iſtam fuerit ſatis *deliberatus*.

Delectatio hujuſmodi, MOROSA dicitur apud Theologos, à *mora* non *temporis*, ſed *officii*, quippe quæ & in *momento* perfici poſſit; habetque ea locum non ſolum in hac materia venerea, de qua nunc agimus, verum etiam in cæteris.

Do-

(*c*) *Vide* S. Aug. *in Pſal.* 143. *n.* 6. *lib.* 1. *de ſerm. Dom. in monte. c.* 12. *Serm.* 97. *ſive* 44. *de verbis Apoſt. c.* 5. S. Greg. *lib.* 4. *moral. Job. cap.* 25. *item Homil.* 16. *in Euang.*

Digitized by Google

(a) *Lib. 12. de Trinit. c. 12.*

Docet quidem *S. Auguſt.* (a) *longè minus* in ea eſſe peccatum, quàm *ſi & opere ſtatuatur implendum;* at minimè negavit, hoc, quamdiu abeſt *voluntas operis*, poſſe eſſe *mortale*: e contrario *totum* ob id *hominem* damnatum iri pronuntiat, *niſi per gratiam mediatoris remittatur*.

Ab hujuſmodi peccato ne immunis quidem eſt delectatio carnalis *viduæ* circa commixtionem *præteritam*, aut *ſponſæ* circa *futuram*: ſecus autem dicendum in *conjugibus*, ſaltem *ordinarie*.

Porrò quemadmodum *delectatio moroſa* circa mulierem *non ſuam*, malitiam quamdam contrahit *fornicationis*; ita circa mulierem, quæ ſcitur *uxor alterius*, malitiam veroſimiliter induit *adulterii*: & generatim malitiam *objecti* per ſe mali & *circumſtantiarum* ejus participare videtur: quamquam hoc ultimum ſoleat diſputari.

De *cognitione*, *modo*, vel *artificio* rei turpis poteſt ſine dubio delectatio haberi ſine peccato: ſed communiter hæc ipſa *periculoſa* eſt, præcipue in *carnalibus*, ubi quævis phantaſia voluntarie admiſſa noxia eſſe conſuevit.

Cæterùm ſi oborta in nobis impuritatis cogitatio minime *placeat*, nec *præcedenti culpa* fuerit procurata, ſed eam voluntas confeſtim repellere ſatagat, non modò nullum peccatum, ſed abundantioris meriti ſeges eſt & materia.

Quod ſi *conſenſus* quidem aliquis voluntatis acceſſerit, at is tantum *ſemiplenè deliberatus*, peccatum quidem erit, ſed dumtaxat *veniale*, id quod in homine *ſemiſopito* nonnumquam accidit: & in eo qui Deum *ex animo timet*, ſi quando aliquid hac in parte *negligentiæ* illi obrepſerit, vix aliter evenire putandum eſt. Secus

cus plerumque judicandum erit, ſi agatur de homine vitæ *diſſolutioris*; hic ſane ſi dubitet, haud temere credi poterit ſufficienter conſenſiſſe.

Q. 5. *Licetne alienam conjugem ita concupiſcere, ut, ſi fiat vidua, ſibi uxor obtingat?*

℞. (*a*) Hæc ipſa cupiditas vitioſa & *inordinata* eſt, quam ſi foveas, *proclive* eſt, ut ultrà hos limites progreſſus, aut mariti mortem, aut adulterium optes.

(a) Catech. Rom.

Q. 6. *Quid vetatur Decimo præcepto*: NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI, NON AGRUM, NON SERVUM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINUM, NEC OMNIA QUÆ ILLIUS SUNT?

℞. *Iniquum deſiderium* acquirendi, vel retinendi rem alienam *Domino rationabiliter invito*, nempe prohibetur hoc loco *interna cupiditas* omnis injuſtitiæ adversùs proximum, in bonis ejus temporalibus, cujus actus exterior *ſeptimo Præcepto* diſertis verbis interdicitur; Hæc enim iterum interna voluntatis cupiditas, *omnem* ipſius iniquitatis externo opere conſummatæ *malitiam* continet: id ſolum diſcriminis eſt, quod *reſtituendi* obligationem non inducat, ſi nihil proximo damni reipſa illatum fuit.

Q. 7. *Quorſum in Reſponſione additum eſt*, domino rationabiliter invito?

℞. Quia non eſt illicitum alienæ rei deſiderium, ſi optes eam ex juſtitiæ legumque præſcripto, *domino conſentiente* adipiſci, puta per emptionem, ſimilemve alium contractum legitimum.

Q. 8. *Qui ſunt ii, qui præcipuè in hoc decimum præceptum impingunt?*

℞. 1. *Negotiatores* & mercatores, qui ad annonæ aliarumve mercium caritatem anhelant, ut ipſi diteſcant, de aliorũ damno nihil ſolliciti.

Digitized by Google

2. Exercituum *Duces* & *Milites*, qui bellum continuari deſiderant, ut impunè prædari liceat; quidquid interim innumera miſerorum hominum multitudo, quotidianis divexationibus patiatur.

3. *Medici*, qui ſuis lucris inhiantes, morbos *multiplicari* cupiunt, tardiùſve quàm poſſent, ægris ſanitatem procurant.

4. *Adminiſtratores juſtitiæ*, cæterique in cauſis litigioſis laborantes; qui numerum litium *optant augeri*, exortaſve data opera in longum *protrahunt*.

(a) Vide Prop. 14. & 15. Innoc. XI.

5. *Filii familias*, (*a*) qui uſque adeò naturam omnem exuerunt, ut parentum mortem concupiſcant, quò eorum facultatibus gaudere poſſint. Atque univerſim omnes, qui alienæ felicitati, gloriæ, meritis, aut divitiis invident.

Q. 9. *Quid cauſſæ eſt, cur hæc duo poſtrema Præcepta, quæ ad interna deſideria pertinent, cæteris adjicere voluerit Deus?*

(b) Vide Catech Hiſtor. Cl. Fleuri lect. 30. part. 2.

℟. (*b*) Ut amputata peccatorum omnium radice concupiſcentia, reliquorum Præceptorum obſervationem per hæc duo firmaret; neque enim peccari ſolet, niſi voluptatis, pecuniæ, honoriſve cupidine. Alienæ *rei cupiditas* facilè gignit *invidiam*, quæ ad *detractionem* & *calumniam* ſua ſponte impellit. Nec ferè ſunt *falſi teſtes*, niſi pecunia corrupti. Qui proximi *vitam invadit*, vix aliunde eò incitatur, niſi ut rebus ejus potiatur, vel voluptatis, laudiſque propriæ obicem auferat. Iiſdem de cauſis & negliguntur *parentes*, & odio ſunt, eorumque mors optatur. Ex lucri quoque cupiditate dies *divino cultui* conſecrati ſervili labore profanantur, aut ex voluptatis amore non ea, qua oportet, ſanctitate & pietate tranſiguntur. Pari ratione *falsò jurare* compellit

ava-

Digitized by Google

avaritia. Denique non niſi pravæ cupiditates à *Deo colendo* avertunt, & *charitatem* extinguunt. Itaque ſi veritas duobus ultimis præceptis *cupiditates* animo evellamus, ad reliqua omnia exequenda facilè nos comparabimus.

Altera quoque ratio adjungi poteſt, ut ſcilicet nemo ſibi ipſi velut innocenti & inſigniter probo facilè blandiatur, propterea quòd ab *externo* flagitiorum opere abſtineat; cùm ex ſola *deſideriorum* & *affectuum* pravitate, juſtæ Dei vindictæ forſitan ſit obnoxius.

Q. 10. *Quo pacto* prava deſideria *reprimenda ſunt?*

℞. Puro affectu *adhærendum eſt Deo*; qui ſolus verorum æternorumque bonorum fons eſt indeficiens. Huc nempe tendunt univerſa Decalogi Præcepta, ut Deus (*a*) *in omnibus & ſuper omnia* diligatur, nihil autem aliud niſi propter Deum: quod qui facit, *legem implevit*. Itaque ut Spiritus S. verbis hæc de Decalogo Tractatio finiatur: (*b*) *Elige vitam, ut & tu vivas & ſemen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas. Ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum.*

(a) *Coll.* *Dom* I *poſt Pentecoſt.*

(b) *Deut.* 30. 19.

CAPUT XXIX.

De LEGIBUS HUMANIS.

Vide S.Th. 1.2. q.95. 96. & 97 *Vide etiam ſuprà* P. *III.* c. 7.

POſt enarrata *præcepta Decalogi*, quæ ad legem *divinam*, præcipuè *naturalem*, pertinent, *præcepta Eccleſiæ* breviter expendenda ſequuntur: ſed cùm hæc Eccleſiaſtica, adeòque *humana* auctoritate ſancita ſint; non abs re

futurum eſt, ſi generalis aliqua de *legibus humanis* tractatio præmittatur, quæ ipſa in multis rebus Theologicis non exiguo uſui eſſe poterit.

Q. 1. *Quæ ſunt generales legis humanæ* CONDITIONES?

℞. Recte eas deſcribit *S. Iſidorus* (a) hoc modo: *Erit*, inquit, *lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm conſuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta, ... pro communi utilitate conſcripta*. Sane ſi à *naturali* lege diſcordet, jam non erit *lex*, ſed legis *corruptio*: & quamvis legi humanæ id convenire non poſſit, ut aut omnes virtutum *omnium* actus præcipiat, aut omnes omnium vitiorum prohibeat, eo tamen referri ac tendere ſemper debet, ut pace, concordia & virtutis ſtudio adunati inter ſe homines, efficiantur *boni*, & ad *incommutabile bonum* aliquando pertingant. Cæterum conditiones mox recenſitæ longe utilius *legislatoribus*, quam *populo* proponuntur.

(a) *L. 5. de Summo bono c. 12.*

Q. 2. QUOTUPLEX *eſt lex humana?*

℞. Lex humana, juris gentium, civilis, & Eccleſiaſtici præcepta complectitur. JUS GENTIUM, eſt *lex non ſcripta, quæ per liberam omnium, aut ferè omnium nationum conſenſionem uſumque recepta eſt*. Huc pertinent jura belli & pacis, legationes, fœdera, dominiorum diſtinctio, & contractus pene omnes. LEX CIVILIS dicitur, quæ à *ſæculari poteſtate* dimanat; hæc ad externum regimen præcipuè pertinet, ſpectatque proxime *tranquillitatem publicam*, & bonum *temporale* ſubditorum. LEX ECCLESIASTICA eſt, quæ à *ſpirituali poteſtate* ſancitur, propiuſque ordinatur ad interius regimen & *ſpirituale* bonum ſubjectorum, in iis quæ *religionis* ſunt, iiſve ſubſerviunt.

Leges *civiles*, quarum in his viciniiſque regio-

Digitized by Google

gionibus eſt uſus, partim *municipales*, aut *conſuetudinariæ* ſunt, partim *edictis* principum, iiſque deficientibus, *communi* Romanorum jure continentur; hoc, uti à *Juſtiniano* Imp. editum, (*a*) *Inſtitutionum* libros IV. *Pandectarum*, ſive (*b*) *Digeſtorum* libros L. (*c*) *Codicis* Juſtinianæi libros XII. (*d*) *Novellaſque* ejus & aliorum Impp. conſtitutiones, quæ & *Authenticæ* nuncupantur, complectitur.

Leges Eccleſiaſticæ in canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum Rom. & Statutis Epiſcopalibus, ſed præſertim corpore, ut vocant, JURIS CANONICI continentur. Hoc quinque habet partes principales: decretum (*e*) *Gratiani*: decretales (*f*) *Gregorii IX.* Sextum decretalium (*g*) *Bonifacii VIII. Clementinas*: & *Extravagantes*.

DECRETUM GRATIANI partes habet tres quarum *prima* (*h*) continet *diſtinctiones* 101. ſingulæ autem diſtinctiones varios *Canones*, quibus juris Eccleſiaſtici principia; & Eccleſiaſticarum perſonarum officia, munia & facultates explicantur: *Secunda* (*i*) pars *Cauſſas* habet XXXVI. quæ in *judiciis* Eccleſiaſticis, eorumque materia, potiſſimum occupantur:

N 3 ſed

(*a*) *Citantur hoc modo*: L. 1. de acquir. rer. dom. §. 1. Inſtit. de rer. div.

(*b*) *Citantur hoc modo*: Dig. *vel* D. *vel* ff. *vel* π. L. 1. *&c.*

(*c*) *Citatur* L. 2. Codic. *vel* C. *&c.*

(*d*) *Citantur*: Nov. 12. *c.* 2. *&c. vel* cap. ex his autem Novella 118. *&c.*

(*e*) *Editum ſub* Eugenio III. *circa an.* 1151. *à* Gratiano *Ord. S. Benedicti Monacho.*

(*f*) *Editas an.* 1234. *collectore* S. Raymundo *de Pegnafort Ord. Præd.*

(*g*) *Publicatum an.* 1298.

(*h*) *Citatur hoc modo*: Can. *vel c.* Eccleſiæ Diſt. 97.

(*i*) *Citatur*: Can. ſi fœneraveris, 14. *q.* 3. *item* Can. Novit. de Pœnit. diſt. 1.

Digitized by Google

ſed in *cauſſa* 33. q. 3. inſeritur tractatus de *pœnitentia*, qui in VII. diſtinctiones diſpertitur. *Tertia* (*a*) pars *de conſecratione* inſcribitur, conſtatque diſtinctionibus V. Sequuntur deinde canones Pœnitentiales XLVII. Poſtea Canones Apoſtolorum (*b*) LXXXIV.

Decretalium Gregorii IX. (*c*) quinque ſunt libri, *Tituli* autem univerſim 185. ſingulorum librorum materia hoc verſu mnemonico exprimi ſolet:

Judex, *judicium*, *clerus*, *ſponſalia*, *crimen*; id eſt, in perſonis quibus judicandi poteſtas competere, aut committi ſolet, rebuſque quæ judicia plerumque antecedunt, verſatur liber *primus*: *ſecundus* in ipſis *judiciis*, eorumque forma & modo: *Tertius* in officiis *clericorum*: *Quartus* in ſponſalibus & *matrimonio*; *Quintus* denique in *criminibus* eorumque *pœnis* potiſſimum occupatur.

Sextus Decretalium (*d*) Bonifacii VIII. ſic dictus quod quinque præcedentibus adjectus ſit, in V. itidem libros, pari ordine, diviſus eſt: ſed titulos habet dumtaxat 77.

Clementinæ (*e*) vocantur *Clementis V.* conſtitutiones, partim in Concilio *Viennenſi* an. 1311. partim à *Joanne XXII.* Clementis ſucceſſore an. 1317. editæ; libris etiam V. titulis autem 52.

Extravagantes, (*f*) ſic dictæ quod poſterio-

(*a*) *Citatur*: Can. non oportet de conſecrat. diſt. 5.

(*b*) *Sed quorum multi incertæ auctoritatis ſunt.*

(*c*) *Citantur*: Cap. tua nos, De ſimonia. *Vel*, Extra de ſimonia. *Vel* ✕ de ſim. *&c.*

(*d*) *Citatur*: cap. quamvis, de procurat. in ſexto *vel in 6. &c.*

(*e*) *Citantur*: Clementina: per literas, de præbend. & dignit. *&c.*

(*f*) *Citantur*: Cap. &c. in Extravag. commun. *vel* in Extravag. *Joan. XXII.*

Digitized by Google

riorum Pontificum nonnulla decreta contineant, quæ quod collecta non eſſent, *extra* juris Canonici ſeriem *vagari* videbantur, aliæ ſunt *Joannis XXII.* numero XX. aliæ *communes*, quibus variorum Pontificum conſtitutiones exhibentur, uſque ad *Sixtum IV.* annumque Chr. 1484. quo ille mortuus eſt. Decretalium hic quoque ordo ſervatus eſt, niſi quod nullus ſit liber quartus, quia in his de *matrimonio* nulla tractatio eſt.

Q. 3. *Penes quos reſidet* JUS LEGUM FERENDARUM?

℞. Cum lex omnis, ut æqua & juſta ſit, ad *commune bonum* referenda ſit; hujus autem boni ſollicitudo, propria ſit, vel totius *multitudinis*, vel ejus qui illius *perſonam* & curam gerit; conſequens eſt, penes horum utrumque jus ferendarum legum eſſe, id eſt, penes *Remp.* ſive civilem ſive Eccleſiaſticam, & utriuſque *moderatores*, quatenus cujuſque auctoritas divino, vel humano jure, uſuve & conſuetudine ſe extendit. Ita Imperator, Reges, Principes, Reſpublicæ liberæ, Præfecti provinciarum, & Magiſtratus, in rebus *civilibus*: Concilia œcumenica, & Romani Pontifices, pro *univerſa* Eccleſia; provinciales Synodi, pro ſubdita ſibi provincia; Epiſcopi & Diœceſanæ Synodi, pro ſuis quiſque Diœceſibus, in rebus *Eccleſiaſticis* leges ferunt.

Horum omnium *poteſtas* aliquo ſaltem modo (*a*) *à Deo eſt*, nulla autem ratione à fide moribuſve legislatoris pendere putanda eſt, quaſi vel *peccato mortali*, vel ipſo *infidelitatis* crimine neceſſario deperdatur.

(*a*) *Rom.* 13.1.

Q. 4. *Legeſne illæ ipſam quoque conſcientiam* OBLIGANT?

℞. Uſque adeo *conſcientiam* obſtringunt, ut etiamſi legislator id in ſua lege non *expreſſe*-

rit, aut ne cogitaverit quidem, quinimo per errorem exiſtimet, ſubjectorum conſcientiam adſtringere ſe non poſſe, ſi tamen veri nominis legem condiderit, huic ex præſcripto legis (a) *Ibid.* ℣. 5. *naturalis*, (*a*) *non ſolum propter iram*, *ſed etiam propter conſcientiam* obtemperandum ſit. (b) *Vide Hebr.* 13. 17. Nec *libertas Chriſtiana* in eo ſita eſt, quod chriſtiani legibus hujuſcemodi non (*b*) ſubjaceant, ſed quod a jugo legis Moſaicæ, & à ſervitute peccati, mortis, ac Diaboli, Chriſti morte *redempti* ſint.

Quæſt. 5. *Qualis & QUANTA eſt ea obligatio?*

℞. Solet ea fere eſſe *proportionata materiæ*: & ſatis quidem conſtat, rem undiquaque *levem*, poteſtate humana præcipi, aut prohiberi non poſſe ſub culpa *gravi*, etſi haud dubie id poſſit *Deus*: an vero nec poſſit *gravis*, ſub noxa *levi*, non perinde liquet. Voluntatem legislatoris, de qua ſatis liqueat, efficere id poſſe multi probabiliter exiſtimant, quod ſicut ab ea pendet velitne legem ferre an omittere; ita etiam pendere videatur velitne *graviter* obligare an *leviter*, ſi *materia* utriuſque obligationis ſit capax. Quod ſi ita eſt, ut recte judicetur, ſitne legis prævaricatio peccatum *mortale*, an *veniale* tantum, non ſolum materiæ *qualitas* conſideranda erit, verùm etiam mens & *voluntas* legislatoris, *moduſque* tranſgreſſionis; quæ etiam in re *levi* poterit gravis eſſe ob *ſcandalum*, magiſque etiam ob expreſſum *contemptum* legis, aut legislatoris, *qua talis*. Cæterum *gravitas* rei præceptæ, vel vetitæ, magis plerumque à *fine* & *circumſtantiis*, quam ab ipſa rei *ſubſtantia* repeti debet.

Q. 6. *Poteſtne lex humana obligare cum* APERTO *etiam* VITÆ PERICULO?

℞. Hoc

Digitized by Google

℞. Hoc inter NEGATIVA *juris naturæ*, & legis *humanæ* præcepta diſcrimen eſt, quod ne *mortis* quidem *metus* efficere poſſit, ut iſta ſine crimine violentur; in his vero prudens metus gravis mali impendentis, ab iis ſervandis *frequenter* excuſet; eo quod legislator non cenſeatur paſſim, *tam rigidam* obligationem imponere voluiſſe. Quod ſi tamen, in certis rerum ac temporum circumſtantiis, legis obſervatio ad *incolumitatem publicam* ſit neceſſaria; vel ſi legis tranſgreſſio in Religionis Catholicæ *contemptionem* ceſſura ſit, metus omnis ſuperandus, & lex ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis cum aperto *vitæ diſcrimine* ſervanda eſt. Exemplum habes in cive, aut milite, cui *vita* potius, quam *ſtatio* deſerenda eſt, item in *Catholico*, qui prius *mortem* oppetet; quam veſcatur cibis ab Eccleſia *vetitis*, quos in Religionis ſuæ contumeliam edere cogeretur. An autem & *Cartuſianus*, cui *alii cibi* ſuppetunt, ſed *non profuturi*, urgente etiam vitæ periculo, carnium eſu, qui *prodeſſe* poſſet, debeat, aut poſſit abſtinere, ita ut exacta Regulæ monaſticæ diſciplinæ, hujus Religioſi vitæ *præponderare* cenſenda ſit, ajunt alii, alii negant.

Q. 7. *Quid ſi præcipiantur, aut prohibeantur* ACTUS INTERNI?

℞. Dubium non eſt quin poteſtas tam civilis quam Eccleſiaſtica ad actus quoſdam *internos* ſe extendat, eos nempe ſine quibus *externi*, vel *non valide*, vel *non licite*, ponerentur. Certum præterea eſt legem *civilem* actus hujuſmodi *directe* ac *propter ſe* imperare, aut vetare non poſſe. *Eccleſiam* id poſſe, eaque poteſtate *uſam* eſſe, tametſi *rarius*, ſatis communiter Theologi ſentiunt: non quidem, ut ajunt, *ſecundum vim coactivam* externam,

N 5 quam

quam utique in actus illos nullam habet; ſed juxta *directivam*, item coactivam *internam*, qua conſcientias ligare poteſt & ſolvere.

Q. 8. *Quid ſi ſit* LEX PŒNALIS, *parietne illa etiam obligationem?*

℞. *Falſa* ac *pernicioſa* eſt vulgata multorum opinio, leges humanas, quibus *pœna* apponitur, hoc ipſo ad *culpam* non obligare; ac ne ad *pœnam* quidem, ſi quis hanc induſtria, vel felicitate declinare potuerit. Quocirca leges *pœnales*, ſive Eccleſiaſticæ, ſive civiles, habendæ vulgo ſunt ut *mixtæ ex pœnalibus* & *moralibus*, idque *copulative*, ita ut cum ad *pœnam*, tum ad *culpam* obligare cenſendæ ſint. Rarum eſt, fieri (*a*) tamen poteſt, ut ſint *mixtæ disjunctive*, non obligantes ſcilicet niſi ad *alterutrum*; vel ad ſui *obſervationem*, vel ad pœnam *appoſitam*: ſed tamen ſub *culpa*. Lex porro ita *pure pœnalis*, ut ne quidem *tranſgreſſores* ad pœnam ſub *culpa* obliget, *legis* nomine videtur indigna.

(*a*) *Vide* S. Thom. 2 2 *q*. 186. *art*. 9. *ad* 1.

Legum *pœnalium* aliæ ſunt *latæ ſententiæ*, aliæ *ferendæ*. In *dubio* cenſebitur tantum eſſe *ferendæ*, quia in pœnis *benignior interpretatio* ſequenda eſt: quamvis autem tunc judex, delicto ſatis probato, ad pœnam conſtitutam reum, ſi nihil aliunde obſtet, *damnare* teneatur, reus tamen, *ante* hujuſmodi *ſententiam*, pœnam *ultro* ſubire non debet. Lex pœnalis *latæ ſententiæ* ſæpe (*b*) reum obligat ad pœnam ſubeundam ante omnem ſententiam, etiam mere *declaratoriam* criminis admiſſi & pœnæ ea ratione contractæ; cum nempe legem ita obligare, vel *conſuetudo* ſenſuſque *communis* declarat, vel ipſa pœnæ conditio exigit, vel denique legiſlator per ipſa legis verba manifeſtat. Patet id præſertim in *cenſuris* & *irregularitatibus*, quæ ſic non raro infliguntur, ut crimi-

(*b*) *Vide* Prop. 20. Alex. VII. *qua eſt* 5. §. 4. *App*.

Digitized by Google

ne patrato, ſtatim ſine ulla *nova ſententia* , pro *excommunicato* , vel *irregulari* gerere ſe debeat qui deliquit.

Q. 9. *Quid ſi lex ſit* INIQUA?

℞. Numquam id temere facileve credendum eſt: contra, lex quælibet haberi debet ut *juſta*, quoad aperte liqueat eſſe *injuſtam*: quapropter qui *certus* eſt legem ab eo latam eſſe qui legitimam habeat auctoritatem, *dubitat* autem ſitne res, quæ præcipitur, rationi conformis an difformis, legem utique ſervare tenetur. Cæterum ſi reipſa legislator, (1) aut poteſtatem ſuam *excedat*, (2) aut *Superiorum* legibus inique adverſetur, (3) aut *privatum* unice, minime verò *commune* bonum ſpectare, eum ſatis ſit exploratum, (4) aut denique *onera*, quantumvis ad commune bonum ordinata, proportione *manifeſte iniqua* populo imponat, nemo niſi ad vitandum in proximo *ſcandalum*, obedire tenebitur. Lex quoque quæ ex *falſa præſumptione* procedit, conſcientiam, cui ea falſitas perſpecta eſt, plerumque non ligat.

Q. 10. *Quo* ANIMO, *quo item* MODO *obediendum eſt legi, ut illius obligatione ſolvamur?*

℞. Optandum & adnitendum eſt ſedulo, ut legis obſervatio non tantum ex ſincero *obedientiæ* ſtudio, verum etiam ex *charitate* dimanet, aut horum neutrum abſoluta neceſſitate requiritur; nam legis humanæ obligatione defungitur qui actum, vel omittit quem prohibet, vel exercet quem præcipit, etſi de lege *non cogitet*; non item (ut veroſimilius apparet) ſi apud ſe expreſſe decernat legi ſe *nolle parere*. Quod ad *modum* attinet, nihil obſtare videtur, quo minus & *binis* legibus actu *unite*, & diſtinctis legibus per actus diſtinctos

Digitized by Google

eodem tempore ſatisfieri poſſit. Unde communis opinio eſt clericum ſacro Ordine initiatum, & *beneficio* Eccleſiaſtico donatum, ſi feſto die ſacrum audiens, horarias ſimul preces perſolvat, triplici *ſimul* obligationi ſatis facere. Quamquam illiberalis & parum ad pietatem propenſi animi indicium foret, ſi citra juſtam cauſſam ſic officio ſuo defungi vellet.

Q. 11. *Obligatne lex, ſi non fuerit* PROMULGATA?

℞. Ante *promulgationem* qua lex innoteſcat, nullam eſſe legis cujuslibet obligationem, id apud omnes ſatis exploratum eſt; at *qualem* eam eſſe oporteat, ut leges, præſertim *Pontificiæ*, ligandi robur obtineant, ingens & *periculoſa* contentio eſt. Nobis, quibus citra partium ſtudium, ſola (uti confidimus) *veritas* cordi eſt, in delicata quæſtione omnino ſtatuenda eſſe videntur ſequentia.

1. Nulla publicationis *forma* ſuapte *natura* requiritur, nulla etiam *poſitivo* canonum jure præſcripta eſt, (*a*) ſed qualiſcumque ſufficere *per ſe* poteſt, quæ legis notitiam, auctoritati publicæ innixam, ad totam *multitudinem* adducere nata ſit. Fit hoc proculdubio commodius, cum lex generalis per *Provincias* publicatur, uti in legibus Cæſareis aliiſque civilibus fieri conſuevit: in decretis autem *Eccleſiaſticis*, naturalis ordo eſt, ut ea primum *Epiſcopis*, ab iſtis deinde ſecundi ordinis *Sacerdotibus*, ab his demum *plebi* intimentur, ne ſi *alia via* proferantur, aut confuſa tantum ratione innoteſcant, in *fraudis ſuſpicionem* venire nonnumquam poſſint, magnaque ex parte negligi, aut contemni. Hic igitur ordo plane *optabilis* eſt, ſi commode ſervari queat.

(*a*) *Vide* Suarez *l. 4 de legib. c. 15. n. 3.*

2. Verum ea non raro tempora incidere poſſunt ut *formam* hujuſmodi ob hominum con-

contumaciam fruſtrà expectaveris, in iis præſertim locis ubi per *obices placitorum*, promulgationes in provinciis retardantur. Quid tunc obſtare poſſit quo minùs CHRISTI VICARIUS, generali, quam *divinitùs* ſibi attributam habet, poteſtate uſus, legem quam novit *æquiſſimam*, maximèque *neceſſariam* Eccleſiæ, quam tamen prævidet non ſine ingenti *difficultate* & *remora* per provincias publicatum iri, ubique gentium velit obligare *fideles omnes*, qui poſt publicationem *Romæ* factam, ſufficientem illius notitiam fuerint conſecuti? Quod quidem apertiſſimè in iis legibus locum habet, quæ non *jus novum*, ſed *antiqui* tantùm juris *declarationem* continent, uti in *doctrinalibus* atque *dogmaticis* uſu venit. Hæc ſanè, poſtquam *Romæ* conſueto more publicata ſunt, ſingulari in *provinciis* promulgatione non indigent, multoque minus aliquo Principum, aut Magiſtratuum *placito*; ut eorum, quibus ſatis *innotuerint*, obſtringant *conſcientias* coram DEO, etſi legum hujuſmodi tranſgreſſores nulla fortè ab hominibus *exteriori* pœna plecti contingeret, idcircò quòd per provincias non fuerint ſpecialiter promulgatæ.

3. Quod ad uſum *placiti*, ut ajunt, pro *Belgio* attinet, *Zypæus* vir olim juris Belgici periſſimus, (*a*) demonſtrat eum ad *reſcripta privatis* data, eaque non omnia, ſed *beneficiaria* tantùm reſtringendum eſſe, quod ſive ex *conventione* ſive ex *privilegio*, ſive ex *uſu* legitimè præſcripto apud Belgas obtinere cenſendum eſt. Cæterùm nullis edictis mandatum unquam fuiſſe *placiti* uſum circa leges conſtitutioneſve *Apoſtolicas*. Quin verò *Philippus IV.* prin-

(*a*) *In jure Nov. Pontif. Tit. de conſtitut. num.* 10. *& ſeqq.*

princeps Belgii & Rex Catholicus, apertè profeſſus (*a*) eſt *placito* ſuo minimè opus eſſe in *doctrinalibus*, ſed dumtaxat *in materiis beneficialibus & litigioſis inter partes*. Agnoverunt ſemper Religioſiſſimi Belgarum principes, præſertim quos domus Auſtriacæ pietas enutrivit, *ſacerdotii* & *imperii* diverſiſſimas functiones non niſi infeliciſſimè *commiſceri*, nec tutum ulli unquam fuiſſe profana manu (*b*) *thuribulum* contrectaſſe. Quocirca *Philippus II.* Concilii Trident. decreta omnia, quidquid contrà opponeretur, ſine ulla *limitatione*, aut *reſtrictione* (*c*) per univerſum Belgium, Religioſa planè obſervantia publicari voluit, uti & gubernatrix *Margareta Parmenſis* ſedulò executa eſt. Nonnulla quidem decreta quæ ad *reformationem* pertinent, ob inveteratos provinciarum mores in uſum hactenus adduci non potuerunt; ſed facilè factum fuerit ut hic *Eccleſiæ conſenſus* acceſſerit. Quod ad *fidei* decreta attinet, Catholicorum nemo ſe oppoſuit, aut opponere potuit.

(*b*) 2. *Paral.* 26. 19.

Q. 12. *Quinam & quomodo* SUBDUNTUR *legibus humanis?*

℟. Nemo tenetur legibus ab eo latis, cujus ipſe poteſtati *nulla ratione* ſubjectus eſt. *Omnes* igitur & *ſoli* legiſlatoris *ſubditi*, iique *uſu rationis* præditi, ſive *peccatores*, ſive *juſti* etiamſi obedientiæ jugum iniquè *excuſſiſſent*, modò eos omnes ille obligare voluerit, legibus ejus parere debent, futuri alioquin culpæ rei, ceu juſtæ legis *tranſgreſſores*. Hinc omnes & ſoli *baptizati* legibus ſubduntur Eccle-ſiæ;

(*a*) *In litteris ad Gubernat. Belgii, Madriti datis* 13. *Junii an.* 1659. *item poſteà* 12. *Aug.* 1660. *rurſus* Carolus II. 6. *Martii* 1676.

(*c*) *Patet ex litteris ejus ad* Margaritam Parm. 25. *Nov.* 1564. *Vid.* Fam. Stradam, *ad dict. an.*

Digitized by Google

ſiæ; non tantùm Catholici, verùm etiam *hæretici* & *Apoſtatæ*. Ipſe etiam *legiſlator*, ſi lex ipſi æquè ac ſubditis convenit, illi ſe conformare tenetur, (*a*) quamvis, ſi ſecùs fecerit, *pœnas* non incurrat prævaricatoribus conſtitutas. *Clerici* quoque, legibus *civilibus* quæ clericalem ſtatum non dedecent, nec eccleſiaſticæ immunitati, quæ (*b*) *Dei ordinatione & Canonicis ſanctionibus conſtituta* eſt, derogant, ſaltem æquè obligantur ac princeps *ſuis*, quod nempe ad *vim directivam* attinet, ſed (*c*) *auctoritate* tantùm *Eccleſiaſtica* puniendi, ſi in his eos deliquiſſe contigerit.

(*b*) Conc. Trid. *Seſſ.* 25. *cap* 20. *Ref.*

(*c*) *Vide* Bellarm. *de clericis, Lib.* 1. *Cap.* 28.

De *Peregrinis* & *advenis*, recta ratio, quæ (*d*) conformitatis & unitatis magiſtra eſt, dictare videtur teneri eos legibus *locorum*, in quibus commorantur, modò moram in iis trahant legis executioni accommodatam: non item legibus particularibus *territorii*, in quo domicilium habent: nam ut leges *perſonales* ubique ligant, ita *locales* extra *locum*, cui latæ ſunt, non protenduntur. Porrò non licet ex loco ubi viget lex diei *Feſti*, aut *jejunii*, eo animo manè diſcedere, ut alibi ſerviliter laborare, aut jejunium ſolvere liceat, niſi juſta aliqua *ratio* ſuffragetur.

(*d*) *Turpis eſt pars ſuo toti non cōſentiens*, ait S. Aug.

Q. 13. *Quibus præſertim modis* CESSAT *obligatio legis?*

℞. 1. Cùm res præcepta ſit *impoſſibilis*, nam (*e*) *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*. Qui tamen *partem* legis ſervare poteſt, licèt non poſſit *totam*, (*f*) partem iſtam ſervare tenetur, ſi modò ea ſit hujuſmodi ut à parte impoſſibili facilè poſſit ac ſoleat *ſeparari*, & ratio, ſeu *finis* legis in ipſa utcumque poſſit obtineri.

(*e*) *De Reg. jur. in* 6.

(*f*) *Vide Prop.* 54. Innoc. XI. §. 4. *num.* 3. *App.*

2. Ceſ-

(*a*) Quoad vim directivam, *inquiunt*, non coactivam. *Vide L.* Digna vox. *Cod. de Legib.*

2. Ceſſat legis obligatio, *ceſſante fine* ob quem lata eſt: ſed fine *adæquato* & *totali*, idque non in *particulari* tantùm, ſed *univerſaliter* ac reſpectu omnium; ſi enim ceſſet dumtaxat in uno, aut paucis ſubjectorum, non idcircò deſinet lex eos obligare; niſi tamen in his ita ceſſet (*a*) ut legis obſervatio jam non modò non conducat ad finem legis, verùm etiam eidem adverſetur.

(*a*) *Tunc dicitur ceſſare* contrariè.

3. Cùm lex eadem qua lata eſt, vel ſuperiori auctoritate expreſsè, vel tacitè *revocatur*; quia in re certum eſt (*b*) peccare populum ſi *ſine juſta cauſſa non recipiat legem à principe promulgatam*; præterea legis firmitatem à *populi acceptatione* plerumque non pendere, ita ut fruſtrà reſiſtat, niſi fortè legislator ea occaſione ita *conniveat*, ut ipſa diſſimulatio tacita quædam legis *revocatio* videatur.

(*b*) *Ex Prop.* 28. Alex. VII.

4. Ceſſat legis vinculum, cùm per *non uſum*, vel *conſuetudinem* legitime præſcriptam *abrogatur*: poteſt ſanè *non obſervantia* populi unà cum *conniventia* principis legem in totum *abrogare*, ſæpiùs etiam eidem ex parte aliqua *derogare*, idque non ita longo temporis ſpatio: poteſt quoque *via præſcriptionis*, legem *humanam* (at minimè *naturalem*, aut *divinam*) abolere *conſuetudo* contraria.

5. Denique *in particulari* nonnumquam ceſſat, *Diſpenſatione*, aut *Privilegio*, item *Epiikia*, *& interpretatione*.

Q. 14. *Qualis quantaque eſt vis* CONSUETUDINIS?

℞. Talis ac tanta, ut non modò legem, tametſi ab initio *utilem*, poſſit abrogare, verùm etiam ubi & rationi conſona & jam pridem cum *obligationis perſuaſione* ſuſcepta eſt, legem novam valeat *introducere*. Et quamvis nihil roboris habeat adversùs ea quæ omninò

juris

juris *divini* ſunt, aut *naturalis*, ſi tamen, leges aliquæ *mixtæ* ſint ex *humanis* & divina, aut naturali, uti in *canonibus* nonnumquam uſu venit; poſterioribus hiſce intactis, quidquid ibi juris *humani* eſt, contraria conſuetudine certum eſt poſſe abrogari. Res utrobique ab *errore* plerumque incipit, & ubi de lege per conſuetudinem abroganda agitur, hæc ipſa multorum *delicto* frequenter inchoatur.

Non mox tamen cenſenda eſt *conſuetudo* legem ſuſtuliſſe, ſi hanc *multi* cœperint impunè violare: ſed præterquam quod *rationabilis* ea eſſe debeat, id eſt, neque juri divino, neque bono communi, neque Eccleſiaſticæ libertati *contraria*, debet inſuper *bona fide*, legislatore *non contradicente*, eſſe continuata, & *legitimo tempore* præſcripta; puta contra legem civilem ſpatio *decem* annorum, contra canonicam *quadraginta*; niſi quod *via conniventiæ* tempus aliquod brevius ſufficere ſoleat. Poteſt autem conſuetudo adverſus legem eſſe *rationabilis*, etſi ipſa lex ab initio juſta & rationabilis fuerit: immò & legem vincere poteſt, tametſi nondum ceſſent *rationes*, ob quas ab initio *utilis* fuerat; uti ex innumeris legibus pridem *antiquatis*, quæ adhuc hodiè *utiliter* ſervarentur, certum & evidens eſt. At (*a*) ſi adhuc maneat *eadem ratio*, ob quam *neceſſe* olim fuit legem condere, ita ut eadem uſque hodiè *neceſſitas* perſeveret; *non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincet*: quippè cùm hæc, *rationabilis* tunc dici non poſſit.

(*a*) *Sic intelligi debet* S. Th. *1. 2. q. 97. art. 3. ad 2.*

Cæterùm uti generale axioma eſt, *conſuetudinem optimam eſſe legum interpretem*, ita planè tenendum eſt *diuturnam* conſtantemque *Eccleſiæ praxim* ac conſuetudinem cum piorum ſenſu, optimam, in rebus ad eccleſiaſticam *diſciplinam* pertinentibus, regulam, legem & normam

Digitized by Google

mam eſſe, ac talem quidem contra quam non niſi *ſophiſmatis* diſputari poſſit.

Q. 15. *Quid ſentiendum de* DISPENSATIONE, *qua, ſtante legis vinculo, obligatione ejus aliquis ſingulatim eximitur?*

℞. Hæc à legis prævaricatione excuſat, ſi *legitima* auctoritate data, & *juſta de cauſſa* fuerit impetrata; alioquin à peccato immunis non erit, neque qui temerè conceſſerit, neque qui ſine ratione poſtularit. Ad hæc, ſi ſine *juſta cauſſa* lege *ſuperioris* aliquem ſolvat *inferior*, *invalida* erit diſpenſatio; quæ ſi in lege *propria*, vel inferioris ſic data fuerit, illicita quidem, ſed *valida* haberi ſolet à Theologis. In hunc igitur ſenſum, neque aliter, intelligenda ſunt hæc *S. Bernardi* (*a*) verba: „ Quid, inquis, prohibes *diſpenſare*? non, „ ſed diſſipare. Non ſum tam rudis ut ignorem „ poſitos vos *diſpenſatores*, ſed (*b*) in *ædificationem*, non in *deſtructionem*... ubi *neceſſitas* urget, *excuſabilis* diſpenſatio eſt: ubi „ *utilitas* provocat, diſpenſatio *laudabilis* eſt; „ utilitas, dico, *communis*, non propria. Nam „ cùm nihil horum eſt, non planè fidelis *diſpenſatio*, ſed crudelis *diſſipatio* eſt.

(*a*) *Lib. 3. de Conſider. c. 4.*
(*b*) *2. Cor. 10. 8.*

Jus & *facultas diſpenſandi* non tantùm penes *legislatorem* eſt, ſed & penes *ſucceſſorem*, atque eum etiam qui his eſt juriſdictione *ſuperior*: atque hi omnes, aliis quoque eam poſſunt *delegare*. In *ſubitis* quibuſdam & *improviſis* eventibus à lege ſuperioris ſolvere nonnumquam valent prælati *inferiores*: at hæc Regula admitti non poteſt, tunc ſemper poſſe, quoties ſuperior diſpenſandi facultatem ſibi *expreſſè* non reſervaverit. In legibus *Conciliorum* generalium *Papam* diſpenſare poſſe extra controverſiam eſt. Nec *temeritate* vacaret qui fideles *inquietatos* vellet de *ſufficientia* cauſſæ, ob

ob quam hujuſmodi diſpenſationem obtinuerint: *prudentiæ* tamen ſæpè fuerit diſpicere an *cauſſa* Pontifici ſuggeſta reipſa *ſubſtiterit*.

Subreptio, id eſt, veritatis reticentia, & *obreptio*, ſive falſitatis expreſſio, diſpenſationi officere ſolent, ſed hæc longè frequentiùs & vehementiùs. Utraque diſpenſationem tunc reddit *invalidam*, quando *conſenſus* diſpenſantis in caſum *qualis proponitur*, non niſi contra rationem & veriſimilitudinem, aut contra receptum *uſum*, extendi poteſt ad caſum qui *revera exiſtit*; quod quidem verum eſt, etiamſi impetrans *bona fide* proceſſerit: atque hoc ſibi velle cenſenda eſt particula, quæ vel expreſsè inſeritur, vel tacitè ſubauditur: *ſi preces veritate nitantur*.

Ceſſante denique *cauſſa finali* diſpenſationis, hoc ipſo quoque, ac ſemper *ceſſare* videtur ipſa *diſpenſatio*; hactenus ſaltem, ut peccaturus ſit, qui ea poſtmodum *uti perget*.

Q. 16. *Quomodo* diſpenſatio *differt ab* INTERPRETATIONE *legis*, *item ab* EPIIKIA?

℞. *Diſpenſatio*, uti ex jam dictis intelligi poteſt, legem relaxat in aliquo *particulari*, quod & *verbis* legis & *mente* legislatoris generaiim continebatur: *interpretatio*, legis obligatione intacta, *ſenſum* ejus exponit; *Epiikia*, ne ſummum jus ſit ſumma injuria, per *æquitatem* quamdam contra *verba* & *ſenſum* legis nititur, ut ſequatur potiùs mentem legislatoris, quam hic habuiſſet, vel habere debuiſſet, ſi hunc, vel illum caſum prævidiſſet. Prior igitur illa *ſuperiori* poteſtate indiget; non item (*a*) poſteriores.

(*a*) *Axioma juris*: Ejus eſt interpretari legem cujus eſt condere, *intelligitur de interpretatione* juridica.

Communis *Doctorum* interpretatio magni haud dubiè ponderis eſt, uſque adeò ut dum Eccleſia & Reſp. *non contradicit*, non modò indicium præbeat quis ſit legum & canonum ſen-

ſenſus ; *ſed* etiamſi fortè alius ab initio fuiſſet, cenſeri poſſit jam talis ſenſus eſſe ; præſertim ſi mores & *conſuetudo* acceſſerint.

Pro *declarationibus Cardinalium* hoc ſingulare eſt, quòd iis nemo urgeri poſſit, neque iis *fidem* in judicio, vel extra adhibendam velint Pontifices, niſi in forma (*a*) *authentica* proferantur.

Q. 17. *Quæ pro canonum legumque* interpretatione Regulæ *annotari poſſunt?*

℟. Has ex utroque potiſſimum jure collectas breviterque congeſtas, utiliter annotari poſſe cenſuimus : 1. Anima legis & generaliſſima interpretandi norma eſt ÆQUITAS; quapropter ſcire leges, non hoc eſt *verba* earum tenere, ſed *vim ac poteſtatem*, potioremque in omnibus *æquitatis* & *juſtitiæ* quàm *ſtricti juris* oportet eſſe rationem ; & quamvis non facilè recedi oporteat ab eo jure quod *diu æquum* viſum eſt, nihilque facilè mutandum ſit ex *ſolemnibus*, ubi tamen *æquitas evidens* poſcit, ſubveniendum eſt. At ubi verba legis *clara* ſunt, ſententia & æquitas *incerta* ; verborum *proprietati* inhærendum eſt, adeò ut minimè mutanda ſint, quæ *interpretationem certam* ſemper habuerunt.

2. Ubi porrò *ratio legis* inquiritur, memoria tenendum eſt, non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt, aptam ſemper rationem reddi poſſe. Leges interim per interpretatio-nem

(*a*) *Ad hoc neceſſe eſt, ut eam Secretarius congregationis* ſubſignaverit, *& Præfectus* ſigillo *ſuo munierit.*

Sunt complures Romæ Congregationes hujuſmodi. Alia pro ſacris ritibus *& cæremoniis : alia pro* Epiſcopis & Regularibus *: alia pro* S. inquiſitionis officio *: alia pro* interpretatione Concilii Trident. *quæ præcipua eſt, ejuſque declarationes authenticæ, ſi meram interpretationem contineant, vim legis habere cenſendæ ſunt.*

Digitized by Google

nem produci ſolent ad *caſus emiſſos*, ut ubi eſt eadem ratio, licet verba legis ceſſent, idem tamen ſit jus : & quidquid nova aliqua lege non videtur *expreſſum*, id veterum legum conſtitutionumque regulis intelligatur eſſe *relictum*. Quod autem non ratione introductum, ſed *errore* primùm, deinde *conſuetudine* obtentum eſt, in aliis *ſimilibus* non obtinet; neque quod contra rationem juris receptum eſt, trahendum eſt *ad conſequentias*; neque quod alicui *gratiosè* conceditur, trahi debet ab aliis *in exemplum*. *Pœnales* quoque leges non debent interpretatione augeri.

3. In *dubiis* ſemper *benigniora* præferenda ſunt; modò benignior iſta interpretatio & vitio careat, & juris correctionem non inducat. Quæcumq; enim *derogant* juri communi, *ſtrictè* interpretanda ſunt. Unde *Privilegia* non niſi urgenti ratione concedenda, & ſollicitè moderanda ſunt, ut ad æqualitatem & ad publicam utilitatem leges felicius dirigantur. Privilegium tamen, aut gratia non extinguitur *morte concedentis*; verùm ſimul atque incipit iniquè lædere Remp. vel etiam ſingulos; ſi non ipſo jure ceſſet, certè meritò revocatur. Hoc etiam adjungi debet, id quod *favore* aliquorum conſtitutum eſt, haud æquum eſſe ut ullo unquam caſu ad eorum *læſionem* inventum eſſe videatur.

4. Leges *futuris* dant formam negotiis, non etiam ad *præterita* revocantur. In his etiam quædam, quamvis *prohibeantur* fieri, facta tamen tenent. Ea quæ *rarè* accidunt, vix à Legiſlatoribus attenduntur : at *impoſſibilium* nulla uſquam obligatio eſt, quæque *rerum natura* prohibentur, nulla unquam lege firmantur. Non eſt etiam dubium in legem committere eum, qui *verba* legis amplexus, contra legis nititur *voluntatem*.

5. Sum-

5. Summa ratio eſt quæ pro *Religione* facit; nam quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, falluntурque qui humanis imperiis & legibus, ac non potiùs *divinæ ultionis metu* Reſpublicas contineri exiſtimant.

CAPUT XXX.

De Præceptis Ecclesiæ.

Quæſtio I. *Quot recenſeri ſolent* Præcepta Ecclesiæ?

℟. Varia quidem ſunt, ſive per *Conciliorum*, aut *ſummorum Pontificum* conſtitutiones ſtabilita, ſive recepta pridem *conſuetudine* introducta: *quinque* tamen ceteris celebriora recenſentur, quæ omnibus ſcitu & obſervatu ſunt neceſſaria. Sunt autem hæc:

1. *Statutos Eccleſiæ* FESTOS DIES *celebrato*.

2. *Sacrum* MISSÆ *officium diebus Feſtis reverenter audito*.

3. *Indicta certis diebus temporibuſque* JEJUNIA *& à quibuſdam cibis abſtinentiam, obſervato*.

4. *Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate quotannis* CONFITETOR.

5. *Sacroſanctam* EUCHARISTIAM *ad minimùm ſemel in anno, idque circà feſtum* PASCHÆ *ſumito*.

Q. 2. *Debetne Chriſtianus ultra* præcepta Decalogi, *hæc quoque præcepta ſervare?*

℟. Jam ſatis ſuprà declaratum eſt, hominem, etiam *Chriſtianum*, juſtis legibus *humana* auctoritate ſancitis, tametſi ad *civilem* tantùm gubernationem pertinerent, ex animo obedire debere, ne alioquin prævaricationis reus

reus ſit *coram Deo*; quanto ergo magis ſervare oportet, & non ſecùs ac Divina Præcepta ſuſcipere atque amplecti, ea quæ ab *Eccleſiæ Præpoſitis* divino Spiritu dirigente ſalubriter conſtituta ſunt? De his enim Chriſtus ait: (*a*) *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit*. Monet etiam Apoſtolus *Paulus*: (*b*) OBEDITE *Præpoſitis veſtris, &* SUBJACETE *illis*. Et de ipſo ſcriptum eſt: (*c*) *Perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias*, PRÆCIPIENS CUSTODIRE *præcepta Apoſtolorum & Seniorum*.

(*a*) *Luc.* 10. 16.
(*b*) *Hebr.* 13. 17.
(*c*) *Act.* 15. 4. & c. 15. 4.

Jam pridem à multis ſæculis, in (*d*) AERIO velut hæretica reprobata eſt illa ejus opinio, qua leges Eccleſiaſticas nullam *conſcientiis* obligationem adferre contendebat.

(*d*) *Vide* S. Epiph. *hæreſ.* 75.

Q. 3. *Quid injungit* PRIMUM *Præceptum Eccleſiæ: Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato?*

℞. Ut dies *Dominicos* ceteroſque vel recolendis *Fidei* noſtræ myſteriis, vel *Sanctorum* memoriis celebrandis ſpecialiter deputatos, cum abſtinentia ab operibus *ſervilibus*, ſanctè ac piè tranſigamus.

Vide ſuprà p. 3 *cap.* 12. & S. Th. 2. 2. *q.* 111. *art.* 4. *ad* 3. & *ad* 4.

Q. 4. *Graviterne obligat hoc præceptum?*

℞. Dubitari non debet (*e*) quin præceptum ſervandi feſtos dies, obliget fideles *ſub mortali*, etiamſi *ſcandalum* ſeponatur, abſitque *contemptus*.

(*e*) *Ex Prop.* 52. Innoc. XI. *quam vide* §. 22. *num.* 1. *App.*

In hanc rem *S. Pius V.* (*f*) antiquorum canonum ſtatuta renovavit, & ſanxit, ut omnes dies dominici & feſti "cum omni veneratione obſerventur; & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, divinis officiis devotè intendant, ab omni *illicito* & *ſervili* opere abſtineant, *Mercatus* non fiant, profanæ *negotiationes* & *judiciorum* ſtrepitus conquieſcant. Concilium *Mediol.* I. (*g*) ſub *S. Carolo Borrom.* ita decrevit: "Maximam

(*f*) *Conſtit.* 5. *qua incipit*, cùm primùm. §. 7.

(*g*) *Conſtit. par.* 1. *Tit. ult. de feſtor. dier. cultu.*

Digitized by Google

„ in eo diligentiam ac ſtudium Epiſcopi po„ nere debent, ut dies feſti piè ſanctèque ob„ ſerventur ab omnibus. Cùm enim ii potiſ„ ſimùm ad celebrandas Dei & ſanctorum lau„ des ſalutariter inſtituti ſint, curandum eſt „ etiam diligenter, ut ne iis ipſis quiſquam ad „ divinam offenſionem & animæ ſuæ perniciem „ abutatur. Prohibeant igitur, ne *illiberales* „ *artes* exerceantur, aut ullum opus fiat ab eo „ tempore alienum. Ne quid *ematur*, aut *ven*„ *datur*, præter id quod ad *victum* illius diei, „ vel ad *ægrotorum* curationem neceſſarium „ ſit. Ne *officinæ* aut omninò, aut aliqua ex „ parte, *apertæ* habeantur. Ne fiant *nundinæ*; „ ſed quæ feſto die fieri conſueverint, in an„ tecedentem, vel ſequentem diem, qui feſtus „ non ſit, *transferantur*. Qui ſecus fecerit, „ ſeverè plectatur Epiſcopi arbitratu. Iis et„ iam diebus ſtudebunt Epiſcopi, ne (a) *per*„ *ſonati* homines incedant. Ne *ludi* equeſtres, „ *certamina*, aut alia ludicra & inania *ſpecta*„ *cula* adhibeantur: *Choreæ*, *ſaltationes* in ur„ bibus, ſuburbiis, oppidis, vicis, aut uſ„ quam omninò ne agantur. Doceant verò „ populum, debere unumquemque eo potiſſi„ mùm tempore in *divinis officiis*, & *concioni*„ *bus* audiendis frequentem eſſe: ac in *precibus*, „ recolendiſque Dei maximis *beneficiis* aſſiduè „ verſari.

(a) *Id eſt* perſona *ſive* larva *induti*.

De eadem hac re expreſſiùs diſertiuſque ſtatutum eſt in Concilio *Mediol. III.* (b) „ Quo„ niam autem uſu jam hac in provincia com„ pertum eſt, depravatis his temporibus & mo„ ribus, ad *Choreas*, *tripudia*, *ſaltationes*, & „ id genus alia *numquam ferè* conveniri ſine „ multis, & iis quidem graviſſimis *Dei offen*„ *ſionibus*: idque cum ob turpes *cogitationes*, „ obſcæna *dicta*, inhoneſtas *actiones*, morum

(b) *Tit. 1. de feſtor. dier. cultu.*

„ cor-

„ corruptelas, & perniciosas ad omnia opera „ carnis *illecebras*, illis perpetuò conjunctas: „ tùm propter *cædes*, *rixas*, *diſſidia*, *ſtupra*, „ *adulteria*, aliaque mala plurima inde conſe- „ quentia quàm ſæpiſſimè. His tot offenſionum „ & *peccatorum Seminariis* locum dari iis præ- „ ſertim diebus, qui *dies propitiationis* ſunt, & „ iis ipſis diebus fideles pleroſque nefarii iſtis „ ſatanæ blanditiis illectos, à *divinis officiis*, „ religioſis ſupplicationibus, *lectionibuſque* ſa- „ cris abduci, avertique rudes à percipiendis „ *fidei rudimentis*, alioſque ab aliis Chriſtia- „ ne pietatis officiis, in quæ eo tempore re- „ ligiosè incumbendum eſt, abſtrahi & amo- „ veri; hoc certè graviſſimum eſt in conſpe- „ ctu Dei & Eccleſiæ. Quare feſtis iis die- „ bus, *ſaltem horis* quibus divina celebrantur „ officia, interdicimus, ne ſaltationes, tripu- „ dia, choreæ ducantur aut fiant. Ne item co- „ mœdiæ, ludi ſcenici vel theatrales, haſtilu- „ dia, & alia cujuſvis generis ſpectacula agan- „ tur. Ne circumforanei circulatores, & id „ genus nebulones, præſtigias ſuas, inaniaque „ ſpectacula agant, neque quidquam omninò „ vendant, ne *medicamenti* quidem prætextu.

Quod attinet ad *iter faciendum* diebus hujuſmodi, de ea re in *Concilio Mediol. V.* (a) ita ſancitum eſt: „ Ne quis diebus Dominicis fe- „ ſtiſque ex urbe, oppido, aliove loco, cùm „ *iter facturus* eſt, ante diſcedat, quàm *Miſſæ* „ *ſacrificio* interſuerit, niſi ad eum locum pro- „ ficiſcatur, ubi in tempore intereſſe poſſit. „ *Eccleſiaſtici* verò homines quicumque ſint, „ & ii præſertim qui divinorum officiorum ce- „ lebritatibus *in choro* adeſſe debent, videant, „ atque adeò caveant, ne ſacris illis diebus, „ quos in Dei laudibus Religioſiſque pietatis „ officiis, & in Eccleſia, potiſſimùm à clero „ con-

(a) *Conſtit. par.* 1. *Tit. qua ad dies feſt. & ſacra temp. pertinent.*

„ conſumi oportet, *iter*, niſi *ob urgentem cauſ-*
„ *ſam*, ſuſcipiant : ut hoc eorum exemplo ex-
„ citati fideles, ſacris illis diebus à divinis of-
„ ficiis *opere itinerario* non avocentur.

Q. 5. *Quænam opera diebus feſtis per ſe* licita *ſunt, quomodo autem ea quæ prohibita ſunt, licita fieri poſſint?*

℟. Licita *per ſe* ſunt omnia quæcumque ad *divinum cultum* propriè pertinent, quo ſenſu à Chriſto dictum eſt (a) *Sacerdotes in templo ſabbatum violare, & ſine crimine eſſe.* Addit *S. Thomas* (b) nullius etiam *ſpiritualis actus* exercitium (puta ſi quis *doceat* verbo, aut *ſcripto*) eſſe contra obſervantiam ſabbati.

(a) *Matth.* 12. 5.

(b) *Art.* 4. *ad* 3. *cit. q.* 122.

Cætera opera etiam *ſervilia* & *manualia* licita fieri poſſunt, cùm hæc duo concurrunt, ut & *neceſſitas* urgeat, & legitima ſuperiorum *conceſſio* impetretur, ſi ad hanc obtinendam ſufficiens mora temporis ſuppetat. „ Opus corporale, inquit *S. Thomas*, (c) quod ordinatur ad imminens *damnum* rei exterioris vitandum, non violat ſabbatum; unde dicit *Dominus Matth.* 12. Quis erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & ſi ceciderit ſabbato in foveam, nonne tenebit & levabit eam?

(c) *Loco cit. Vide* Catech. Rom. & *cap.* licet *de feriis.*

Cæterum agricolis & opificibus illis, qui præ nimia victus ſollicitudine, aut, quod pejus eſt, lucri cupiditate, ſæpè dies feſtos, ſine legitima ſuperiorum conceſſione, ſervili labore profanant, ſeriò inculcandum eſt, peſſima eos via niti, ut paupertatem effugiant, aut divitias conſequantur: (d) *Niſi* enim *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*

(d) *Pſal.* 126. 1.

Q. 6. *Quinam præ cæteris violati hujus præcepti rei fiunt, tranſgreſſoribus* COOPERANDO?

℟. *Superiores*, ſive Eccleſiaſtici, ſive Civiles, ſive Domeſtici, qui cùm impedire poſſint

ac

ac debeant, minimè impediunt, ſed vel hortantur, aut jubent; vel certè patiuntur & connivent. *Eccleſiaſtici*, ut parochi, aliique quibus animarum cura commiſſa eſt; qui vel tacent, vel denuntiare negligunt graviores abuſus qui irrepſerint, quoſque ipſi ſatis per ſe impedire non poſſint. *Civiles*, ut principes & Magiſtratus, qui per ſe, vel ſuos, fovent tranſgreſſores, vel juxta canonum legumque ſanctiones corrigere & emendare negligunt delinquentes: vel, quod intolerabilius eſt, eis certa mercede vendunt impunitatem. Denique *domeſtici*, id eſt, patres matreſque familias, quibus olim mandavit Deus; (a) *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena qui eſt intra portas tuas.* *(a) Exod.* 20. 10.

De *feſtis diebus* eorumque myſteriis mox infrà diſertiùs.

Q. 7. *Quid ſibi vult* SECUNDUM *Præceptum*: Sacroſanctum Miſſæ Officium diebus Feſtis reverenter audito? *Vide To. I. P. I. ſect. 2. cap. 7. & 8.*

℞. Præſcribit modum, quo Feſti dies celebrandi ſunt, ut nempè præter abſtinentiam ab operibus ſervilibus unuſquiſque *integro* (b) *Miſſæ officio* cum *reverentia* & attenta devotione interſit, niſi fortè, vel *nullo modo*, vel ſaltem non ſine *gravi* admodum *incommodo* poſſit intereſſe. *(b) Vide Prop. 53. Inno. XI qua eſt 2. §. 22. App.*

Sacroſancta autem Synodus Tridentina mandat Epiſcopis, ut populum moneant, (c) *ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & majoribus Feſtis accedant.* Alioque loco injungit: ut diligenter moneant, (d) *Teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commode fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Quod malè jam paſſim videmus eſſe neglectum. *(c) Seſſ. 22. Decret. de obſerv. in celeb. Miſſ.* *(d) Seſſ. 24. Ref. cap. 4.*

Digitized by Google

Vide S.Th. 2.2.q.147. Q. 8. *Quid exigit* TERTIUM *Præceptum: Indicta certis diebus jejunia & à quibuſdam cibis abſtinentiam obſervato?*

℞. Ut in *Quadrageſima*, *quatuor* anni *temporibus*, & feſtorum quorumdam ſolemnium pridianis diebus, quos majores noſtri, quòd iiſdem temporibus in templis noctu pervigilaretur, *Vigilias* appellarunt, à quibuſdam cibis *abſtineamus*, & *unica* in die *refectione* contenti vivamus frugaliùs.

Q. 9. *Quorſum illa* a quibuſdam cibis *abſtinentia?*

(a) Lib. 30. contra Fauſt. cap. 5. ℞. „ Catholici, inquit, *S. Auguſtinus* (a) „ quòd à *carnibus* abſtinent, *edomandi corporis* „ cauſſa id faciunt, propter animam ab irra„ tionalibus motibus ampliùs humiliandam: „ non quòd carnes eſſe *immundas* credant.„ Quin hanc immunditiæ perſuaſionem Catholica Chriſti Eccleſia ſemper damnavit, (b) in Judæis, *Manichæis*, & *Priſcillianiſtis*.

(b) Vide 1. Tim. 4. 3. & 4. Tit. 1. 15. Eccleſiaſtica itaque jejunia non alio intuitu, aut mandantur, aut ſuſpicienda ſunt, niſi ut carne *edomita*, ſpirituique *ſubjecta*, Religioſior Deo *cultus* exhibeatur, *obedientia* exerceatur, digni *pænitentiæ* fructus præſtentur, ac demùm abundantiora divinæ *gratiæ munera* percipiantur.

Atque eximii hi jejuniorum FRUCTUS, præcipuam rationem continent, cur in Sacris Literis tam multiplicibus & *verbis* & *exemplis* inculcentur, atque ipſemet Chriſtus Salvator affirmet, (c) fore ut cùm ipſe ſponſus diſcipulis ſuis maximè dilectis ablatus fuerit; tùm illi, tametſi Spiritu Sancto pleni, jejunaturi ſint. *Exhibeamus noſmetipſos*, inquit Apoſtolus, (d) *ſicut Dei miniſtros in multa patientia* .... *in vigiliis, in* JEJUNIIS, *in caſtitate*. (e) *Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis.*

(c) Matth. 9. 15. Act. 13. 2.

(d) 2. Cor. 6. 4.

(e) Galat. 5. 24.

Digitized by Google

Q. 10. *Obligatne* GRAVITER *hoc Eccleſiaſtici jejunii præceptum?*

℞. Obligat utique eouſque, (*a*) ut *frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur*, peccet *mortaliter*; tametſi id neque *ex contemptu*, neque ex hujuſmodi *inobedientia* faciat, qua *nolit ſe ſubjicere præcepto*.

(a) Vide Prop. 23. Alex. VII. eſt 3. §. 22. App.

Porrò is quoque (*b*) jejunium fregiſſe cenſendus eſt, qui eo die, quo præcepto hoc obligatur, ſæpiùs modicum quid comedit, ſi id tandem, intra eumdem diem, *notabilem quantitatem* conſtituat. Propoſitiones harum duarum *contradictoriæ*, ab *Alex. VII.* meritò reprobatæ ſunt.

(b) Vide Prop. 29. ibid. quæ eſt 4. cit. loco App.

Q. 11. *Quodnam præ cæteris jejunium ſingulari Sanctorum Patrum commendatione celebratum ſemper fuit?*

℞. Jejunium QUADRAGESIMALE, quod ad exemplum non tantùm (*c*) *Moſis* & (*d*) *Eliæ*, ſed ipſius etiam (*e*) *Salvatoris* noſtri, qui 40. diebus in deſerto jejunavit, inſtitutum, ex Apoſtolica traditione manaſſe (*f*) Patres docuerunt.

(c) Exod. 24. & 34.
(d) 3. Reg. 19.
(e) Matth. 4. 2.

Cæterùm ſolemne hoc jejunium ex vetuſtiſſimo uſu *Paſchæ* præmittitur, ut fideles ſacro hoc quadraginta dierum numero, per dignos *pœnitentiæ fructus*, & oblatas Deo totius anni *decimas*, expiati, Paſchalem Feſtivitatem, *in vitæ novitate* digniùs celebrent.

Q. 12. *Eſtne eadem hodiè, quæ fuit olim jejunandi* DISCIPLINA?

℞. Nullo modo; ſed jejuniorum antiquus *rigor* benigna Matris Eccleſiæ conniventia, plurimùm hodiè eſt *relaxatus*. Olim totam penè Quadrageſimam *pane* plerumque & *oleribus* tolerabant.

O 3

(*f*) S. Hieron. *Ad Marcellam.* S. Epiphan. *hæreſ.* 75. S. Auguſt. *multis locis, præcipuè Serm.* 207. *vel* 71. 208. *vel* 72. 210. *vel* 74. S. Leo *ſerm.* 6. & 9. *de Quadrag. &c.*

Digitized by Google

lerabant, *Vino* etiam ſibi plerique interdicebant. *Potus omnis* (a) extra tempus refectionis, ad majorem carnis afflictionem *prohibitus* habebatur. Jejunium ad *veſperam* ſolvebatur: quod adhuc ſuo tempore (id eſt, poſt annum 1100.) in uſu fuiſſe teſtatur (b) *S. Bernardus*. Aliis extra Quadrageſimam jejunii diebus, hora poſt meridiem *tertia* rumpebatur. Nulla iis nota erat *collatiuncula*, ſive cœnula veſpertina, quam recentior uſus invexit.

(a) *Vide* Prudent. *hymn. de S. Fructuoſo & Sociis.*
(b) S. Bernard. *ſerm.* 1. *de Quadrag.*

Refrigeſcente charitate, jejuniorum & abſtinentiæ fervor paulatim (c) refrixit, ut primùm (d) hora *tertia*, deinde in *meridie* (prout fit hodiè) jejunium abrumperetur. Senſim etiam *lacticiniorum* eſus in ipſam quoque Quadrageſimam *multis locis* (e) irrepſit. Adjuncta denique *cœnula veſpertina*; adeò ut minimè exiſtimare quis debeat, magnum aliquid ſe feciſſe, ſi has *temperantiæ* potiùs quàm *rigidioris abſtinentiæ* leges, utcumque ſervarit.

(c) *Magis tamen in Eccleſia* occidentali, *quàm in* Orientali.
(d) *Vide* S. Th. *art.* 7. *qui obiit an.* 1274.

Hodierna igitur in Eccleſia *occidentali* jejunandi *diſciplina*, tria ad jejunium Eccleſiaſticum requiruntur; 1. *Abſtinentia* à certis cibis, qualis locorum *conſuetudine* conſtituta eſt: 2. *Unica refectio* intra tempus cujuſque diei *naturalis*, id eſt, ſpatium 24. horarum. Quocirca graviter delinquit, qui ſecundam ſumit refectionem, & uti nobis probabilius eſt, ſic iterum peccaturus eſt, ſi ſumat deinceps & tertiam, aut quartam; tametſi id certius ſit, toties graviter peccaturum, quoties ſciens & volens veſcetur cibis qui eo die vetiti ſunt. Cæterùm conſuetudo *refectioni unicæ* jam pridem

(e) *Ubi adhuc viget conſuetudo contraria, ibi obligat, & pro lege ſervanda eſt.* Vide Prop. 32. Alex. VII.

Digitized by Google

dem adjunxit, licitamque apud nos fecit *cœnulam* veſpertinam, cujus *menſura* non adeò certa ac generali alicujus ponderis quantitate, quàm recepto piorum *uſu* & ſingulari cujuſque *neceſſitate* penſanda eſt. 3. Certa etiam *refectionis hora* requiritur, cujus anticipatio gravem ſæpè noxam inducit. Licebit interim, ſi cauſſa rationabilis ſuppetat, *collatiunculam* ſumere circa meridiem, cœnamque differre in veſperam.

Quod ad *potum* attinet, *vino* hodiè nulla Eccleſiæ lex interdicit: neque ſecundum *S. Thomam* (*a*) ,, intendit Eccleſia interdicere ,, ſumptionem *potus*, qui magis ſumitur ad alterationem corporis & digeſtionem ciborum ,, aſſumptorum, quàm ad *nutritionem*, licet ,, aliquo modo nutriat; & ideò, inquit, licet *pluries* jejunantibus *bibere*. Addit tamen: ,, ſi quis autem *immoderatè* potu utatur, poteſt *peccare*, & *meritum jejunii* perdere; ſicut etiam, ſi immoderatè cibum in una comeſtione ſumat.,, Nulla interim ratione admitti debet generale hoc axioma: *Liquidum non frangit jejunium*, cùm *liquidum* & *cibi* rationem ſæpè habeat, & *in fraudem legis* adhiberi poſſit. Qua de re ſic ſcribit *Franc. Sylv.* (*b*) ,, ſi aliquis potu copioſiore, qui ,, non eſt merus potus, ſed multùm nutritivus, ,, uteretur extra tempus refectionis cauſſa nutriendi, videtur quòd jejunium frangeret, ,, idque juxta mentem *B. Thomæ* hic ad 3. ,, propter paritatem rationis: cùm enim dicit, ,, *electuaria non ſolvunt jejunium*, ſubdit: *niſi fortè aliquis in fraudem, electuaria in* ,, *magna quantitate aſſumat per modum cibi*, ,, hoc eſt, ad nutritionem, quibus verbis ſatis ſignificat eum, qui ſumeret electuaria in ,, magna quantitate in fraudem jejunii, ſeu

(*a*) *Art.* 6. *ad* 2. ibid.

(*b*) *In hunc art. S. Th.*

„ per modum cibi, fracturum jejunium: quid „ autem intereſt, an quiſpiam extra tempus „ refectionis utatur electuariis pro cibo, an „ verò utatur potu bene nutritivo? „ hactenus *Sylvius*.

Q. 13. *Quinam ab Eccleſiaſticorum* Jejuniorum *lege ſunt* LIBERI?

℞. Quicumque, vel ob ætatis, aut infirmitatis *impotentiam*, vel ob *laboris* neceſſarii magnitudinem, vel ob *pietatem* in proximos impendendam, ſine notabili ſanitatis diſpendio jejunare non poſſunt.

Ob *ætatis* infirmitatem, & neceſſariam corporis accretionem, eos qui nondum *vigeſimum primum* ætatis annum expleverunt, cum (a) *S. Thoma* communis hodiè fidelium ſenſus à *ſtricta* Jejunii lege excuſare videtur. Monet ille interim, ad Jejunium adoleſcentes illos tempeſtivè eſſe *exercendos*, *plus*, *vel minùs ſecundùm modum ſuæ ætatis*; maximè cùm in iis principalis jejunii finis, ob ætatis fervorem, ita non rarò locum habeat, ut ex ipſo *naturalis* legis præſcripto ferocienti corpori pabulum ſubducere teneantur. „ De *ſenibus*, inquit (b) „ *Sylvius*, non eſt dubium, quin à jejunio „ excuſentur, quando per ætatem ſunt imbe„ cilles; ſed non eſt certum aliquod tempus „ præfinitum; quidam enim ſeneſcunt citiùs, „ alii tardiùs: poſt *ſexageſimum* tamen annum „ communiter poſſunt excuſari, niſi adhuc ap„ pareant ſufficienter vegeti, & ad jejunium „ apti ſine incommodo. Eodem *impotentiæ* nomine mulieres *prægnantes* & *lactantes*, à jejuniorum obligatione paſſim eximi ſolent, præſertim ſi *medicorum* judicium acceſſerit. Nonnumquam etiam *pauperes*, qui nempe quod uni *juſtæ refectioni* ſatìs ſit, uno eodemque tempore obtinere non poſſunt.

(a) *Art. 4. ad 2.*

(b) *Art. 4. ibid.*

Quod

Digitized by Google

Quod ad *laborem* attinet, videndum eſt ſitne is ita gravis, ut cum jejunio componi non poſſit; neque enim generatim ſtatui poteſt (*a*) *omnes officiales qui in Rep. corporaliter laborant*, vel (*b*) *omnes qui iter faciunt, utcumque iter agant*, & etiamſi iter *neceſſarium non ſit*, ab obligatione jejunii eſſe immunes: hæc utique ab *Alex. VII.* jure proſcripta ſunt.

(*a*) *Vide Prop.* 30. Alex. VII. *quæ eſt* 5. §. 22. *App.*
(*b*) *Vide Prop.* 31. ibid.

Pietate in proximos impenſa, & *majori*, quod ex officio, vel ex charitate procurant, *bono*, excuſari (*c*) poſſunt concionatores, doctores, confeſſarii, ægris diu noctuque miniſtrantes, ceterique incumbentes in officia pietatis, quibus vires corporis valdè debilitantur & exhauriuntur; niſi ex circumſtantiis perſonarum ſatis appareat, eas non incommodè poſſe utrumque præſtare.

(*c*) *Vide* Sylvium *loco cit.*

Etſi porrò ob ſupradictas cauſſas à jejunii lege immunis quis fuerit, non licebit ei tamen (dempta magna morbi neceſſitate) *carnibus* veſci, aliiſque cibis interdictis, niſi legitimam Superioris *diſpenſationem* obtinuerit. Quibus è contrariò juſta de cauſſa conceſſum fuerit, ut, urgente jejunii lege, *carnibus veſci* poſſint, non continuò indultum eſſe credendum eſt, ut *plures* etiam eo tempore ſumere poſſint *refectiones*; hæc enim duo, rationes habent diſparatas.

Q. 14. *Quid ſibi vult* QUARTUM *Eccleſiæ Præceptum:* Peccata tua Sacerdoti proprio quotannis confitetor?

℞. Injungit, ut *omnes fideles* utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, *ſemel ſaltem* in anno Sacerdoti *legitimam auctoritatem* obtinenti, peccata omnia *mortalia* corde ſincero, humili ac pœnitenti confiteantur. Quod quidem Præceptum ſæpè per anni decurſum, ſed potiſſimùm circà Feſtum Paſchæ, ad

Digitized by Google

dignam Dominici Corporis perceptionem, fidelium devotio implere conſuevit. Cæterum huic Eccleſiæ præcepto minimè ſatisfacere cenſendus eſt, (*a*) qui confeſſionem inſtituit *voluntarie nullam* atque invalidam: neque enim is *pœnitentiam* agere, aut Eccleſiæ obedire, ſed potiùs illudere velle videtur.

(*a*) *Vide Prop.* 14. Alex. VII. *quæ eſt* 8. §. 22. *App.*

Vide quæ de Sacramento Pœnitentiæ ſuperiùs (*b*) dicta ſunt.

(*b*) P. 1. *ſect.* 2. *cap.* IX. & 4. *ſeqq.*

Q. 15. *Quid juſta hodiernum uſum injungitur* QUINTO *Præcepto*: Sacroſanctam Euchariſtiam ut minimùm ſemel in anno, idque circa Feſtum Paſchæ ſumito?

℞. Ut omnes utriuſque ſexus fideles, cùm ad eam ætatis maturitatem pervenerint, ut hujus auguſtiſſimi Sacramenti dignitatem agnoſcere poſſint, ſemel ſaltem in anno Corpus Dominicum (*c*) *pie ſanctèque* percipiant, idque in Eccleſia *Parochiali* ſub qua degunt, intra illud ſpatium temporis quod Dominicis *Palmarum* & in *Albis* terminatur: adeò quidem, ut ſi hanc Communionem annuam ultro neglexerint, per Eccleſiaſticas Sanctiones ab *ingreſſu Eccleſiæ* arceri debeant vivi, mortui verò privari *Eccleſiaſtica ſepultura*.

(*c*) *Vide Prop.* 55. Innoc. XI. *quæ eſt* 9. *ibid.*

De utilitate *frequentis Communionis*, cæteriſque quæ huc pertinent, Vide quæ ſuperiùs (*d*) dicta ſunt, ubi actum fuit de *Sacramento Euchariſtiæ*.

(*d*) P. 1. *ſect.* 2. *cap.* VI.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De Feſtis DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *ceteriſque Eccleſiæ obſervantiis, quæ iſtuc reducuntur.*

JAm ſuprà inſinuata eſt ratio, cur præter *Dies Dominicos* hebdomadatim recurrentes complures per anni decurſum *ſolemnitates*, Eccleſiaſtica auctoritate ſint inſtitutæ; nempe ut diverſis temporibus diverſa religionis noſtræ *myſteria* ſingulari animi attentione recolantur, *Sanctorumque* memoriæ ad *Dei laudem*, noſtrumque *profectum* celebrentur. (*a*) Ut porrò majori cum fructu ſacra illa tempora tranſigantur, non parùm utile erit, ſi quiſque perſpectum habeat, quo potiſſimùm *ſpiritu* in ſingulorum Feſtorum inſtitutione ducatur Eccleſia, quæ ejus *mens* ſit, quis *ſcopus*. Quod quanta fieri poterit brevitate, jam diſcutietur.

Q. 1. *Quibus in rebus meditandis occupatur Eccleſia eo tempore, quod* ADVENTUS *dici conſuevit?*

℞. In memoriam revocat priſcorum Patrum vota ac deſideria, quibus olim *Meſſiæ*, id eſt, *Chriſti* Redemptoris *Adventum* indeſinentibus ſuſpiriis flagitabant. Recolit inſuper *S. Joannis Baptiſtæ* prædicationem, qua ille ad pœnitentiam populum hortabatur, ut eum apparituro propediem *Meſſiæ*, juxta ſuum *Præcurſoris* officium, præpararet. Adjungit etiam recordationem ſecundi *Adventus* Chriſti, quo cum

(*a*) *Vide Catechiſmum Feſtorum Illuſt.* D. Boſſuetii *Epiſcopi Meldenſis*. *De Feſtis fusè tractat* Azorius *Inſtitut. moral. part.* 2 *lib.* 1. *Libro item integro*. Lud. Thomaſſinus. *Videri etiam poteſt* Suarez *de Religione*, *Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *& ſeqq.*

gloria & majeſtate venturus eſt judicare vivos & mortuos; ut ſi necdum *primi* adventus benigniſſima bonitate movemur ad redamandum, *ſecundi* ſaltem juſtiſſima ſeveritate, commoveamur ad metuendum.

Hoc itaque ex mente Eccleſiæ à nobis exigit tempus iſtud, ut *ſancto deſiderio* ad Chriſtum ſuſpiremus, eique corda noſtra *ſalubri pœnitentia* alacriter præparemus.

Tempus hoc ADVENTUS, à quo nunc *annus Eccleſiaſticus* incipit, *quatuor* tantùm *Dominicas* hodiè complectitur, quarum ea ſemper *prima* eſt, quæ propior eſt feſto *S. Andreæ* : latius olim patuit, & ad feſtum uſque *S. Martini* ſe extendit. Variis etiam locis, tribus per hebdomadam diebus, feria nempe II. IV. & VI. hoc ſacro tempore *jejunare* conſueverant plerique fideles, ac præſertim *clerici*, quibus id etiam in nonnullis (*a*) Eccleſiis injunctum fuiſſe reperitur. Nunc apud *occidentales* abſtinentiæ & jejunii illius veſtigia in ſolis ferè *cœnobiis* remanſerunt. Et verò à XII. ferè ſæculis in *Concilio Turonenſi II.*

(*b*) *An.* 566. *Vide P.* I. *Sect.*1.*Cap.* XIV. *q.*2.

(*b*) imperatum fuit monachis, ut toto eo tempore quotidiè jejunarent.

Q. 2. *Quæ eſt mens Eccleſiæ in Feſto* NATIVITATIS DOMINI, *quod* XXV. *Decembris celebratur?*

℟. Ut fideles cum pia animi gratitudine recordentur, Chriſtum Dei Filium, è puriſſimæ Virginis utero, in ſumma *paupertate*, *rigidiſſimaque* anni tempeſtate, *pro nobis* in Bethlehem, *peregrè*, ac in *ſtabulo* natum eſſe, communique infantilium membrorum *imbecillitati* ultrò

(*a*) *Vide Can.* 9. Conc. Matiſcon. *anno* 581. *Simile quid praſcripſiſſe legitur* S. Perpetuus Turonenſis Ep. *annis ferè* 120. *ante hoc Concilium.*

Digitized by Google

ultrò obnoxium, in *præſepi* reclinari voluiſſe: haud dubiè ut nobis, ſuo exemplo, paupertatem ac tolerantiam amabiles redderet.

Cæterum quod in variis olim Eccleſiæ celebritatibus locum habuit, ut plures, ab eodem etiam Sacerdote, *Miſſæ* ſolemniter agerentur, id ex priſco uſu in hac ſola (*a*) ſolemnitate retentum eſt, ut *tres* celebrentur, quarum prima, quæ *ad mediam noctem* pertinet, Chriſtum recens natum exhibet, poſitumque in præſepi. Secunda *in aurora*, memoriam ingerit Paſtorum, qui angeli monitu Salvatorem natum adorarunt. Tertia *hora diei conſueta*, nos commonefacit, infantem illum, qui in tempore è Virgine natus eſt, ab omni æternitate Dei Patris filium eſſe, illi in potentia & majeſtate coæqualem.

(*a*) *Ita ſanxit* Alexand. II. *qui obiit an.* 1073.

Conſtat diverſas olim de *die Natali* Domini fuiſſe ſententias. *Ægyptii*, multique Græcorum, ſæculo III. & IV. celebrabant Chriſti natalem, quo die nos agimus Domini *Epiphaniam*. (*b*) Ætate autem *S. Joannis Chryſoſtomi*, & circa an. 377. conſuetudo latinorum, in Romanæ Eccleſiæ traditione fundata, in Eccleſiam *Antiochenam*, totumque fere orientem ſenſim invecta eſt. Conſtat quoque (*c*) hujus ſolemnitatis pridianum diem, *vigilia* & *jejunio*, jam inde ab anno 402. celebratum fuiſſe.

(*b*) *Vide* Tillem. *Tom. XI. Hiſt. Eccl. p.* 50.

(*c*) *Vide* ibid. *Tom. XIII. p.* 364.

Vide Tom. 1. P. 1. *Cap.* 24. *q.* 3.

Q. 3. *Quid intuetur Eccleſia* 1. *die Januarii in Feſto* CIRCUMCISIONIS DOMINI?

℞. In hac ſolemnitate, quam *Ethnicorum ſuperſtitioni*, quæ eo olim die maximè viguit, opponendam duxit Eccleſia, conſiderat Chriſtum ſacratiſſimi ſui ſanguinis primitias fundentem, dum ultrò ſubit pœnalem illam *circumciſionis* cæremoniam, quam olim Deus Abrahamo ejuſque poſteritati impoſuerat, fu-

turam

turam quidem ſignum fœderis à ſe cum illo initi, ſed unà futuram profeſſionem publicam, originis hominum peccato infectæ : ut ita agnus ille innocens, & impollutus oſtenderet, idcircò ſe veniſſe, ut peccatorum noſtrorum pœnam ipſe portaret, eaque proprio cruore expiaret. Adorandum deinde *Jeſu* nomen illi impoſitum eſt, (*a*) ad quod omne genu flectitur, cæleſtrium, terreſtrium, & infernorum.

(*a*) *Philip.* 2. 10.

Quod porro nobis *prima iſta* recurrentis anni *die* incumbit, hoc eſt, ut *totum* illum, qui inchoatur, *annum* divinæ gloriæ conſecrantes, firmo animi propoſito ſtatuamus, majori quàm antehac ſollicitudine *ſpirituali cordis circumciſioni*, id eſt, pravorum affectuum reſectioni, ſtudere impoſterùm, Deumque miſericordiarum Patrem ſuppliciter deprecemur, ut quod facere decernimus, ipſo donante perficiamus.

Vide loco cit. q. 4.

Q. 4. *Quid ſibi vult Feſtum* EPIPHANIÆ, *quod 6. Januarii peragitur?*

℟. *Epiphania* manifeſtationem ſignificat. Ratio nominis eſt, quòd eo die tria ſimul myſteria recolantur, quibus Jeſu Chriſti gloria manifeſtata fuit, videlicet *Adoratio Magorum*, *Baptiſmus* quem à Joanne Chriſtus accepit, *primumque ejus miraculum*, quo in nuptiis, quibus in Cana Galilææ intereſſe dignatus eſt, aquam in vinum convertit.

Magi, qui ſtellæ ductu ex Oriente venerunt, ut natum Meſſiam cum muneribus adorarent, *gentilium*, id eſt, noſtræ, in Chriſti agnitione, *primitiæ* fuerunt; (*b*) quocircà officii noſtri eſt, hoc præſertim die immenſæ Dei miſericor-

(*b*) „ *Agnoſcamus ergo, dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fideique primitias,* „ *& exultantibus animis beatæ Spei initia celebremus* „ ... *& quem Magi infantem venerati ſunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cœlis. Ac ſicut*

ſericordiæ gratias agere, de *beneficio vocationis* noſtræ ad fidem Chriſtianam atq; Catholicam: orare, ut & *alii* eo perducantur: veræ *ſtellæ ductum* perpetuo ſequi, id eſt, Divinæ inſpirationi cum debita alacritate ſemper obſequi: Denique Chriſto *Jeſu*, in afflictis præcipue membris ejus *eleemoſynarum munera* libenti animo dedicare, potius quam *diſſolutis conviviis* & *comeſſationibus* indulgere.

Q. 5. *Quid peculiare habet Dominica, quæ* SEPTUAGESIMA *appellari ſolet?*

℟. Sicut ea Dominica dies, quæ XL. diebus Paſchæ ſolemnitatem antecedit, in officio Eccleſiaſtico *Quadrageſima* nominatur; ita quæ eam proxime præcedit, *Quinquageſima*; ſuperior, *Sexageſima*; atque hæc tandem, *Septuageſima* nuncupatur. Ab hac porro Dominica deinceps uſque ad Paſcha in *Pſalmodia* & *Liturgia* omittuntur cantus, qui præcipuam quamdam *lætitiæ* ſignificationem habent; puta, *Alleluja*, *Gloria in Excelſis*, *Te Deum*. *Lugubrior* etiam *ornatus* in templis adhibetur. *Primorum* denique *parentum lapſus* eorumque juſta *punitio* nobis ob oculos ponitur. Quæ omnia eo tendunt, ut *exilii* noſtri memores, *in ſpiritu pœnitentiæ* ad inſtantem *Quadrageſimam* nos præparemus, & ab iis *diſſolutionibus* & *exceſſibus* abſtineamus, quos ceu veteris *paganiſmi reliquias*, antiqui ſerpentis aſtutia, in Chriſtiani nominis opprobrium, ad noſtra uſque tempora propagavit.

Q. 6. *Quomodo tranſigi debet* QUADRAGESIMA? *Vide Cap. præced. qu. 11.*

℟. Eccleſiæ hæc mens eſt, is finis ac ſcopus,

„ illi de Theſauris ſuis myſticas ei munerum ſpecies obtulerunt, ita nos de cordibus noſtris, quæ Deo ſunt „ digna promamus. S. Leo *Serm. 2. de Epiph.*

pus, ut carnem per *abſtinentiam* macerantes, ſpiritum ferventiori *oratione* & crebrioribus *eleemoſynis*, ſubdamus Deo. *Tempus* iſtud *acceptabile*, (*a*) *dieſque ſalutis* cum ſancta triſtitia & gemitu, humilique, ac ſincera pœnitentia tranſigamus. Solito frequentius cum docili fide, cordiſque compunctione audiamus *verbum Dei*: myſteria *Paſſionis* & *mortis Chriſti* ſerio pietatis affectu meditantes, ingemiſcamus & indignemur peccatis noſtris, quæ tam atroci Filii Dei ſupplicio cauſſam dedere. (*b*) *Utamur* demum *parcius verbis, cibis, & potibus, ſomno, jocis, & arctius perſtemus in cuſtodia*.

(*a*) 2. Cor. 6. 2.

De feria IV. cinerũ, *Vide P. I. ſect. 2. cap. XXVIII. q. 9.*

(*b*) *Hymn. Offic. Quadrag.*

Q. 7. *Cujus rei conſideratione occupatur Eccleſia hebdomada ultima* Quadrageſimæ, *quæ* HEBDOMADA SANCTA *aut* MAJOR *dici ſolet?*

℞. Occupatur annua commemoratione *Paſſionis* & *Mortis* Benigniſſimi Redemptoris, qua ille nos olim Patri reconciliavit. Fidelium autem pietati incumbit, ineffabile illud divinæ miſericordiæ Sacramentum, (*c*) hoc præſertim tempore, tota cordis gratitudine venerari, Chriſto patienti ſtrictiori carnis maceratione condolere, Eccleſiaſticis Officiis ſedulo aſſiſtere, ſeque ad Paſchalem illum agnum Jeſum Chriſtum digne in Euchariſtiæ Sacramento comedendum præparare.

(*c*) *Legi poſſunt ſermones XIX.* S. Leonis *P. de Paſſione Dom.*

Non aliud toto anno tempus eſt, quo plura *antiquitatis veſtigia*, pluresque veteris Eccleſiæ ritus ſervati ſunt, quam hac hebdomada. Ut ea qua par eſt devotione à fidelibus frequententur, operæ pretium eſt, ut eorum præcipui aliquando populo explicentur, extantque hodie complures tractatus, hac de re conſcripti.

Benedictio Palmarum propria eſt Dominicæ, quæ

quæ ab ea cæremonia nomen accepit, quam etiam paucis alibi (*a*) explicavimus.

(*a*) *P. 1. Sect. 2. cap. 28. q. 10.*

Feria V. in Cœna Domini, ab ultima Chriſti Cœna, quam pridie mortis ſuæ cum diſcipulis celebravit, nomen obtinuit. *Benedictio ſacrorum Oleorum*, cum jam pridem non niſi ſemel in anno fiat, in hanc potiſſimum diem, qua præcipua N. L. Sacramenta olim inſtituta ſunt, vetuſto uſu reſervatur, fitque inter *Miſſarum ſolemnia*, ut olim *benedictiones* paſſim omnes. Mos quoque eſt, ut ea die diverſæ à fidelibus Eccleſiæ viſitentur, quo attentiori pietate commemorent, quid diverſis in locis, puta in Horto, apud Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, varie pro nobis Dominus Jeſus pati dignatus ſit.

Feria VI. qua anniverſaria mortis Chriſti commemoratio celebratur, Eccleſia tamquam ob ſponſi mortem in *luctu* conſtituta, ſacrificium non offert niſi (*b*) *præſanctificatorum*, id eſt, ſacramentum pridie conſecratum & deſtinato loco ſolemniter aſſervatum, hodie ſumitur à ſolo ſacerdote celebrante. Fuit id commune olim omnibus fere *jejuniorum diebus*, diciturque uſque hodie fieri in Eccleſia *Mediolanenſi* ſingulis per quadrageſimam feriis ſextis; in Eccleſiis autem pleriſque *Orientalibus*, ſingulis quadrageſimæ diebus, exceptis tantum Dominicis & Sabbatis. Eo quoque præſertim die pro omnibus ſingillatim, ſingulari ritu orat Eccleſia; etiam pro *hæreticis*, *paganis*, atque *Judæis*, ut fructum ſacratiſſimæ mortis illius, quam Chriſtus Dei Filius pro omnium ac ſingulorum hominum æterna ſalute ſubiit, omnibus hominibus efflagitet.

Offi-

(*b*) *De* Miſſa præſanctificatorum *vide Card.* Bona *de rib. liturgic. lib. 1. cap. 15. n. 5. &* Leonem Allat. *ibid. citatum.*

Officium, quod tribus hiſce diebus ex hodierno uſu ad *veſperam* celebratur, *noctu* olim celebratum fuit. Hinc adhuc multi hodie *cerei* accenduntur, qui ſenſim extinguuntur, partim ex *uſu veteri*, cujus hac in parte veſtigium ſervatum eſt: partim ſacræ *ſignificationis* cauſſa, ut adumbretur diſcipulorum Chriſti, qui erant *lux mundi*, fuga & conturbatio. Unus interim, iſque *medius*, retro altare reſervatur accenſus, tum ut lampades ante venerabile ſacramentum accendantur, tum ut Chriſti *reſurrectio*, hoc reproducto lumine, adumbretur. Fit etiam in fine *fragor & ſtrepitus*, quod olim finiti officii erat indicium, hodie vero generalem, quæ in Chriſti paſſione & morte accidit, totius naturæ perturbationem ſignificare putatur.

Sabbato Sancto propriæ ſunt benedictiones novi ignis, quinque granorum *cerei Paſchalis*, & *fontis baptiſmalis*, qui hac tantum die atque in vigilia *Pentecoſtes* ſolemniter conſecratur, uti alibi (*a*) dictum & explicatum eſt. Aliæ autem hujus diei benedictiones eo omnes tendunt, ut expreſſa ſignificatione exhibeant Chriſtum, qui *vera lux* eſt, ab inferis *redivivum*: nam olim hujus diei officium in *noctem*, quę diem Paſchę antecedit, procul extendebatur,

(*a*) P. I. *Sect.* 2. *cap.* III. *q.* 3.

Q. 8. *Quodnam præcipue myſterium tanta cum ſolemnitate tantaque cum lætitia in* PASCHATE *celebratur?*

℞. Glorioſa Chriſti *Reſurrectio*, qua devicta morte ad vitam immortalem tertia die ſuſcitatus eſt, non ultra moriturus. In hujus myſterii, ſuique gaudii profeſſionem, Paſchali tempore *ſtantes* & *erecti* orant fideles. In *lætitiæ* quoque teſtificationem, tam frequenter reſonat Canticum illud gaudii *Alleluja*, id eſt, *Laudate Deum*.

Vide P. I. *Sect.* I. *cap.* 22.

Pa-

Digitized by Google

Paſchæ autem nomen à Judæis ad nos tranſlatum, *tranſitum* ſonat, apud illos quidem (*a*) Angeli exterminantis primogenitos Ægyptiorum, & ſine cæde *tranſeuntis* domos Hæbræorum, *Paſchalis Agni* ſanguine tinctas: *Tranſitum* quoque maris rubri, ſive *liberationem* eorum ex ſervitute Ægyptiaca, quæ mox conſecuta eſt: apud nos verò, *Tranſitum* Chriſti à morte ad vitam immortalem, noſtrumque à peccato ad gratiam; ut ſicut Chriſtus à mortuis reſurrexit, ita nos (*b*) *in novitate vitæ ambulemus*, (*c*) quærentes ac ſapientes ea quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, (*d*) nec ultra in veterem vilitatem degeneri converſatione redeuntes.

(*a*) **Exod. 12. 27.**

(*b*) **Rom. 6. 4.**

(*c*) **Coloſſ. 3. 1.**

(*d*) **S. Leo** *Serm.* **1. de** *Nativ. Domini.*

Fuit olim celebris in Eccleſia controverſia, quæ *ſecundo* præſertim ſæculo exorta eſt, *quo die Paſcha* celebrandum eſſet, contendentibus Aſiaticis, tamquam ex traditione *B. Joannis* Apoſtoli, Luna XIV. poſt æquinoctium vernum, in quamcumque illa diem incideret, celebrari debere; contra obtinente Eccleſia Romana cæteriſque Occidentalibus, expectandam eſſe *Dominicam*, quæ eam lunam proxime conſequatur, ne cum *Judæis* Paſcha celebrans, hac in parte Eccleſia *Judaizare* videretur. Plurimum efferbuit ea contentio inter *Victorem I.* Papam, & *Polycratem* Epiſcopum Epheſinum, cui Aſiatici adhærebant; ſed res hactenus in *ſchiſma* non abiit. Poſtquam verò in *Concilio Nicæno I.* generali edicto ſancitum fuit, ut ab omnibus toto orbe Chriſtianis, Paſcha non niſi Dominico die, eaque lunam XIV. æquinoctii verni conſequente, celebraretur, qui contra Concilii ſanctionem veteri ſuo uſui præfracte inſiſtere perrexerunt, *ſchiſmatici* habiti, dictique ſunt *Teſſeradecatitæ*, ſive *Quartodecimani*.

Q. 9. *Quid ſibi volunt* ROGATIONES, *quæ publica Cleri cum populo* ſupplicatione *fiunt die* S. Marco *ſacra*; *tribuſque aliis ante* Aſcenſionem Domini *diebus*?

℞. Sunt *publicæ* fidelium *preces* à plurimis ſæculis ſalubriter inſtitutæ, ad avertenda à nobis *divinæ juſtitiæ flagella*, quæ tot ſcandalis, ac diſſolutionibus, tam enormi luxu & cujuſvis pene conditionis hominum depravatione generali, tam frequenti denique divinarum legum profanatione, quaſi certatim provocantur. Ad hunc finem per vicos, & agros, in publicæ pœnitentiæ teſtimonium, recitantur *Litaniæ*, quibus Deus in Chriſti nomine, per omnium Sanctorum ſuorum interceſſionem, ſuppliciter rogatur, ut *mala omnia*, ac maxime *peccata*, à nobis depellat; *fructuſque terræ* jam germinantes, ad plenam maturitatem cœleſti benedictione perducat.

Antiquiſſimum eſt hoc *ſupplicationis* genus, quod cum alibi, tum maxime in Galliis frequentatum fuit ſæculo V. cum regiones iſtæ variis inſolitiſque calamitatibus premerentur. Ritum præcipue promoviſſe legitur (*a*) *S. Mamertus* Epiſcopus Viennenſis. Rem ex voto ſuccedentem, vicini primum, ac deinde alii æmulati ſunt, ſenſimque per univerſam (*b*) *Occidentis* Eccleſiam pia iſta conſuetudo recepta eſt, & pro lege ſervata, ut tribus (*c*) *circa Aſcenſionem Domini* diebus, ſolemnes quotannis preces, cum *jejunio*, vel certe carnium abſtinentia, ritu publico peragantur. Has porro ſupplicationes eo potiſſimum tempore frequentat Eccleſia, quo anniverſaria *Aſcenſionis* Dominicæ memoria celebratur, ut Chriſto jam ſedenti ad dexteram Patris, *Advocato* ac *Mediatori* noſtro, omnium fidelium vota æterno Patri offerenda committantur.

(*a*) *Circa an.* 470. *Vide* Bar. *in Martyr. Rom.* 25. *Apr.*

(*b*) Græci *non habent.*

(*c*) *In Eccleſia* Mediolan. *celebrantur infra octavam Aſcenſ.*

Quo-

Quomodo *Rogationes* olim obſervatæ fuerint; colligi id poteſt ex duobus hiſce antiquitatis monumentis. Primum eſt *Sidonii Apollinaris*, qui ait: (*a*) *In his ſupplicationibus jejunatur, oratur, pſallitur, fletur*. Alterum eſt *Concilii Aurelianenſ.* I. Can. 27. (*b*) „ Rogationes, „ id eſt, Litanias ab *omnibus* Eccleſiis placuit „ celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jeju- „ nium in Dominicæ Aſcenſionis feſtivitate „ ſolvatur: per quod triduum, *ſervi* & *ancil-* „ *læ* ab omni opere relaxentur, quo magis „ plebs univerſa conveniat: quo triduo omnes „ abſtineant & cibis quadrageſimalibus utan- „ tur. „ Hodie *abſtinentia* perſeverat; *jejunium* etiam, ſed non plenum, quia tempus Paſchale, quod totum ſpiritali lætitiæ deputatum eſt, jejunium vix unquam admiſit, neque ullum uſque hodie admittit apud *Græcos*.

(*a*) Sidon. *lib.5.Epiſt.* 14.
(*b*) *Celebr. an.*511.

Q.10. *Quam diſpoſitionem animi exigit à nobis Feſtum* Ascensionis Domini?

℞. Deſiderium (*c*) ac fiduciam conſequendæ aliquando gloriæ illius; cujus poſſeſſionem *pro ſe*, ſuiſque *membris*, hoc die Chriſtus adiit. Poſtulat deinde ut vanam omnem, quæ (*d*) ab hominibus datur, gloriam, contemnentes, illam à Chriſto præſtolemur, qua (*e*) *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*; id eſt, corpus hoc noſtrum humile, vile, miſeriis & corruptioni obnoxium, in eum ſtatum tranſmutabit, ut ſit tale, quale eſt corpus ipſius glorioſum.

(*c*) *Vide quæ de A*ſcenſione Domini *dicta ſunt Par.*1.*Sect.* 1.*cap.*13.
(*d*) *Joan.* 5.44.
(*e*) *Philip.* 3.21.

Q.11. *Quod myſterium recolitur die* Pentecostes, *& quo animo celebrandum eſt?*

Vide P. 1. *Sect.*1.*cap.* 25.

℞. Recolitur *Adventus Spiritus Sancti* ille nimirum, quo quinquageſimo olim die à Chriſti Reſurrectione, viſibili *linguarum ignearum* ſpecie, in Apoſtolos alioſque diſcipulos Domini,

ni,

ni, deſcendit, eoſque cœleſti fervore accenſos & inuſitata Spiritus fortitudine roboratos, in novos homines transformavit.

Erat & apud Judæos dies poſt Paſcha *quinquageſima*, (à qua græcum *Pentecoſtes* nomen derivatum eſt) ſolemni feſto conſecrata (*a*) in memoriam LEGIS olim inter fulgura ac tonitrua eo die promulgatæ. Id præterea ex præſcripto legis obſervabatur, (*b*) ut panes ex *primitiis novæ meſſis* confecti, id temporis Deo offerrentur. Utraque hæc figura per Adventum Spiritus Sancti impleta eſt, quando & Apoſtolorum, omnium gentium linguis loquentium, ore LEX NOVA, Chriſtique reſurrectio promulgata eſt, & *primitiæ credentium* (*c*) tria nempe hominum millia ad primam Petri prædicationem) Deo conſecratæ ſunt.

(*a*) Vide P. 1. Sect. 1. cap. IX. q. 3.

(*b*) Levit. 23. 10.

(*c*) Act. 2. 14.

In hac porro ſolemnitate, *ſeptiformis* Spiritus Sancti gratia ardentibus votis ac deſideriis flagitanda eſt, ut nos quoque Apoſtolorum more in alios homines tranſmutati, corde impavido & cœleſti amore inflammato, Dei magnalia verbo & exemplo prædicemus.

Q. 12. *Quid obſervandum eſt circa Feſtum* SS. TRINITATIS?

℟. *Omnes* quidem *feſti dies* ac præſertim *Dominici*, cultui, & obſequio *Sanctiſſimæ Trinitatis* conſecrati ſunt: ſed *recentiori inſtitutione* feſtum ſpeciale ſtabilitum eſt, quo ſolemniori pompa majorique illuminatæ fidei devotione incomprehenſibile hoc myſterium *Dei Unius & Trini*, totius ſalutis noſtræ ac felicitatis objectum, totoque olim & hodie erroribus ac hæreſibus impetitum, fideles venerentur.

A ſæculo IX. in quibuſdam Eccleſiis ſolemnitas iſta celebrari cœpta eſt: at tribus circiter poſt hæc ſæculis, ſub finem ſcilicet ſæculi XII.

non-

Digitized by Google

nondum erat in uſu Eccleſiæ Romanæ, uti aperte profitetur *Alexander III.* (qui anno 1181. mortuus eſt) hac addita ratione, quod „ ſingulis diebus gloria Patri & Filio & Spi- „ ritui Sancto, & cætera ſimilia dicantur ad „ laudem pertinentia Trinitatis. Cæterum ab hac quoque Eccleſia, cæterarum matre & magiſtra, ſub Pontificatu *Joannis XXII.* (*a*) admiſſa fuit, tandemque ſub initium ſæculi proxime ſequentis, urgente præſertim *Petro Alliaco* S. R. E. Cardinale, toto orbe recepta, aſſignataque Dominicæ primæ poſt Pentecoſten.

(*a*) *Obiit ann.* 1333.

Ut porro adorandam divinarum perſonarum in una eademque natura ſubſiſtentium Trinitatem vere ac fideliter honoremus, modis omnibus anniti oportet, ut ſicut inter Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, indiviſa & indiſſolubilis eſt unio per *naturam*, ita inter nos arctiſſima ſit *unio* per *charitatem*: utque inditam (*b*) nobis Divinæ Trinitatis *imaginem* puram ſemper, integram atque incontaminatam conſervemus.

(*b*) *Vide Gen.* 1. 26. *&* P. 1. *Sect.* 1. *cap.* 6. *q.* 9.

Q. 13. *Cur tanta cum pompa & ſplendore in Eccleſia Catholica celebratur Feſtum Sacratiſſimi* Corporis Christi?

℞. Etſi *Feria V.* majoris hebdomadæ *inſtitutio* Euchariſtiæ recolatur, quia tamen iſto tempore in conſideranda potiſſimum Chriſti *Paſſione* Eccleſia cum ſalutari luctu occupatur, viſum eſt ſolemne aliud feſtum inſtituere, quo, in *grati animi* teſtimonium, cum apertis *lætitiæ* ſignis, *tanti beneficii* memoria coleretur; maxime poſtquam Auguſtiſſimum hoc Sacramentum per Novatores *oppugnari* cœptum eſt. Fecit id *Urbanus IV.* Papa an. 1264. Officiumque Eccleſiaſticum illius ſolemnitatis compoſuit *S. Thomas Aquinas*, qui ubique magnus, hic ſemetipſo major extitit. Cœperat celebrari

Vide Conc. Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5.

Leo-

Digitized by Google

Leodii ſub *Roberto* Epiſcopo, jam inde ab anno 1246. Confirmavit poſtea *Conc. Viennenſe*, tandemque *Joannes XXII.* poſt quem toto deinceps orbe Catholico ſolemniſſime coli conſuevit.

Celebratur igitur in hac feſtivitate *victoria* quam columna veritatis Eccleſia, Criſto donante, *ab hujus Sacramenti hoſtibus* reportavit. Noſtrum porro eſt ad dignam hujus ſolemnitatis celebrationem, ſinceram animi *gratitudinem*, profundamque mentis & coporis *demiſſionem* ac *reverentiam* adferre, & cœleſtem hunc animarum noſtrarum cibum cum ſingulari *devotione* percipere, ut noſtro exemplo moneantur, qui in tenebris ambulant, & à via veritatis aberrant, glorificare Deum per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

CAPUT XXXII.

De Feſtis BEATISSIMÆ VIRGINIS *MARIÆ*.

QUæſtio I. *Quæ eſt mens Eccleſiæ in Feſtivitatibus Sanctorum?*

℞. In omnibus Sanctorum cum Chriſto regnantium Solennitatibus, hoc ante omnia ſpectat Eccleſia, ut *in ſanctis ſuis glorificetur Deus O. M.* qui illos omnipotenti ſua bonitate, *Sanctos*, feliceſque effecit. Alterum, quod ſibi proponit, eſt *utilitas* & profectus noſter, quando & Sanctorum exemplis ad parem virtutis æmulationem provocamur, & eorum interceſſionibus adjuvamur.

Cæterum Sanctorum memoriis recolendis plerumque dies ille deputatus eſt, quo vitam hanc

Digitized by Google

hanc mortalem cum immortali commutarunt; quòd ille ſit verus eorum *natalis*, quo terræ denati, cœlo perennique gloriæ naſcuntur.

Q. 2. *Quid cauſſæ eſt cur in Eccleſia Catholica, tam ſpeciali, tamque multiplici devotione præ cæteris Sanctis honoretur* VIRGO MARIA?

℞. In cauſſa eſt ſingularis ejus *excellentia*, dignitaſque *ipſi ſoli propria*, ac aliis incommunicabilis, quòd nempe, ſit MATER DEI. Ob hujus nominis prærogativam, arctiſſima & ſublimiſſima quadam unione conjuncta eſt Perſonis omnibus Sanctiſſimæ Trinitatis; *Patri*, ob Filium utrique communem: *Filio*, quia ejus Mater eſt: *Spiritui Sancto*, quia divina ejus operatione fecundata, ex puriſſimo ſuo ſanguine Chriſtum concepit. Cùm itaque non dubitemus, quin præ *creaturis omnibus* hanc Sacratiſſimam Virginem donorum omnium abundantia Deus impleverit, ut *dignum* Filio Dei *habitaculum* efficeretur; nullo quoque pacto ambigimus, quin eam à nobis ſpeciali cultu velit honorari, quam ipſe tam incomparabili ſupremæ dignitatis prærogativa, prior honoravit. Nec minùs perſuaſi ſumus per ejus potentiſſimum *patrocinium* plurima nobis à Deo bona obvenire; cùm per *Mariam ipſum gratiæ Auctorem*, Divina benignitas humano generi impertita ſit. *Totis ergo medullis cordium*, (inquit (a) S. Bernardus) *totis præcordiorum affectibus Mariam veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui* TOTUM *nos habere voluit per Mariam*. (b)

Vide Baron. in Martyrol. Rom. die 3. Januar.

(a) *Serm. 2. de Deipar. Virg. alias de aquaductu.*

(b) „ *Nihil nos Deus habere voluit, quod per ma-* „ *nus* Mariæ *non tranſiret*. S. Bernard. *Serm. 3. de Vigilia Nativit.*

Opus eſt mediatore *ad* mediatorem Chriſtum; *nec alter nobis utilior quam* Maria. *Idem Serm. ult. de Aſſumpt.*

Q. 3. *Quænam præcipuè myſteria B. Mariæ Virginis cum ſolemni feſtivitate celebrantur?*

℞. I. *Conceptio* 8. Decembris. II. *Nativitas* 8. Septembris. III. *Præſentatio* 21. Novembris IV. *Annunciatio* 25. Martii. V. *Viſitatio* 2. Julii VI. *Purificatio* 2. Februarii. VII. *Aſſumptio* 15. Auguſti.

Hæc aliaque complura, quæ per anni decurſum de B. M. V. in Eccleſia Catholica feſta celebrantur, augeſcenti in dies erga illam devotioni fidelium debent originem: hæc uti ſenſim crevit, ita pariter cum illa crevere ſolemnitates, maximè ex quo *Divina* ejus *Maternitas* à *Neſtorio*, perpetua autem ac intemerata *Virginitas* ab *Helvidio* impugnata fuit. Multa deinceps, quæ ad ejus dignitatem pertinent, quaſi gradatim ac pedetentim evoluta ſunt.

Q. 4. *Quænam eſt origo & ratio celebrandæ* CONCEPTIONIS *Virginis Matris?*

℞. Cùm multis in locis *Conceptio B. Joannis Baptiſtæ* ob miracula, quæ eam comitata ſunt, celebraretur, creditum eſt potiori jure *conceptionem SS. Matris Domini* celebrandam eſſe. Præceſſit *Orientalis* Eccleſia, & ſub medium ſæculi XII. *Michael Comnenus* Græcorum Imp. feſtivitatem hujuſmodi toto ſuo imperio ſolemniter celebrari mandavit. Quod ad Eccleſiam *Occidentalem* attinet, ORIGINEM ea feſtivitas ſumpſiſſe videtur in *Anglia* ſæculo XI. (a) procurante *Elpino* Abbate, cùm *Guilielmus* Normannorum Dux regnaret in Anglia. *Occaſionem* dediſſe fertur quædam ſuperna revelatio, quæ viro iſti ſancto facta ſit, cùm vim tempeſtatis evaſit, & imminenti naufragio ereptus eſt.

(a) *Circa an.* 1070.

Favente aliquot poſt annis *S. Anſelmo* Cantuarienſi in Anglia Epiſcopo, res utcumque progreſſa eſt. Acceſſit anno 1145. ſollicitudo Eccleſiæ *Lugdunenſis*, quamquam non ſine contradi-

tradi-

traditione, ut videre eſt apud *S. Bernardum* Epiſt. 174. Res ſanè quantumvis bonæ, dum *novæ* ſunt, vix ſine contradictione ſtabiliuntur.

Promovit ſequenti mox ſæculo *S. Bonaventura*, unàque cum ipſo totus ordo FF. Minorum, cujus ipſe tunc erat Miniſter generalis. Senſim porrò à particularibus Eccleſiis ad univerſalem res proceſſit; ita ut *Sixtus IV.* (a) an. 1466. feſtivitatem illam per univerſam Eccleſiam celebrari indulſerit, adjunctis, quæ fidelem populum allicere poſſent indulgentiis. Hæc *Sixti IV.* conſtitutio, & in *Concilio Trid.* (b) & à *S. Pio V.* confirmata fuit, ac noviſſimè anno 1708. per *Clementem XI.* glor. Mem. ut ubique per univerſam Eccleſiam ſit feſtum in populo, idque cum octava celebrandum, inſtitutum fuit.

(b) *Seſſ. V. de peccat. Orig.*

Quod jam ad RATIONEM celebrandæ *Conceptionis B. M. V.* attinet, antiqua traditione receptum eſt eam per *miraculum* è parentibus ſterilibus *Joachimo* & *Anna* ortum habuiſſe. Communis deinde *fidelium pietas* perſuaſum habet, Sanctiſſimam hanc Dei Matrem ob honorem & majeſtatem Filii ex ea naſcituri, ex ejuſdem meritis præſervatam fuiſſe ne in ſua *Conceptione*, *peccati originalis* macula contaminaretur. Pleriſque ſanè videtur Deum omninò decuiſſe, ne peccati, aut Diaboli jugo ſubderetur unquam, quæ eum paritura erat, qui peccati, ac Diaboli deſtructurus eſſet imperium. Hoc honori Matris conſentaneum, nec redemptioni Filii adverſum eſſe, qui utique Salvator fuerit etiam Matris ſuæ, ſi eam, ne periret, felicius præſervavit. Potuit, inquiunt, ſi voluit,

(a) *Vide Conſt.* Sixti IV. Cum præexcelſa; *item* Grave nimis. *Extrav. comm. lib. IV. de Reliq. & vener. SS.*

luit, ergo voluiſſe credendum eſt. Quocircà
(a) *Lib.* *S. Auguſt.* (a) cùm de *peccatis* agitur, nullam
de Nat. & grat. c. 36. prorſus de *Maria* vult haberi quæſtionem. „ In-
„ de enim, inquit, ſcimus quòd ei plus gra-
„ tiæ collatum fuerit ad vincendum *omni ex*
„ *parte* peccatum, quòd concipere & parere
„ meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe
„ peccatum. „ Nec aliter ferè poſt ipſum *S.*
(b) *Lib.* *Anſelmus*: (b) „ decebat, inquit, ut illius ho-
de Concept. Virg. c. 18. „ minis conceptio de Matre puriſſima fieret.
„ Nempe decens erat, *ut ea puritate, qua ma-*
„ *jor ſub Deo nequit intelligi, Virgo illa nite-*
„ *ret*, cui Deus Pater unicum Filium ſuum ita
„ dare diſponebat, ut naturaliter eſſet unus
„ idemque communis Dei Patris & Virginis
„ Filius. „ Fatemur interim nihil adhucdum
de hac re per Eccleſiam Catholicam eſſe defi-
nitum, graviterque prohibitum eſſe ne quis
partem alterutram hæreſeos, aut erroris ar-
guere audeat, ſed non minùs interdictum eſt
ne quis prædicando, aut palàm diſputando tue-
ri præſumat aſſertionem, alioquin minimè con-
demnatam, B. Mariam Virginem in originalis
peccati labe eſſe (c) conceptam.

In

(c) *Obnoxiam fuiſſe* debito *contrahendi peccatum ori-ginale, eaque ratione* in Adamo peccaſſe, *ac mortuam eſſe, ideòque* Chriſti redemptione *&* vivificatione, *unà cum ceteris omnibus indiguiſſe, inter Theologos ple-rique conſentiunt; putantque hoc eſſe quod* S. Thomas *ſecundum fidem Catholicam firmiter tenendum eſſe aſ-ſeruit 1. 2. q. 81. art. 3.*

Ea de re ſic loquitur Bellarminus *Tom. IV Cont. Gen. 11. lib. 4. cap. 16. pag.* 250. „ *Non deſunt qui exiſti-*
„ *mant B. Virginem non peccaſſe in Adamo. Dicunt enim*
„ *legem de non guſtando ligno ſcientiæ boni & mali, da-*
„ *tam fuiſſe primo parenti, pro ſe & omnibus poſteris,*
„ *excepta Virgine Maria. Proinde illam, ut erat in*
„ *lumbis Adæ, guſtaſſe cum illo cibum vetitum, non*
„ *tamen peccaſſe, quia prohibitio ad eam non pertine-*
„ *bat.*

Digitized by Google

In hac porrò feſtivitate expendere juvabit, partim *conceptionis noſtræ* originali labe infectæ infelicem originem, partim *divini muneris largitatem*, quo Sanctiſſimam Virginem mundo dedit, ut ex ea poſtmodum humani generis Redemptor naſceretur, qui pro nobis *Adæ debitum* ſolveret, nobiſque *regenerationis* & adoptionis gratiam impertiret.

Q. 5. *Quid de Feſto* NATIVITATIS *B. M. V. dicendum occurrit?*

℟. Satis conſtat tam *Græcos* quàm *Latinos* eadem animi pietate concordique ſtudio ac Religione permotos, jam olim eadem die ſacratiſſimum Dei genitricis *Natalitium* ſolemniter celebrandum eſſe duxiſſe. Et quamquam tempore (a) *S. Auguſtini* nondum ea ſolemnitas nota fuerit, celebrata tamen fuit Romæ ſub *Sergio* Papa, circa an. 688. notaque fuit eodem ſæculo *S. Ildephonſo* (b) Toletano Epiſcopo: extat etiam in vetuſtiſſimis Martyrologiis *Bedæ*, *Uſuardi* & *Adonis*: *S. Bonifacius* Epiſcopus Moguntinus & Martyr ſæculo VIII. inter majores jam tùm ſolemnitates collocavit, tametſi ſequenti ſæculo ſub *Carolo Magno* & filiis ejus nondum generali uſu recepta ea eſſet in Galliis: erat autem non ibi tantùm, ſed ubique ſtabilita ſæculo XII. tempore *S. Bernardi*.

Vide Baron. S. *Sept.*

(a) *Uti conſtat ex ejuſdem Serm.* 21. *&* 22. *De Sanctis.* nunc 97. *&* 99. *in Append.*

(b) *Lib. de Virg.*

Utiliter hæc à nobis Feſtivitas celebrabitur, ſi conſiderantes *Mariam* ſine peccato natam,

„ *Quæ ſententia, inquit, nobis non admodùm tuta* „ *eſſe videtur, & contrariæ omnino ſubſcribimus. Nam* „ *inter Catholicos convenit, B. Virginem per Chriſti* „ *Sanguinem verè fuiſſe redemptam, & quod Apoſtolus* „ *ait:* Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, 2. *Cor.* „ 5. *ſine ulla exceptione eſſe accipiendum. At ſi B.* „ *Virgo neque actu neque potentia, neque in ſe, ne-* „ *que in parente ſuo peccavit, quomodo quæſo redem-* „ *pta dici poteſt?*

ſine omni prorſus peccato vixiſſe, pauperem, incognitam, humilem, ſolaque Dei voluntate & beneplacito perpetuò occupatam; hanc ejus admirabilem ſanctitatem debito pietatis affectu veneremur, & pro virili noſtra, Deo aſpirante, imitemur. „ Sit vobis (ait (*a*) *S. Ambroſius*) tamquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut „ ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Quid nobilius Dei Matre? Quid „ ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? Quid „ caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generavit? Talis fuit Maria, *ut ejus unius vita omnium ſit diſciplina*. „

(*a*) *Lib. 2. de Virgin.*

Q. 6. *Quid de feſto* PRÆSENTATIONIS?

℟. „ Scimus, inquit *Baronius* (*b*) antiquitus præſentationis ſolemnitatem eam eſſe appellatam, qua Dei Genitrix Sancto Simeoni „ infantem Jeſum in Templo obtulit, ut antiqua Ritualia & alia vetuſta Eccleſiarum monumenta ſignificant, & ipſa inſuper oratio „ Miſſæ ejus diei planè indicat. „ At hodiè (*c*) alia conſideratione ea feſtivitas celebratur, nempe quòd communiter credatur B. Virgo, cùm adhuc triennis eſſet, Deo in templo fuiſſe oblata, ibique deinceps fuiſſe educata; quam in rem citantur *S. Gregorius Niſſenus*, (*d*) & tragœdia Chriſti patientis apud *S. Gregorium Nazianz.* fratrem ejus; citatur (*e*) & Epiſtola quædam *S. Euodii* primi poſt B. Petrum Epiſcopi Antiocheni, in qua B. M. V. annis undecim in templo commorata fuiſſe narratur. Fieri id potuiſſe, non tantùm agnoſcit, ſed ipſe demonſtrat (*f*) *Tillemontius*, exemplo præſertim *Joſabeth* uxoris *Jojadæ* Pontificis, quæ fratris filium Regem JOAM *in templo* (*g*) educandum curavit. Agnoſcit quoque *S. Ambroſius* Virgines (*h*) *templo deputatas*. Denique

(*b*) *21. Novemb.*

(*c*) *Vide Petr. Caniſium lib. 1. de B. V. M. cap. 12.*

(*d*) *Orat. de Nat. Chr.*

(*e*) *Apud* Nicephor. *L. 2. Hiſt. Eccl. C. 3. ſed antiquis incognita & incerta auctoritatis.*

(*f*) *Nota 5. in Vit. B. M. V.*

(*g*) *4. Reg. 11. 2.*

(*h*) *L. 1. de Virg.*

nique

nique de *Anna* filia Phanuel dicitur Lucæ 2. quòd non recederet de Templo.

Ex conſtitutione *Emmanuelis Comneni* (a) Imp. patet feſtivitatem illam antiquam eſſe apud Græcos. In *occidente* ab anno 1372. celebrata fuiſſe reperitur Avenione. Extat de eadem Epiſtola *Caroli V.* Gallorum Regis ad Nicolaum Epiſcopum Antiſiodorenſem, data an. 1375. Non extitit interim in Breviario Romano ante an. 1585. quo juſſu *Sixti V.* illi inſerta eſt, ac deinceps toto etiam occidente recepta.

(a) Qui Orientale Imperium tenuit ab an. 1143. uſque ad 1180.

Hæc porrò celebritas memores nos reddere poterit, fuiſſe nos quoque olim Deo *oblatos* & conſecratos in Baptiſmo, effectoſque *Templum Spiritus Sancti*, proinde debere nos deinceps non noſtros eſſe, ſed illius cujus honori & gloriæ, ceu *viva templa* dedicati ſumus; implorandum igitur Virginis Matris patrocinium, ut aſpirante Dei gratia, unuſquiſque juxta vocationem ſuam, perpetuò maneat divino ſervitio mancipatus.

Q. 7. *Cujus rei memoria celebratur in Feſto* ANNUNTIATIONIS *Mariæ?*

Vide P. 1. Sect. 1. cap. 14. Q. 1.

℟. *Incarnationis Dominicæ*, quam in ejus ſacratiſſimo utero Spiritus Sanctus operatus eſt, quando Angelo *Gabriele* rem tam novam Dei juſſu nuntiante, Caſtiſſima Virgo admiranda *fide*, & incomparabili *animi demiſſione*, verbis ejus piæ voluntatis aſſenſum præbuit, poſtquàm ſine ſuæ Virginitatis detrimento concepturam ſe eſſe cognoverat.

Antiquiſſimam hanc ſolemnitatem eſſe, tam apud græcos quàm latinos, conſtat ex omnibus Martyrologiis & Menologiis: item ex *S. Auguſt.* (b) qui ſic ait: „ ſicut *à majoribus* „ *traditum* ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit autho- „ ritas, octavo Kalend. Aprilis *conceptus* cre- „ ditur

(b) Lib. 4. de Trinit. C. 5.

„ ditur Dominus &c. „ Nihilominus in multis olim Eccleſiis, teſte *Card. Baronio* (a) agebatur ea feſtivitas ad XV. Kalend. Januarii, ea nimirùm de cauſſa; quòd Quadrageſimæ tempus *luctui* potiùs & mærori deberetur, ut apparet ex *Concilio Laodicenſi* Can. 15. idque Toletana Synodus X. (b) in Hiſpania faciendum indixit Can. 1. quod etiam in aliis Eccleſiis agi conſueviſſe teſtatur.

(a) 25. *Martii. Martyrol.*

(b) *Anno* 656.

Noſtrum erit pro modulo noſtro æmulari virtutes Virginis, quæ in hujus myſterii ſerie ſingulariter elucent: admirandum ſcilicet ſuæ, *quam voverat*, *Virginitatis* amorem, cui ipſum Divinæ *Maternitatis* honorem, uti nonnulli è (c) Patribus ſentiunt, penè poſthabuiſſe videtur: modeſtiſſimam deinde animi demiſſionem & *humilitatem*, qua cùm Filii Dei *Mater* eligeretur, ſe abjectam Domini *Ancillam* profitebatur. Promptam denique *Fidem* perfectamque ejus *obedientiam*, (d) quam verbis Angelicis ſine hæſitatione adhibuit. At præ omnibus ſumma devotione & animi gratitudine recolendum eſt ineffabile *Dominicæ incarnationis* myſterium ſine quo omnes æternùm perditi eramus, & ex quo omne bonum gratiæ & gloriæ dimanat.

(c) S. Gregor. Nyſſ. *Nat. Chr. ſed aliter* S. Bernar. *Serm.* 11. *c.* 3.

Q. 8. *Quid complectitur Feſtum* VISITATIONIS *Mariæ?*

Vide P. 1. *loco cit.*

℞. Memoriam celebrat *Viſitationis* illius, quam Sanctiſſima Dei Mater Divini Spiritus operatione jam gravida, cognatæ ſuæ *Eliſabethæ*, quæ adhucdùm *Joannem* Precurſorem Domini

(d) Obediens *Virgo Maria*, inobedientis *Virginis Hevæ facta eſt Advocata.* S. Irenæus *lib.* 5. *contra Hereſ.*

Per fœminam mors: per fœminam vita: per Hevam *interitus*, *per* Mariam *ſalus*. S. Auguſt. *de Symb. ad Catechum.*

mini utero geſtabat, ſumma humilitate & charitate impendit; ut *Joannes* etiamnum in materni corporis carcere latitans, Divini VERBI præſentia ſanctificaretur.

Solemnitas hæc, teſte *Baronio*, (a) ab *Urbano VI.* inſtituta & à *Bonifacio IX.* confirmata, vel potiùs (b) publicata eſt, idque occaſione urgentis *ſchiſmatis*, ad quod componendum ejuſdem Dei Genitricis opem, Dei Eccleſia propenſiùs (ea aucta celebritate) ſtuduit implorare.

(a) 2. *Julii. Martyrol.*
(b) *Anno* 1389.

Ut porrò hæc à nobis feſtivitas utiliter celebretur; opportunum erit magno ſimul de Dei magnitudine gaudio & profundo humilitatis affectu meditari & recitare divinum illud *Canticum*, quo Virgo Mater, cùm à cognata miris præconiis laudaretur, in proprii *nihili* abyſſum ultrò ſe revocans, ſtupenda animi demiſſione *Dei magnalia* celebravit.

Q. 9. *Quid exhibet Feſtum* Purificationis *Virginis, & quo animo peragendum eſt?*

Vide [illegible] *Q.* 4.

℞. Exhibet Chriſtum in Templo Hieroſolymitano ſemetipſum in manibus Matris æterno Patri offerentem. Exhibet Matrem *pauperum ritu* implentem legem, qua præſcribebatur, ut quadrageſimo poſt partum virilem die, duplex in templo hoſtia offerretur, altera in holocauſtum, altera pro peccato; cujus ſanè legis ratio ad eam minimè pertinebat. Exhibet juſtum *Simeonem*, qui Divino Spiritu revelante in templum ingreſſus, Meſſiam agnovit, eumque in ulnas ſuas lætiſſimus accepit. Exhibet denique *Annam* Prophetiſſam, ſanctiſſimam Viduam à bonorum operum exercitio mirè commendatam, quæ & ipſa ejuſdem Spiritus inſtinctu ſuperveniens, Chriſtum omnibus eum expectantibus prædicavit.

Feſtivitatem hanc ſub *Juſtiniano Imp.* ſæcu-

Digitized by Google

lo VI. Conſtantinopoli celebrari cœptam eſſe ex græcis latiniſque auctoribus, contendit (a) *Baronius*, occaſionemque ejus *Sigebertus* in chronico, anno 542. his verbis exponit: „ Conſtantinopoli mortalitate magna inſurgente, „ ſtatuta eſt ſolemnitas Beatæ Mariæ, quæ græcè ὑπαντὴ, id eſt, *obviatio* dicitur &c. *Tillemontius* (b) interim, in eam magis propendet ſententiam, ut citius, in nonnullis ſaltem Eccleſiis, celebrata fuiſſe credatur.

(a) 2. Februarii. Martyrol.

(b) Nota 7. in Vit. D. N. J. C.

Porro in hujus feſti celebratione inculcantur nobis potiſſimum *humilis* erga divinas humanaſque leges *obedientia*, exemplo Matris Virginis quæ ſe legi, qua non tenebatur, ultro ſubmiſit: vera deinde ac viva *fides* in Jeſum Chriſtum, *Lumen* illud *gentinm*, quod accenſis hodie CEREIS viſibili ceremonia Eccleſia profitetur; denique ſpiritus *oblationis & ſacrificii*, ut una cum Chriſto nos ipſos totos divinis obſequiis & gloriæ conſecremus.

Q. 10. *Quid Feſto* ASSUMPTIONIS *Virginis celebrandum proponitur?*

℟. Felix Mariæ mors & glorioſa *Aſſumptio*, qua cum ingenti totius curiæ cœleſtis gaudio, (c) *exaltata eſt ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna*; &, ut habet conſtans hodie fidelium ſenſus, non *anima* ſolum, verum etiam (d) *corpore* glorificata; qua de re quid *Majores* ſenſerint ita exponit *Baronius*: (e) „ *Uſuardus* & *Ado*, cum hac die celebrari dicant Dei „ Genitricis *Dormitionem*, de Eccleſiæ judicio „ hæc verba ſubdunt: *plus eligit ſobrietas Ec-* „ *cleſiæ cum pietate neſcire quam aliquid frivo-* „ *lum*

(c) Offic. Eccl.

(d) Vide Baron. in Notis ad Martyrol. & in Annal. ad an. 48. num. 2. & ſeqq.

(e) 15. *Aug. Martyrolog. Sub* Mauritio *Imp. initio ſaculi VII. propagata fuiſſe dicitur hac ſolemnitas in* Oriente. *Sub initium ſaculi IX. celebris erat in* Galliis. Leo IV. *circa an.* 847. *octavam, & pridianum* Jejunium *cum* vigilia *adjunxiſſe putatur*.

„ *lum & apocryphum inde tenendo docere*. Hæc
„ illi. Porrò Dei Eccleſia in eam partem pro-
„ penſior videtur, ut *una cum carne aſſumpta*
„ ſit in cœlum; nam in hujus diei celebrita-
„ te illas ſanctorum Patrum homilias legendas
„ tradidit, quibus eadem de ejus aſſumptione
„ firmantur: quæ quidem ſententia cum plu-
„ rimorum Theologorum auctoritate, tum
„ etiam communi conſenſu fidelium jam rece-
„ pta videtur. „ Et certe id ipſum in officio ſuo Eccleſia paſſim inſinuat: & omnino decuiſſe videtur ut ne vivum illud *Templum Dei*, vera illa *Arca fœderis*, animatum illud *cælum* corrumpi ſineretur in terris. Quod ſi Chriſtus à morte reſurgens complures, qui obierant, *Sanctos*, (a) ad vitam (ut nonnullis patribus viſum eſt) *immortalem* ſuſcitavit, &, una ſecum *glorioſos* in cœlum invexit, credine par eſt minus eum præſtitiſſe erga tantæ dignitatis *Matrē*, tanto ſibi amore conjunctam? Et ſane Eccleſia à primis temporibus in colligendis Sanctorum *Reliquiis* mire ſollicita, de *Virginalis corporis* reliquiis nullam uſquam legitur feciſſe mentionē.

(a) *Vide* Janſeniū *Epiſ. Gandenſ. in Concord. Cap.* 143. & Cornel. à Lapide *in Matth.* 27. ℣. 52. & 53.

Quod interim ad Sacratiſſimæ Virginis *exitum* attinet, diverſæ de eo feruntur ſententiæ. Putatur *Epheſi* aliquamdiu vixiſſe; credunt etiam aliqui eam ibidem mortuam eſſe. Sed communior opinio eſt *Hieroſolymis* finiiſſe. Quanto tempore vixerit incertum eſt. Tribuunt ei aliqui annos vitæ 58. vel 60. alii 63. alii denique 72. quæ inter cæteras conjectura veroſimilior eſt. Dubitavit *S. Epiphanius* an mortua ſit: at ſenſus Eccleſiæ prorſus habet, eam quoque communem in omnes mortis ſententiam ſubiiſſe, à qua ne ipſe quidem filius ejus ſe voluit eſſe exemptum; mentem autem ſuam his verbis ſatis expreſſit: (b) *quam etſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus* &c.

(b) Secreta *Feſt. Aſſumpt. B. M. V.*

Putarunt aliqui *Martyrio* finiiſſe, maximè ob
a) *Luc.* 2. 35. *Simeonis* Prophetiam: (*a*) *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. At ſatis conſtat verba hæc intelligenda eſſe de *gladio doloris* & amaritudinis, quem tunc potiſſimum paſſa eſt, cum ſub cruce morienti filio adſtitit. Mortem itaque obiit *naturalem*, *non violentam*, niſi quatenus mors illi magis ob vim *amoris*, quam ob conditionem carnis mortalis, obtigit, ceu felix tranſitus ad immortalitatem & *incorruptionem*.

Cæterum hoc nobis in celeberrima iſta ſolemnitate præcipuè meditandum eſt, Sanctiſſimam Dei Matrem ad tam ſublimem gloriæ dignitatem, non aliter quam per profundiſſimam *humilitatem* pertigiſſe, adeo ut juxta Chriſti ſententiam, quantum ſe ipſa dimiſit, tantum fuerit exaltata; ut & nos ejus exemplo memores ſimus, (*b*) ſpiritalis ædificii noſtri fabricam à fundamento *humilitatis* auſpicari.

(*b*) *Vide* S. Auguſt. *Serm.* 10. *de verbis Dom.*

CAPUT III.

De præcipuis Feſtivitatibus ALIORUM SANCTORUM.

24. *Junii.* QUæſtio 1. *Quænam eſt illius lætitiæ ratio, quâ* S. JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITAS *in Eccleſia celebratur?*

R. Quia Præcurſor ille Domini, in ipſo Matris utero Sanctificatus, (*c*) inſtar *auroræ*, verum *orientem*, qui Chriſtus eſt, præcedentis, in hanc

(*c*) *Vide* S. Auguſt. *Serm.* 23. *de Sanctis* nunc 292. *Obſervat* Baronius, *Latinos olim* tribus Miſſis *celebritatem hanc agere conſueviſſe*.

hanc lucem prodiit. In hujus lætitiæ teſtificationem, multis in locis mos invaluit, ut feſtivi ignes accendantur, à quibus omnis diſſolutio, omniſque ſuperſtitio (quæ ſenſim irrepere ſolent) procul arcendæ ſunt.

Juvabit autem exemplo *S. Joannis*, qui à pueritia cum ſumma vitæ *innocentia* incredibilem in deſerto *auſteritatem* conjunxit, noſmetipſos excitare ad ſæculi contemptum, innocentem vitæ integritatem, amorem ſolitudinis, & ſpontaneam ſenſuum noſtrorum mortificationem.

Q. 2. *Quomodo celebranda ſunt Feſta* SS. APOSTOLORUM?

℟. Intimo animi ſenſu venerari oportet primos illos *Eccleſiæ Paſtores*, quos Chriſtus ad *fundandam* Eccleſiam ſuam, miraculorum ſuorum *teſtes*, doctrinæque *depoſitarios* eſſe voluit, quod ut illi efficacius præſtarent, teſtimonium quod reddebant, proprio ſanguine conſignarunt. Et licet pauca admodum de Apoſtolorum plerorumque geſtis nobis innotuerint, quantum equidem & quo eventu laboraverint, fructus ipſe demonſtrat, quando totus pene orbis terrarum uſque ad nationes maxime barbaras, per eorum prædicationem Euangelii notitia, cœtibuſque Chriſtianorum impletus fuit.

Alterum eſt, ut nos eorum *zelum* pro ſalute animarum, pro virili noſtra æmulemur, Deumque Patrem per Jeſum Chriſtum ſuppliciter oremus, ut, ipſo donante, *Apoſtolici Spiritus* fervor, in Chriſti miniſtris etiamnum hodie perſeveret.

Q. 3. *Quid ſpeciatim complectitur Feſtum* SS. PETRI & PAULI?

℟. Celebrandum proponit duplex Martyrium, Principis Apoſtolorum *Petri*, & Doctoris

ris Gentium *Pauli*, qui eodem die ſub impio *Nerone*, (*a*) Romanam Eccleſiam, cæterarum omnium Matrem & Magiſtram, ſuo ſanguine dedicarunt.

(*a*) Circa an. Æræ Vulg. 67.

Ita porro *B. Petri* Primatum, generoſum in cruce martyrium, & quæ in duabus Epiſtolis nobis reliquit documenta, venerari nos oportet, ut & illius in *Romana* cathedra *ſucceſſori*, ceu ſupremo totius Eccleſiaſtici regiminis moderatori, ſinceram obedientiam alacriter impendamus; Sponſumque Eccleſiæ Jeſum Chriſtum enixè oremus, ut qui ab hoc *unitatis centro* in viam ſchiſmatis, & errorum diverticula deflexerunt, ad Eccleſiaſticæ unitatis compagem, ipſo propitio reducantur.

In *Paulo* ſuſcipere & adorare nos convenit omnipotentem divinæ gratiæ operationem, qua ille, ut tanto fortius & invictius ejus eſſet teſtimonium, ex ardentiſſimo Chriſtianorum perſecutore, (*b*) Chriſtianæ fidei præco, Doctorque gentium effectus eſt. Veneremur abſtruſa myſteria & univerſa ſalutis monita, quæ in communem Eccleſiæ utilitatem quatuordecim epiſtolis prorſus admirandis *Paulus* expoſuit. Diſcamus utriuſque exemplo nullis pro Chriſti gloria laboribus fatigari, nullis ab ejus confeſſione ſuppliciis deterreri.

(*b*) Act. 9.

Q. 4. *Qua ratione SS.* EUANGELISTARUM *Feſta celebranda ſunt?*

℞. *Euangeliſtæ* dicuntur quatuor illi hiſtorici, qui ſancta ſimplicitate, & admirabili conſenſu, ſine concertatione tamen conſiliive communicatione, vitæ, prædicationis, & mortis Chriſti acta conſcripſerunt; quorum primus *Matthæus* (*c*) ex Publicano Apoſtolus, paulo poſt Chriſti mortem, ejus hiſtoriam in Judæa conſcripſit.

Vide P. 1. Sect. 1. Cap. 2. q. 10.

(*c*) Matth. c. 9.

Secundus, *Marcus*, *Petri* diſcipulus, decem

cir-

circiter annis poſt Chriſti mortem, cum *Petrus* Romanam Eccleſiam fundaret, Euangelium exaravit.

Tertius, *Lucas* profeſſione medicus, individuus *Pauli* comes, qui annis poſt Chriſti mortem circiter viginti tribus, ſcripſit Euangelium: cui addidit hiſtoriam naſcentis Eccleſiæ rerumque à *Paulo* geſtarum, libro qui *Acta Apoſtolorum* inſcribitur.

Quartus denique *S. Joannes* Apoſtolus, dilectus ille Chriſti diſcipulus, qui in ultima cœna (*a*) fluenta Euangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit, poſt tres Epiſtolas, & Propheticam *Apocalypſim*, poſtremus omnium ſcripſit Euangelium, contra exortas adversùs Chriſti Divinitatem hæreſes, anno circiter poſt Chriſti mortem 65. (*a*) Joan. 13. 23.

Cæterum menti Eccleſiæ conforme eſt, in *SS. Euangeliſtarum* feſtivitatibus Deo gratias agere, quòd per eos ſalutarem ad nos tranſmiſerit veritatem, ejuſque miſericordiam deprecari, ut ad credendum firmiter quæcumque per Euangeliſtas ſcripta ſunt, ſuo nos lumine magis magiſque in dies illuſtrare dignetur.

Q. 5. *Quid de Feſtis* SS. MARTYRUM?

℞. *Martyres* dicuntur *teſtes* illi veritatis Euangelicæ, qui eam ſuo ſanguine conſignarunt, vitamque pro Chriſti gloria prodigentes, talem erga illum amorem teſtati ſunt, (*b*) quo major dari non poteſt. Atque hæc eſt juſtiſſima *Eccleſiæ Catholicæ gloriatio*, eam ſe fidem & religionem profiteri, quæ innumerabilium teſtium ſanguine conſignata ſit. Etenim tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis perpetua fere & univerſalis perſecutio, (*c*) *prodigioſam* (*b*) Joan. 15. 13.

(*c*) *Vide Acta Martyr. ſincera & ſelecta per* Theodoric. Ruinart, *præſertim in Præfatione, ubi ingen-*

ſam Chriſtianorum *multitudinem*, omni tormentorum genere è medio ſuſtulit, inter quos, ut Divini Spiritus efficacia clarius eluceſceret, tenelli ſæpe *pueri* & *puellæ* cruciatus acerbiſſimos, invicto animo ſuperarunt.

Quod ad nos attinet, *Martyrum* exemplo diſcere debemus, ut per bonorum operum fructum & quarumvis adverſitatum tolerantiam per affectum noſtrorum abnegationem & *ſpirituale martyrium*, fidem noſtram palam ſemper teſtificemur.

Quæſt. 6. *Quid in Feſtis* SS. CONFESSORUM?

℞. Olim *Confeſſores* dicebantur, qui pro veritate Euangelica, quam palam *confeſſi* fuerant, vincula, carceres, tormenta, aut varia alia incommoda citra mortem ſuſtinuerant; hodie eo nomine vocantur illi, qui ſanctitate conſpicui *ſine Martyrio* vitam finiunt.

Generatim autem in eorum feſtivitatibus meditandæ ſunt virtutes in quibus *excelluerunt*. Deuſque orandus ut per illorum interceſſiones nobis tribuat, eaſdem virtutes imitari.

Q. 7. *Quid in Feſtis* SS. VIRGINUM?

℞. Hæ ſunt Eccleſiæ Chriſti ſingulare decus & ornamentum, illuſtriorque portio gregis Chriſti, (*a*) quæ in carne fragili & mortali vitam *Angelicam* æmulatæ ſunt.

Harum proinde exemplo animare oportet noſmetipſos, ut ſingulari *caſtitatis* amore Deo fide-

tem Martyrum multitudinem tuetur contra Henricum Dodvvellum *Anglum proteſtantem, qui de* paucitate Martyrum *diſſertationem ediderat: obiit Dodvvellus* 7. J*unii* 1711.

(*a*) *Vide* S. Ambroſ. *lib.* 1. *de Virgin.* Cyprian. Hieronym. Auguſtin. *alioſque Patres, qui in Sanctæ Virginitatis laudes paſſi fuerunt effuſiſſimi.*

Digitized by Google

fideliter ſerviamus, mundumque cum univerſis cupiditatibus ejus, Chriſto adjuvante, vincamus.

Q. 8. *Quid in Feſtis* SS. MULIERUM ET VIDUARUM?

℟. Glorificandus eſt Deus, quod *omne hominum genus*, ſtatus omnes & conditiones ad ſanctitatem vocet, noſque ipſi excitandi, ut illius ſtatus, aut muneris obligationes, in quo nos divina providentia collocavit, ſedulo impleamus, ut hoc pacto ad ſanctitatem, quam illæ conſecutæ ſunt, nos quoque pertingamus.

Q. 9. *Quorſum inſtituta eſt ſolemnis Feſtivitas* SANCTORUM *ſimul* OMNIUM?

℟. (*a*) Primum, ut, cum *ſingulis* per anni curſum ſingularis dies adſcribi nequeat, *una* ſaltem *omnes* Beatorum ordines *ſolemnitate* colerentur, proque eorum victoriis & triumphis grates Deo agerentur.

(a) Vide S. Bernard. *quinque Sermonibus agentem de hac ſolemnitate.*

2. Ut, quod cæteris Sanctorum feſtis per ſocordiam *negligentiamque* deliquimus, ſingulari devotionis fervore eo die ſarciamus.

3. Ut (*b*) deſideratam nobis ſuæ propitiationis abundantiam, *multiplicatis* interceſſoribus Dominus largiatur.

(b) Collecta Diei.

4. Ut, dum omnium Sanctorum merita ſub una celebritate veneramur, nullus ſit ſexus, ſtatus nullus, nulla conditio, quæ non habeat *exemplar* ſibi propoſitum, quod imitetur. Nam etſi primum virtutum omnium exemplar cunctis propoſitum ſit *Jeſus Chriſtus*; ne tamen infirmitas noſtra ad illam ſublimitatem *Dei hominis* obſtupeſcat, proponuntur nobis hodie, homines ſimiles nobis, in fragili carne mortales, ut nulla nobis juxta excuſatio ſuperſit, ſi pigeat eorum exempla ſectari.

5. Denique, ut, ex tantæ Sanctorum felicitatis

tatis meditatione, ad *cœleſtis gloriæ deſiderium* excitemur.

De hac celebritate ſic habet Martyrologium Romanum Kalendis Novembris: „ feſtivitas „ omnium Sanctorum, quam, in honorem B. „ Dei Genitricis Virginis *Mariæ* & Sancto- „ rum *Martyrum*, *Bonifacius Papa quartus* „ (*a*) dedicato Templo *Pantheon*, celebrem & „ generalem inſtituit agi quotannis in Urbe „ Roma; ſed & *Gregorius* item *quartus* poſt- „ modum decrevit eamdem feſtivitatem, quæ „ variis modis jam in diverſis Eccleſiis cele- „ brabatur, in honorem *omnium Sanctorum*, „ ſolemniter hac die ab univerſa Eccleſia per- „ petuo obſervari. „ De eadem hæc habet *Sigebertus* in Chronico, anno 835. „ Tunc „ monente *Gregorio* Papa & omnibus Epiſco- „ pis aſſentientibus, *Ludovicus Imp.* ſtatuit, „ ut in Gallia & Germania feſtivitas omnium „ Sanctorum in Kalend. Novemb. celebrare- „ tur, quam Romani ex inſtituto Bonifacii Pa- „ pæ celebrant.

(*a*) *Anno circ.* 607.

Q. 10. *Quid de commemoratione* OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM?

℟. Eccleſia in terris *Militans*, poſtridie quam *Triumphantem* in cœlis venerata eſt, illiuſque pro ſe patrocinium flagitavit, ex eodem ſpiritu *communionis Sanctorum*, curam ſuam convertit ad eccleſiam *Patientem*, ut ſuis illi ſuffragiis & præcipuè communi redemptionis ſacrificio opituletur. Omni quidem tempore in eccleſia catholica pro defunctis pie ac religioſe oratum fuit; eaque ratione ajebat *Tertullianus*: (*b*) *ex majorum traditione pro defunctis annua die* (*c*) *facimus*; at progreſſu temporis huic

(*b*) *Lib. de Corona Milit.*

(*c*) *Præter* diem annuam *cujuſque defuncti, quæ ob ſolutionis debitæ incertitudinem, in longam plerumque*

huic fidelium devotioni (uti & pleriſque aliis) ſingularis *ſolemnitas* addita eſt. Ad finem ſæculi decimi (*a*) *S. Odilo* Abbas Cluniacenſis vir probatiſſimæ & ſanctiſſimæ vitæ, privata devotione inſtituit, ut in ſuis monaſteriis una eademque die, ſecunda nempe Novembris, *univerſalis* ageretur memoria omnium fidelium defunctorum, „ quem ritum, ait *Martyrol.* „ *Rom.* (*b*) poſtea univerſalis Eccleſia reci- „ piens comprobavit. „ Multorum deinceps fidelium pia ſedulitate, devotio iſthæc latius extenſa ac propagata fuit, maxime ex quo oppugnari cœpta eſt. (*b*) 1. *Januar.*

Privata igitur ſollicitudine in dies alios reſervata, iſto die ad *omnes* generatim animas in Purgatorio detentas cura noſtra extendenda eſt: ſimulque aſſumendus *pœnitentiæ ſpiritus*, quo in hac vita pœnalibus operibus purgati, ſine ulla comparatione graviora poſt mortem tormenta evadere poſſimus.

Q. 11. *Quo ſpiritu peragendum eſt feſtum annuum* DEDICATIONIS ECCLESIÆ?

℞. Recordari oportet, *viſibile* illud Templum *cæremoniis plurimis* maximeque venerandis conſecratum fuiſſe, ut loco tantis myſteriis celebrandis deſtinato debita *reverentia* conciliare-

annorum ſeriem protrahi ſolet, ſingulariter celebrantur dies à depoſitione tertius, ſeptimus, *atque* trigeſimus. *Tertius quidem, ob myſterium adorandæ* Trinitatis, *& memoriam Dominicæ* Reſurrectionis. *Septimus, cum ad expiationem* ſeptenarii *hujus vitæ; tum ad impetrandum* Sabbatum *æternæ felicitatis. Trigeſimus, partim ob hujus numeri* arcanum *ſignificandum, quatenus ex fide* Trinitatis, *&* Decalogi *obſervatione colligitur; partim ob exemplum filiorum Iſrael, qui Moſen & Aaron triginta dies continuos luxiſſe leguntur.*

(*a*) *Circa an.* 998. *vide* Baron. *Mart.* 2. *Nov. &* 1. *Januar. item ad ann.* 1048. *quo* B. Odilo *mortuus eſt.*

Digitized by Google

ciliaretur: quam proinde in nobis ipſis excitare & renovare debemus. At præterea cogitare quiſque debet, ſe olim per Baptiſmum in (a) vivum Templum Patris, Filii, & Spiritus Sancti fuiſſe conſecratum: eritque adeò opportunum *Baptiſmalia promiſſa* firmo animi propoſito renovare, credendi in Deum, & abrenuntiandi pompis & operibus diaboli, id eſt, vanitati & corruptioni hujus ſæculi. Atque hæc conſideratio unicuique validum eſſe debet incentivum, ut *diſſolutionem* & *intemperantiam*, quæ, per aſtutiam ſerpentis antiqui, multis in locis in hos ſacros dies irrepſerunt, ſedulo ſatagat evitare.

(a) 1. Cor. 3. 16. & 17. & c. 6. 19. item 2. Cor. 6. 16.

Q. 12. *Quid facto opus, ut feſtum* PATRONI *ſui quiſque utiliter celebret?*

℟. Juvabit expendere, quæ in illo virtutes *ſingulariter* commendentur: earum deinde proprietates, utilitatem & neceſſitatem attentius *meditari*, ac denique ad earumdem imitationem ſeria voluntate accingi, adhibito ad eum finem ejuſdem Sancti apud Deum *patrocinio*. Debet porro generatim mentibus noſtris id eſſe impreſſum, Sanctorum cultum parum nobis profuturum, (b) niſi ſedulo annitamur reſectis vitiis eorum virtutes æmulari.

(b) Vide S. Auguſt. Serm. 317. aliàs 92. de diverſis.

Q. 13. *Quid de Feſtis* SS. ANGELORUM?

℟. Horum Feſtivitas præcipue celebratur 29. Septembris, quando ſimul omnium memoria agitur cum *Sancto Michaele* eorum Principe. Fit quoque ſpeciatim *Angelorum Cuſtodum* memoria die 2. Octobris, ſed minus ſolemniter.

Celebrandi *ratio* eſt, eorum cum Deo conjunctio, & pro nobis pia ſollicitudo, ut noſtras ante Dei Thronum orationes offerant, noſque tueantur ac protegant.

Divinæ autem benignitati, quæ tam ſublimes ſpiritus ſalutis noſtræ nobis dedit admini-

niſtros, ſincero cordis affectu *gratias agere* oportet: *revereri* deinde fideles omnes, quantumvis abjectos, aut parvulos, quia (*a*) *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt*: revereri etiam tutelaris Angeli noſtri *præſentiam*, ne peccatis noſtris (quantum in nobis eſt) affligatur, illique magna cum fiducia nos ac noſtra omnia cuſtodienda committere, cumque ob tantam noſtri curam cum intima gratitudine venerari. Denique juvabit noſmetipſos excitare, ut (*b*) *in conſpectu Angelorum* ferventi cordis affectu orationes noſtras effundentes, eas velut gratiſſimi odoris *incenſum* ante Dei conſpectum illis perferendas committamus.

(*a*) *Matth.* 18.10.

(*b*) *Pſal.* 137.1.

CAPUT XXXIV.

De VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

QUæſtio I. *Quid generatim* Virtus *eſt, & quæ ejus diviſio?*

℟. *Virtus* eſt facultas animi conſtans atque conveniens, laudabiles efficiens eos, in quibus eſt, & ipſa per ſe, ſemota etiam utilitate, laudabilis.

Uſitata Virtutis diviſio eſt in *Theologicam* & *Moralem*.

Theologicæ, ſic dictæ, quod circa Deum O.M. proximè & immediatè verſentur, numerantur tres, *Fides*, *Spes*, & *Charitas*, de quibus in ſuperioribus abunde tractatum eſt.

Morales ſic appellatæ, quod circa *mores*, id eſt, deliberatas hominum actiones occupentur, revocari ſolent omnes ad quatuor principales, quæ ceu quidam *Cardines*, in quibus omnis ho-

neſtæ

Digitized by Google

neſtæ vitæ ratio vertitur, dictæ ſunt, CARDINALES; (*a*) ſunt autem *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo*.

Q. 2. *Quid eſt* PRUDENTIA, *quæ illius partes*, *quæ officia?*

℞. Prudentia eſt *rerum expetendarum*, *fugiendarumque ſcientia*.

Partes ejus præcipuæ ſunt, attenta præteritarum rerum *recordatio*, circumſpecta & docilis *intelligentia* præſentium, cauta denique ac ſolers *providentia* futurarum.

Prudentiæ Chriſtianæ *officium* hæc præſertim duo complectitur. Primum eſt, ut optimum aptiſſimumque ſibi *vitæ genus*, divino Spiritu dirigente, quiſque mature deligat: alterum eſt, ut illius vitæ generis quod elegerit functiones & *obligationes* omnes accurate inveſtigans, nihil quod ſui muneris eſt prætermittat, actioneſque ſuas omnes ad præſcriptum rationis, Legiſque Euangelicæ exigat.

Q. 3. *Quænam potiſſimum ſequendæ ſunt* REGULÆ, *ut actiones humanæ à* Chriſtiana prudentia *non aberrent?*

℞. Regula *remota*, quam ſemper & ubique ſpectare oportet, eſt *lex æterna*, ſive voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans: *Proxima*, eaque in ipſo homine reſidens, eſt CONSCIENTIA, *Judicium* nempe illud *intellectus practici*, *dictans quid hic & nunc agendum ſit*, *quid fugiendum*; quod quidem in *certum*, *erroneum*, *dubium*, *probabile* & *ſcrupuloſum* dividi ſolet. Prudentia Chriſtiana exigit, ut nihil unquam *contra conſcientiam* fiat: *quidquid* enim *non eſt ex fide*, id eſt, dicta-

(*a*) *Vide* S. Ambroſ. *in lib. Officior.* S. Aug. *lib.* 1. *de Lib. Arb. c.* 13. & *lib. de Mor. Eccl. Cath. cap.* 15. *lib. de Gen. cont. Manich. c.* 10. *lib.* 1. *contra Academ. c.* 7. S. Bernard. *ex parvis Serm.* 35.

dictamine & perſuaſione conſcientiæ, Apoſtolo teſte, (*a*) *peccatum eſt*. Quocirca quiſquis agit contra conſcientiam quantumvis *erroneam*, ſi eam ante non *depoſuerit*, peccati reus eſt, & quidem talis, quale eſt id quod falſa perſuaſione ſubeſſe arbitratur. Nec tamen homini hujuſmodi, *ducem errantem* ſequi neceſſe eſt, niſi erret *invincibiliter*, quo caſu non modo non delinquit, ſed fieri nonnumquam poteſt, ut coram Deo mereatur, qui conſcientiæ *ſic* erranti bona fide ſanctaque intentione obtemperat: Quòd ſi erret *vincibiliter*, poteſt debetque *deponi*; nulla proinde datur unquam veri hominis *perplexitas*, aut peccandi *neceſſitas*.

(*a*) *Rom.* 14. 23.

Quod ad conſcientiam *dubiam* attinet, non *Chriſtianæ* tantum, ſed & *naturalis* prudentiæ lex eſt, ne ipſis quidem *Ethnicis* ignorata, ut nihil agas unquam, quod *dubites* æquumne ſit an iniquum, ſed quamdiu *in dubio* conſtitutus es, partem eligas *tutiorem*, id eſt, à peccati periculo remotiorem: ita ut hoc ipſo *graviter* deliquiſſe cenſendus ſis, ſi id egeris, de quo *dubitas* utrum ſic agendo graviter an leviter tantum ſis peccaturus. Hic ſane militant nota Scripturæ verba: (*b*) *qui amat periculum, peribit in illo*; iſta quoque: (*c*) *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

(*b*) *Eccli*, 3. 27.
(*c*) *Matth.* 1. 6. 26.

Quod ſi de *ſcrupuloſa* conſcientia agitur, quæ levi & contemnendo fundamento innixa, anxietatem parit de peccato, ubi nullum eſt; huic obtemperare non ſolum non eſt neceſſe, ſed contra plerumque obniti oportet; & præcipua hic *prudentiæ* regula eſt, *proprio judicio* abdicato, alterius potius viri docti ac prudentis judicio ex animo *acquieſcere*.

Q. 4. *At quid de* OPINIONE PROBABILI *gra-*

Digitized by Google

gravi fundamento, ſive à ratione, ſive ab au-thoritate, innixa præbetne hæc ſecuram morum ac prudentiæ Regulam?

℞. Primum cavendum eſt, ne quis ab ipſamet notione *opinionis probabilis* aberrans, mox offendat in limine; falſum quippe eſt, opinionem quamlibet, quæ in libro auctoris cujuſpiam *junioris & moderni* adſtruitur, cenſeri debere *probabilem*, dum non conſtat rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tamquam improbabilem, uti certo conſtat ex reprobatione propoſitionis 27. *Alex. VII.* (*a*)

2. Certum quoque eſt (*b*) non ſemper, aut *generatim prudenter* agere eum, qui confiſus probabilitate ſive *intrinſeca*, ſive *extrinſeca*, quantumvis tenui, quæ tamen *à probabilitatis finibus* non exeat, aliquid agit.

3. Non minus certum eſt, (*c*) in *Sacramentis conferendis* illicitum eſſe, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, *relicta tutiore*.

4. Falſum ab omnibus haberi debet (*d*) *judicem* poſſe judicare juxta opinionem *minus probabilem*; vel (*e*) ubi ſunt opiniones *æque probabiles*, poſſe pecuniam accipere, ut ferat ſententiam in favorem unius præ alio.

5. Certum eſt, (*f*) aſſenſum fidei ſupernaturalem & utilem ad ſalutem, ſtare non poſſe cum notitia *ſolum probabili* revelationis; aut cum formidine qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus: neque (*g*) excuſandum eſſe *infidelem*, qui non credit, ductus opinione *minus probabili*.

6. Interim meminiſſe oportet hanc quoque propoſitionem ab *Alex. VIII.* eſſe proſcriptam: (*h*) *Non licet ſequi vel inter probabiles probabiliſſimam*. Certum igitur eſſe debet, non ſemper peccare contra Regulas prudentiæ, qui ſequi-

(*a*) *Vide* §. 24. *App. num.* 1.

(*b*) *Ex Prop.* 3. Innoc. XI. *Vide* ibid. *num.* 2.

(*c*) *Ex Prop.* 1. Innoc. XI. *Vide* ibid. *num.* 4.

(*d*) *Ex Prop.* 2. Innoc. XI. *Vide* ibid. *num.* 5.

(*e*) *Ex Prop.* 26. Alex. VII. *Vide* ibid. *num.* 6.

(*f*) *Ex Prop.* 21. Innoc. XI.

(*g*) *Ex Prop.* 4. ibid.

(*h*) *Eſt* 3. Alex. VIII.

ſequitur opinionem *mere probabilem*, tametſi *minus tutam*; nam de ea quæ *probabiliſſima* ſit ſimul & *magis tuta*, nulla unquam fuit, aut eſſe potuit controverſia: neque id tantum locum habere cenſendum eſt, cum major illa probabilitas verſatur in jure *poſitivo*, verum etiam in *naturali*; hactenus ſaltem, ut qui ſic probabiliſſimam hujuſmodi in praxim redigit (uti ab omnibus etiam Deum ſerio timentibus fieri ſæpe ſolet) contra legem *prudentiæ*, regulaſve *conſcientiæ* non impingat.

His itaque, quæ certa hucuſque eſſe diximus, mature expenſis, eo plane tendere videtur doctrina & *mens Eccleſiæ*, ut duo hac in re vitentur *extrema*, quorum alterum probabilitati fere *totum*, alterum eidem *nihil* pene tribuit, ut proinde illicitum cenſeri debeat, agere juxta ſententiam *minus probabilem ſimul & minus tutam*: eligendumque ſit etiam tunc quod *tutius* eſt, cum *æqualia* utrimque momenta probabilitatis, mentem *ancipitem* reddunt: ut tamen illicitum haberi non debeat, amplecti ſententiam, quæ attente perpenſis omnibus, vere *probabilior* videatur & veritati conformior, tametſi forſitan ſit *minus tuta*. Ita apertiſſime docuit *S. Antoninus*, (*a*) ubi ait: " Poteſt aliquis tenere unam partem alicujus opinionis, & *ſecundum eam operari*, " dummodo talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ: & " quando etiam ex contrarietate opinionum " non inducatur ad *dubitandum*, ſed bonam " conſcientiam & credulitatem formet de eo " quod credit, tamquam *probabiliori parte*.

(*a*) 1. Part. T. 3. c. 10. §. 10.

Ad *veritatem* utique, quam in *moralibus* aſſequi ſæpe non poſſumus, tam prope ſaltem accedendum eſt quam accedi poteſt; quod cer-

te non ſit, cum *minus probabilia*, in quibus aliunde majus & apertius violandæ legis periculum eſt, ultro eliguntur. Quid id enim aliud eſt, quam *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus*, contra (*a*) *Auguſtini* regulam, *certis incerta præponere?* Non ſic filii hujus ſæculi negotia ſua inſtituere ſolent, ut ea quæ minus probabilia minuſque tuta videantur, probabilioribus præferant; non ſic viator iter agit; non ita æger medicam potionem accipiet &c. Cavendum igitur, ne in nobis impleatur quod olim Chriſtus aſſeruit: (*b*) *Filii hujus ſæculi* PRUDENTIORES *filiis lucis in generatione ſua ſunt*.

(*a*) *Lib.* 1. *de Bapt. cont. Donatiſt. cap.* 3.

(*b*) *Luc.* 16. 8.

Q. 5. *Quænam* Prudentia *Chriſtiano homini ſollicite evitanda eſt?*

℟. Illa quam Apoſtolus vocat (*c*) *Prudentiam carnis*, dicitque eſſe *inimicam Deo*; qua nempe quis ſapit, curat, providet ea quæ carnis ſunt; id eſt, quæ *depravatæ* hominis *naturæ* blanda & grata ſunt, ad ſe ſuaque commoda referens univerſa. Sectanda è diverſo ea prudentia eſt, quam Chriſtus totius ſapientiæ ac prudentiæ fons & origo, his verbis inculcat: (*d*) *Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, ut intelligamus ad Chriſtianam perfectamque prudentiam utrumque conjunctim requiri, *columbinam* videlicet *ſimplicitatem*, quæ innocentes, miteſque efficiat, & *ſolertiam Serpentinam*, quæ nos cautos ac providos reddat, ut nec fallamus ipſi, neque ab aliis pernicioſa fraude circumveniamur.

(*c*) *Rom.* 8. 6.

(*d*) *Matth.* 10. 16.

Id fiet, ſi doctrinæ Apoſtolicæ obtemperemus: (*e*) *Videte fratres, quomodo caute ambuletis; non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*. Quorum verborum hæc eſt ſententia:

(*e*) *Epheſ.* 5. 15.

tentia: (*a*) Cum dies mali ſint, & omnia peccandi periculis plena, cavendum eſſe, ne ſimus imprudentes & incauti in converſatione noſtra; ne pretioſum bene agendi tempus nobis effluat; ſed danda opera, ut intelligamus quid, quovis loco ac tempore à nobis fieri velit Deus, ut, cæteris poſtpoſitis, id exequamur.

(*a*) *Vide* Eſtium *in eum locũ.*

Q. 6. *Quid eſt* JUSTITIA?

℞. *Juſtitiæ* nomen interdum virtutum omnium Chriſtianarum complexionem denotat, à qua is *juſtus* dicitur, qui Deo gratus & amicus eſt.

At hoc loco contractius pro ſpeciali illa virtute ſumitur, cujus id eſt proprium, *conſtanti ac perpetua voluntate dare cuique quod ſuum eſt.* De Juſtitia vitiiſque illi adverſis ſuprà ſuis locis pleraque ſcitu magis neceſſaria jam dicta ſunt, in explicatione *Decalogi.*

Ut porro multiplicia *Juſtitiæ* officia certius & accuratiùs impleamus, memoria numquam excidat hæc æquitatis regula, quam ipſa Æterna Juſtitia Jeſus Chriſtus præſcripſit: (*b*) *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

(*b*) *Matth.* 7. 12.

Q. 7. *Quæ ſunt Virtutes aliæ, quæ ad* Juſtitiam *revocantur, illique* annexæ *dici ſolent?*

℞. Virtutes juſtitiæ *annexæ* dicuntur illæ, in quibus, vel non reperitur *ſtricta ratio debiti*, vel talis invenitur, quæ *ad æqualitatem* reddi non poſſit. Inter eas præcipuæ ſunt *Religio*, *Pietas & Obſervantia.*

RELIGIO eſt virtus illa, (*c*) qua Deo O.M. ceu Omnipotenti rerum omnium Conditori, & ſapientiſſimo ac benigniſſimo moderatori, *de-*

(*c*) *De* Religione, *vitiiſque ei oppoſitis multa ſparſim alibi dicta ſunt. Vide P. 1. Sect. 2. Cap. 20. P. 2. c. 1. & ſeqq. P. 3. Cap. 9. 10. & ſeqq. tribus.*

Digitized by Google

bitus cultus exhibetur. Deficit à ratione juſtitiæ, quod *ad æqualitatem* debitum perſolvere non poſſit. Enimvero quidquid habemus, quidquid poſſumus, quidquid ſumus, id totum debemus Deo: & (*a*) cum fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis, ſervi inutiles ſumus. Bonorum utique noſtrorum (*b*) ille non indiget: dumque illi ſervimus, nihil ipſi accedit, ſed nobis. Bonus ſane ac verus *Dominus*, qui ſervo neutiquam indiget, ſed ſine quo *ſervus* eſſe non poteſt.

(*a*) *Luc.* 17.10.
(*b*) *Pſalm.* 15.2.

Pietas ea virtus dicitur, qua *parentibus* & *Patriæ*, tamquam ortus noſtri poſt Deum auctoribus, conſanguineis item & civibus, debitum obſequium præſtamus.

Observantia debitum honorem exhibet *perſonis in dignitate* conſtitutis, tamquam vitæ noſtræ poſt Deum moderatoribus. Eam exercent ſervi erga Dominos, ſubditi erga principes, clerici omneſque fideles erga Epiſcopos & Paſtores, Monachi erga Abbates, diſcipuli erga Magiſtros.

Q.8. *Quid eſt* Temperantia?

℟. Eſt virtus, quæ ſenſuum oblectamenta, *guſtus* præſertim ac *tactus*, intra rectæ rationis limites coercet. Ad eam pertinent *Abſtinentia*, quæ in cibo, *Sobrietas*, quæ in potu moderando occupari dicitur, *Caſtitas* deinde, quæ ab illicitis voluptatibus, & *Pudicitia*, quæ ab omni aſpectu & tactu impudico refrænat.

De jejunio *quod ad temperantiam pertinet, vide P.3.Cap.30. De* gula *ibid. Cap.* 20.

Cæterum „ Habet, inquit *S. Auguſtinus*, „ (*c*) vir temperans in hujuſmodi rebus mor„ talibus & fluentibus regulam utroque Te„ ſtamento firmatam, ut eorum *nihil diligat*, nihil propter se appetendum putet; „ ſed ad vitæ hujus, atque officiorum ne„ ceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet „ utentis modeſtia, non *amantis* affectu. „

(*c*) *Lib. de Morib. Eccleſ. Cap.* 12.

Q. 9.

Q. 9. *Quid eſt* FORTITUDO?

℞. Eſt virtus, qua labores, mortiſque pericula, ſi quando pro veritate & juſtitia opus eſt, conſtanter & ſuſcipiuntur & perferuntur. Media eſt inter puſillanimem *Timiditatem*, & audacem *Temeritatem*.

Vera *Fortitudo*, Chriſtianorum eſt propria, dum nullis terroribus, nulliſque incommodis à Dei lege divelli queunt. Quæ res potiſſimum eminuit in *Martyribus*, qui tametſi ætate imbecilles, aut ſexu fragiles, memores tamen ſententiæ Salvatoris: (*a*) *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam;* tormenta quævis atrociſſima, ipſamque mortem potius pertulerunt, quam à Jeſu Chriſti fide, & veritate deſciſcerent. (*a*) *Matth.* 10.28.

Cæterum verum illud animi robur, nobis omnibus in Chriſti militia neceſſarium, ab eo poſtulandum & expectandum eſt, cujus (*b*) *virtus*, id eſt, fortitudo, *in infirmitate perficitur*, & illuſtrior evadit. Hoſtes habemus prævalidos, ſed quos militiæ noſtræ dux Jeſus Chriſtus, ſemel ita proſtravit, ut cum auxilio ejus eos etiam nos ſuperaturi ſimus. Ingentis quidem certamini res eſt, illecebras *carnis* blandientis, terrores & vanitates *mundi* ſeducentis, laqueos ignitaque tela *diaboli* inſidiantis, conſtanter ſuperare: ſed indeſinenti obtutu aſpiciamus (*c*) *in remunerationem*, & qui ex nobis ipſis nihil, omnia poterimus (*d*) in eo qui nos confortat. (*b*) 2. *Cor.* 12.9.

(*c*) *Hebr.* 11.26. *Pſalm.* 118. ℣. 112.
(*d*) *Philip.* 4.13.

CAPUT XXXV.

De QUATUOR *Hominis* NOVISSIMIS.

QUæſtio I. *Quæ dicuntur quatuor hominis* NOVISSIMA? (a)

(a) *Vide Catech. Caniſii.*

℟. Ea quæ inter cætera, quæ homini accidere poſſunt, extremum plane locum obtinent. Sunt autem: *Mors*, *Judicium*, *Infernus*, & *Cæleſtis gloria*. *Statutum eſt* enim *hominibus ſemel* MORI. *Poſt hoc* (b) *autem* JUDICIUM, tum *particulare*, ſtatim poſt mortem uniuſcujuſque, tum *univerſale* in conſummatione ſæculi. (c) *Procedent* autem *qui bona egerunt*, *in* VITAM ÆTERNAM, *qui vero mala egerunt*, *in reſurrectionem judicii*, *&* (d) IN SUPPLICIUM ÆTERNUM.

(b) *Hebr.* 9.27.

(c) Joan. 5.29.

(d) *Matth.* 25.46.

Q. 2. *Utiliſne eſt harum rerum frequens & attenta conſideratio?*

℟. Prorſus unicuique utiliſſima eſt: primum quidem, ut ab omni peccandi licentia, conſuetudine & proclivitate, ſalutari divini Numinis timore deterriti, in via virtutis, veræque pietatis profeſſione confirmemur, ac provehamur. Etenim (e) *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

(e) *Eccl.* 7.40.

Secundo, eo confert maxime horum *Noviſſimorum* ſeria meditatio, ut à cura, ſtudio & amore illarum rerum, quæ in hoc mundo, caducæ, fluxæ & vanæ ſunt, facilius ac ſtabilius avocemur, agnoſcentes univerſa, (f) quæ ſub ſole fiunt, vanitatem eſſe & afflictionem ſpiritus.

(f) *Eccl.* 1. 4.

Tertio, ex frequenti harum rerum cogitatione ſenſim aſſueſcimus, nihil unquam temere, aut inconſulto aggredi, ſed extrema primum

mum omnium nobis ob oculos ponere, fineque proſpecto *via regia* incedere, ut neque *ad dexteram*, neque *ad ſiniſtram* à recto deflectamus.

Q. 3. *Quid evenire ſolet filiis ſæculi hujus, quibus nimis triſtis & moleſta eſt* Noviſſimorum *conſideratio?*

℞. Ut (*a*) vanitatem diligant, & quærant mendacium, ut (*b*) abſque timore ullo perpetrent mala, imo non raro lætentur cum male fecerint, & exultent in rebus peſſimis. (*c*) *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi; ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Sic (*d*) *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* (*e*) *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: utinam ſaperent, & intelligerent, ac* noviſſima *providerent.*

(*a*) *Pſal.* 4.2. *Eccl.* 8.11. (*b*) *Prov.* 2.14. (*c*) *Job* 21.12. (*d*) *Prov.* 14.13. (*e*) *Deut.* 32.28. & 29.

Q. 4. *Quænam igitur circa* Mortem *præcipue conſideranda ſunt?*

℞. Expende 1. Nihil eſſe *certius*, quam te eſſe moriturum: ſed qua *hora* id futurum ſit, rem eſſe prorſus *incertiſſimam*, atque à ſolo nutu divinæ providentiæ momentis ſingulis pendentem. Interim vix nati ſumus, & ecce mori incipimus, (*f*) & *quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.*

(*f*) 2. *Reg.* 14.14.

2. Hominis *moribundi* anhelitus, & anguſtias, pallorem vultus, & lineamentorum omnium ſubitam confuſionem, utiliter tibi ob mentis oculos exhibebis, ut hanc (*g*) *univerſæ carnis viam* te quoque propediem ingreſſurum eſſe, nullo unquam tempore obliviſcaris.

(*g*) *Joſue* 23.14.

3. Quiſquis *infami voluptati*, ſpurciſque corporum deliciis perdite inardeſcit, is tantiſper conſideret, quomodo hæc ipſa corpora tantopere adamata, mox ubi mors animam ab illis ſeparavit, cunctorum horror fiant & *abomi-*

Digitized by Google

natio, omneſque feſtinent ea è conſpectu removere, vermibuſque ac putredini depaſcenda committere.

(a) Pſal. 33.22. (b) Pſal. 115.15. 4. Ut (*a*) *mors peccatorum peſſima* eſt, eorum ſcilicet, qui gravi crimine obſtricti, ſine pœnitentia moriuntur: ita (*b*) *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. His quippe mors iſta corporis, nihil eſt aliud quàm laborioſæ hujus peregrinationis, & ærumnoſi exilii terminus, quieta & ſecura uſque ad futuram reſurrectionem obdormitio, veræ vitæ principium, & optabilis tranſitus ad beatam immortalitatem: cujus deſiderio Apoſtolus flagrans, (c) Philip. 1.23. & hujus mortalitatis pertæſus, cupiebat (*c*) *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Enimverò (*d*) (d) Apoc. 14.13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos*.

5. Denique ut mors nobis obtingat felix, indeſinenti ſtudio laborandum eſt, ne obveniat imparatis. Idcircò toties in Euangelio nobis (e) Matth. 25. Marc. 13. Luc. 12. repetitur illud: (*e*) *Vigilate*: item, *Eſtote, parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. (*f*) (f) Galat. 6.10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*. (*g*) (g) Joan. 4.9. *Venit* enim *nox, quando nemo poteſt operari*.

Q. 5. *Quid de* JUDICIO *præcipuè cogitandum eſt?*

℞. Horrendum eſſe incidere in manus illius Judicis, cujus non liceat poteſtatem effugere, ſapientiam fallere, æquitatem flectere, judicium retractare. Chriſtus ſcilicet, qui in primo ſuo adventu, ut mitiſſimus *Agnus* apparuit; (h) Apoc. 5.5. in ſecundo, ut *Leo* (*h*) terribilis apparebit; (i) 1. Cor. 4.5. ſcrutabitur (*i*) Jeruſalem in lucernis, revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit (k) Pſal. 74.3. conſilia cordium: ipſaque etiam benefacta (*k*) & juſtitias noſtras judicabit, ut det unicuique

juxta

juxta viam ſuam, (*a*) & juxta fructum adinventionum ſuarum. Quod dum ipſimet Sancti ac juſti attenta mente perpendunt, trementes & pavidi cum Davide exclamant: (*b*) *Ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine.* (*a*) *Iſai.* 1.10. (*b*) *Pſal.* 142.2.

Ut verò clementem tunc Judicem, ac diem illum, (*c*) quo cœlum & terra tranſibunt, lætum nobis, fauſtumque habeamus; nihil utilius iſto Sapientis conſilio: (*d*) *Ante languorem adhibe medicinam, & ante judicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei invenies propitiationem.* (*e*) *Si enim noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* (*c*) *Luc.* 21.33. (*d*) *Eccli.* 18.20. (*e*) 1. *Cor.* 11.31.

Vide Part. 1. Sect. 1. Cap. 24. ubi de *Judicio* latius actum fuit.

Q. 6. *Quid de* INFERNO *ejuſque pœnis cum animis noſtris expendere debemus?*

℟. Ut (*f*) *divini timoris* ſtimulo carnes noſtræ configantur, perpendatur ſupplicii primum *acerbitas*, deinde *æternitas*: quod ſi ita ſerio fiat, ut ad cor penetret, nemo eſt, tam ferreus, qui non toto animo ac corpore contremiſcat. (*f*) *Pſalm.* 118. *v.* 120.

Conſidera ergo ante omnia, luctuoſum, triſte, ac horridum à jucundiſſimo Dei conſpectu *exilium*: adde *fletum* & *ſtridorem dentium*: dilaniatæ conſcientiæ *vermem*, qui non moritur, & *ignem* qui non extinguitur, quo *miris* ſed *veris modis*, non ſolum corpora, ſed & animæ torqueantur. Concipe *terram tenebroſam* & opertam mortis caligine, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed *ſempiternus horror* inhabitat: ubi *ſtagnum ardens* igne & ſulphure, quod eſt *mors ſecunda*: ubi denique pro *diverſitate meritorum*, diverſa ſingulis ſupplicia deſtinata ſunt.

His omnibus demum adjunge *Æternitatem*, tamdiu duraturam, quamdiu exiſtet Deus, id

Digitized by Google

eſt, deſituram omnino numquam; hancque ſempiternæ durationis *abyſſum* damnatorum oculis perpetuo obverſantem, & infinita quodammodo *deſperatione* eorum animos diſrumpentem; & totus obſtupefactus haud dubie exclamabis: (*a*) *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*! (*b*) *Quis novit poteſtatem iræ tuæ*? O æternitas! o ſemper duratura æternitas! Eheu quam fatua, quam inſana, quam phrenetica commutatio! *Momentaneum* quod delectat, *æternum* quod cruciat! (*c*) *Timete ergo eum* (ipſius Chriſti verba ſunt) *qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittendi in gehennam; ita dico vobis, hunc timete*.

(a) *Hebr.* 10.31.
(b) *Pſal.* 89.1.
(c) *Luc.* 12.5.

Cæterum ad tam acerbam pœnarum æternitatem humanæ mentis acies obtunditur, propterea quod *atrocitatem* criminum, quibus *immenſa* Dei Majeſtas læditur & quodammodo violatur, inter hujus mortalis vitæ tenebras, atque caliginem intellectu non ſatis aſſequi valeat. Communis interim Theologorum cum *S. Thoma* ſententia eſt, in ipſa quoque juſtiſſima impiorum damnatione, aliquid divinæ *miſericordiæ* eſſe admixtum, dum eos punit *citra condignum*, quemadmodum juſtis præmia retribuit *ultra condignum*.

Q. 7. *Quid de juſtorum retributione* CŒLESTISQUE GLORIÆ FELICITATE *potiſſimum meditandum eſt?*

℞. Videri poſſunt ea quæ de hac re Parte prima Sect. 1. Cap. 31. dicta ſunt. Hoc loco ſatis erit æternæ felicitatis *ineffabilem magnitudinem*, ex hoc utcumque conjicere, quod is, qui illam amicis ſuis præparavit, ſit DEUS O. M. poteſtate illimitata, ſapientia immenſa, bonitate infinita. Quidquid aliud dicitur, immenſum illud gloriæ pondus vix minima ſui parte adumbrat; maxime ob illam ſtabilem in

Deo

Deo totius bonitatis fonte *tranquillitatem*, quæ quia in omne ævum cum plena animi *ſatietate* eſt duratura, omnem ſenſum ſuperat & intellectum. Hoc unum interim veriſſime dicere poſſumus, (a) *Non eſſe condignas* hujus temporis paſſiones, tribulationes atque moleſtias, etiam in unum omnes ſimul congeſtas, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ſi per fidem, ſpem & charitatem conſtanter adhæreamus Deo. Quo tendit tota hujus libri doctrina, cui miſericordiarum parens largum tribuat incrementum, & nomini ſuo gloriam ſempiternam. *Amen.*

(a) Rom. 8.18.

FINIS.

APPENDIX.

Propoſitiones à Summis Pontificibus reprobatæ.

QUod ſub finem prioris tomi factum eſt, idem hic facere viſum eſt, recenſere ſcilicet ſecundum ordinem materiarum, quas hoc ſecundo tomo tractavimus, propoſitiones, quas poſt Concilium Trid. varii ſummi Pontifices reprobarunt, ut quoties opus fuerit, in promptu ſint, earumque contradictoriæ pro *Regulis* ac *principiis* in rebus Theologicis adhibeantur.

§. 1. De Spe et Mercedis intuitu.

1. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, *mere*, *ut* CŒLESTEM *obtineat gloriam*, non eſt bona, nec Deo placens. *Eſt* 10. *inter* 31. *damnat. ab Alex. VIII. ann.* 1690.
2. Quiſquis etiam ÆTERNÆ MERCEDIS *intuitu* Deo famulatur, *Charitate* ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. *Eſt* 13. *ibid.*
3. Homo NULLO unquam vitæ ſuæ TEMPORE tenetur elicere actum *Fidei*, SPEI, & *Charitatis*, ex *vi præceptorum divinorum* ad eas virtutes pertinentium. *Eſt* 1. *inter* 45. *Alexand. VII.*

§. 2. De Timore.

1. Si ſolus ſupplicii *timor* animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, *eo magis ducit ad deſperationem*. Eſt 60. inter 101. *Quenell.*

2. Ti-

2. Timor *non niſi manum* cohibet, cor autem tamdiu *peccato addicitur*, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. *Eſt 61. Ibid.*
3. Qui à malo non *abſtinet*, niſi *timore pœnæ*, illud *committit* in corde ſuo, & jam eſt *reus* coram Deo. *Eſt 62. Ibid.*
4. *Baptizatus* adhuc eſt *ſub lege*, *ſicut Judæus*, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore. *Eſt 63. Ibid.*
5. Sub maledicto legis *numquam* fit bonum, quia *peccatur* ſive faciendo malum, ſive illud non niſi *ob timorem evitando*. Eſt 64. ibid.
6. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui ſunt abſque eo, quòd *ullum* Deo dederint *filium*, cùm non effecerint niſi *mancipia* per timorem. *Eſt 65. ibid.*
7. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum *brutalibus paſſionibus*, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut *per timorem ſicut beſtiæ*, ſed per fidem & per amorem ſicut filii. *Eſt 66. ibid.*
8. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum *niſi* ut dominum *durum*, *imperioſum*, INJUSTUM, *intractabilem*. *Eſt 67. ibid.*

§. 3. De Oratione, et Meditatione.

1. Oratio impiorum eſt *novum peccatum*, & quod Deus illis concedit, eſt *novum in eos judicium*. Eſt 59. inter 101. Queſnell.

Huc etiam ferè pertinent 68. propoſitiones *Michaelis de Molinos*, quas an. 1687. damnavit *Innocent. XI.* In iis magna ex parte agitur de *vita interna*, *contemplatione*, & *Oratione* QUIETIS, unde *Quietiſtarum* nomen derivatum eſt. Totum porro ſyſtema *nequitiæ Molinoſticæ* eò potiſſimùm tendit (id quod

Vide Steyaert *in Propp. damnat.*

quod & in *Gnoſticis*, *Manichæis*, *Beguardis*, *& Beguinis* pridem uſu venit) ut homines, juxta perverſitatem ſibi congenitam, conjungere poſſint *ſenſualitates* maximas omneſque *paſſiones deſiderii*, cum mira, nova, & extraordinaria *ſpiritualitate*, quæ nimirum ad *altitudines Satanæ* pertinet, utque ſupremus gradus conſcientiæ *cauteriatæ* recipiatur uti apex *contemplationis* & *pacis internæ*. Docet itaque, ſtatum quemdam eſſe, in quo ſub obtentu cujuſdam divini amoris, qui ſit proprius vitæ, quam *unitivam* vocant, non debeat quis curare obſervationem mandatorum Dei & Eccleſiæ, Sacramentorum perceptionem, orationem vocalem, jejunia & alias carnis macerationes, nec agendum deinceps eſſe, aut reſiſtendum, ſed patiendum & quieſcendum; quæ ſanè pernicioſiſſima deceptio, & hæretica perſuaſio eſt.

Propoſitiones Michaelis de MOLINOS.

1. OPortet homines ſuas potentias annihilare: & hæc eſt via interna.

2. Velle operari activè, eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus Agens, & ideò opus eſt, ſeipſum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & poſteà permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis eſt Gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem; quia Deus vult operari in nobis ſine nobis.

5. Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ſuum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei in qua transformata remanet.

net, ac divinizata, & Deus tunc in ſeipſo remanet; quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantùm : & hac ratione vivit Deus, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.

6. Via interna eſt illa, in qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio; & non oportet Deum cognoſcere; & hoc modo rectè proceditur.

7. Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiſo, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, nec ne; nec opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminiſci nec ſui, nec Dei, nec cujuſcumque rei; & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur nec ne, non opus eſt reflectere.

12. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiſo; nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.

13. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam Divinam voluntatem.

14. Qui

14. Qui Divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere eſt imperfectio, cùm ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle, quòd Divina voluntas noſtræ conformetur, & non noſtra Divinæ. Et illud Euangelii: *Petite & accipietis*, non eſt dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immò hujuſmodi animæ eò perveniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita: quia melius eſt Divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quàm Divinam miſericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura & cognitione animæ noſtræ, non eſt ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria, & ſi natura commoveretur, oportet ſinere, ut commoveatur; quia eſt natura.

18. Qui in oratione utitur Imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Aſſerere quòd in oratione opùs eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, igno-

ignorantia eſt. Deus nunquam loquitur; ejus locutio, eſt operatio; & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, & cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctionis attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, ſed eſt cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſteà cognoſcit illam ſe habuiſſe; & idem dicitur de amore.

23. Myſtici cum S. Bernardo in ſcala Clauſtralium diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat (abſque eo, quòd ipſa id expectet) ad contemplationem infuſam: & hac ceſſante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere abſque eo quòd ampliùs redeat ad ſecundum, aut primum.

24. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem & Sacramenta, ſi voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei, quia anima tunc magis Divinæ voluntati reſignata remanet.

25. Et-

Digitized by Google

25. Etiamſi perveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio, & reſignatio, reſignatio & oratio idem ſunt; & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica, cùm non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſeipſum, & malè agit; cùm eam deſideret, & eam habere conetur, qui per viam internam incedit tam in locis ſacris, quàm in diebus ſolemnibus.

28. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt; ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſeipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

30. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum & immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

32. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro iſtis animabus internis, quàm permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui fieri poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; aliàs ſunt impulſus naturæ, nondum mortuæ.

33. Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam

viam internam, ſi in diebus Solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum; quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes Feſtivi: & idem dicitur de locis Sacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo, non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam, ſeu *Pater noſter* recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes, etiam virtuoſas, ex propria electione, & activitate, aliàs non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti, quia cùm iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare & poſſidere.

37. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione remanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum; ideòque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori,

41. Deus permittit, & vult, ad nos humilian-

liandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat eorum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione; movendo phyſicè eorum manus, & alia membra contra eorum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos: in quo caſu non ſunt peccata; quia in his non eſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quo hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

43. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio, nunc verò eos efficit Sanctos miniſterio dæmonum, qui, cauſando in eis prædictas violentias, facit, ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.

44. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis; quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt; unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via. Et hæc eſt via facilior, & tutior.

47. Cùm hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut ſatanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo; & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non

non opus eſt, ſeipſum inquietare : ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſimè fit, non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

48. Satanas, qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde, graviora eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in Via Interna ulteriùs progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore, *quo mundas ad Deum habebat preces* (ſic interpretando locum ex cap. 16. Job.)

50. David, Jeremias, & multi ex ſanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos. Uti illud de Sampſone, qui per violentiam ſe ipſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuiſſent. De Juditha, quæ Holoferni mentita fuit. De Eliſeo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel dæmonum miniſterio, ut in aliis animalibus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cùm hujuſmodi violentiæ, etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, ut de facto ſemper magis unitur.

53. Ad

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod in iis conſenſerint; & videre, quod ſint animæ, quæ proficiunt in via interna: ſed regulam ſumere à lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violentia; & certus ſum, quod hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium; eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animum certum reddit, quod ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ultra ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulteriùs lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquiſitam pervenitur

nitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna ſejuncta eſt à Confeſſione, à Confeſſariis, à Caſibus Conſcientiæ, à Theologia, & à Philoſophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus Confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia præſervante, quantam in Sacramento reciperent: & ideo hujuſmodi Animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; quia id eſt illis impoſſibile.

61. Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quàm quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

62. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimo ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, id eſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, ac ſi non eſſent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.

63. Per viam internam pervenitur ad ſtatum continuum immobilem in pace imperturbabili.

64. Theologus minorem diſpoſitionem habet quam homo rudis, ad ſtatum Contemplativi. Primo quia non habet fidem adeo puram. Secundo quia non eſt adeo humilis. Tertio quia non adeo curat propriam ſalutem. Quarto quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

65. Præ-

65. Præpoſitis obediendum eſt in exteriore: & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res ſe habet, quo ſolus Deus, & Director intrant.

66. Riſu digna eſt nova quædam Doctrina in Eccleſia Dei; quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, Anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam, dico, doctrinam, quia nec ſacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt; quia Eccleſia non judicat de occultis; & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.

67. Dicere, quod internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio; quia Eccleſia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus & ſimulationibus.

68. In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum Animæ, & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus ſatanæ, &c.

§. 4. De afflictionibus Juſtorum.

1. *Omnes omnino* juſtorum afflictiones ſunt *ultiones peccatorum* ipſorum, unde Job & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt. *Eſt 72. inter Bajanas.*
2. Nemo præter Chriſtum eſt abſque originali peccato: hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, *omneſque ejus afflictiones* in hac vita, ſicut & aliorum juſto-

juſtorum fuerunt ultiones *peccati actualis*, vel originalis. *Eſt* 73. *ibid.*

3. *Numquam* Deus affligit *innocentes*, & afflictiones *ſemper* ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Eſt* 70. *inter* 101.

§. 5. De Horis Canonicis.

1. *Unico officio* poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, *pro die præſenti & craſtino*. Eſt 35. Alex. VII.
2. In die *Palmarum* recitans officium *Paſchale* ſatisfacit præcepto. *Eſt* 34. *ibid.*
3. Qui non poteſt RECITARE matutinum & laudes, poteſt autem reliquas horas, *ad nihil tenetur*; quia major pars trahit ad ſe minorem. *Eſt* 54. *Innoc. XI.*
4. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, *ſatisfacit* obligationi, ſi officium *per alium* recitet. *Eſt* 21. *Alex. VII.*
5. Restitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, *non debetur in conſcientia* ante ſententiam declaratoriam judicis, eo quòd ſit *pæna*. *Eſt* 20. *Alexand. VII.*
6. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per *quaſcumque eleemoſynas*, quas *antea* beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit. *Eſt* 33. *ibid.*

§. 6. De Charitate.

1. Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro & conſcientia bona & fide non ficta, tam in catechumenis quàm pœnitentibus poteſt eſſe *ſine remiſſione peccatorum*.

Eſt 31. inter 79. Bajanas, damnatas à S. Pio V. an. 1567.

2. Charitas, illa, quæ eſt plenitudo legis, *non eſt ſemper conjuncta* cum remiſſione peccatorum. *Eſt 32. ibid.*

3. Catechumenus juſte, rectè & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet *per charitatem*, ante obtentam *remiſſionem peccatorum*, quæ in baptiſmi lavacro demum percipitur. *Eſt 33. Ibid.* Addi etiam poſſunt Prop. 34. & 36. *ibid.*

4. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem, & *charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis*. Eſt 70. ibid.

5. Per contritionem, etiam cum *charitate perfecta*, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, *non remittitur crimen* extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, *ſine actuali ſuſceptione Sacramenti*. Eſt 71. ibid.

6. Omnis amor creaturæ rationalis, aut *vitioſa* eſt *cupiditas*, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa *charitas*, qua, per ſpiritum ſanctum in corde *diffuſa*, Deus amatur. *Eſt 38. ibid.*

7. Non eſt *vera* legis *obedientia*, quæ fit ſine *charitate*. Eſt 16. ibid.

8. Omnis *humana actio deliberata* eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, *charitas Patris* eſt, ſi mundi, *concupiſcentia carnis*, hoc eſt, mala eſt. *Eſt 7. Alexand. VIII. inter 31.*

9. Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui *omnia* agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt *non refert*, & *pro-*

pter

pter hoc ipſum ſit malus. Eſt 44. inter 101. Quenell.

10. *Amore* Dei in corde peccatorum *non* amplius *regnante*, NECESSE EST ut in eo carnalis *regnet cupiditas*, *omneſque* actiones ejus corrumpat. *Eſt* 45. *ibid.*

11. CUPIDITAS, aut CHARITAS (*a*) uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt. Eſt 46. ibid. (*a*) *Intellige* ſola.

12. *Obedientia* legis profluere debet ex fonte, & hic FONS eſt *Charitas.* Quando Dei amor eſt illius *principium* interius, & Dei gloria ejus *finis*, tunc purum eſt, quod apparet exterius; *alioquin non eſt niſi hypocriſis*, *aut falſa juſtitia.* Eſt 47. ibid.

13. *Quid* aliud eſſe poſſumus niſi tenebræ, niſi aberratio, & NISI PECCATUM ſine fidei lumine, ſine Chriſto, *ſine charitate?* Eſt 48. ibid.

14. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita NULLUM *eſt opus bonum ſine amore Dei.* Eſt 49. ibid.

15. FRUSTRA *clamatur* ad Deum; Pater mi, ſi *ſpiritus charitatis* non eſt ille, qui clamat. *Eſt* 50. *ibid.*

16. Fides juſtificat quando operatur; ſed ipſa NON OPERATUR *niſi per charitatem.* Eſt 51. ibid.

17. SOLA *charitas* eſt, quæ Deo loquitur; eam *ſolam* Deus audit. *Eſt* 54. *ibid.*

18. Deus non coronat NISI *charitatem*; qui currit ex alio impulſu, & *ex alio motivo*, *in vanum currit.* Eſt 55. ibid.

19. Deus non remunerat NISI charitatem, quoniam *charitas* SOLA *honorat Deum.* Eſt 56. ibid.

20. TOTUM deeſt peccatori, quando ei deeſt *ſpes*: & NON EST SPES in Deo, *ubi non eſt amor Dei.* Eſt 57. ibid.

Digitized by Google

(a) *Nulla ergo ultra Religio in corde peccatoris.*

21. Nec Deus eſt, nec (a) RELIGIO, *ubi non eſt Charitas*. Eſt 58. ibid.

Huc etiam revocandæ ſunt XXIII. Propoſitiones excerptæ ex Libro, cui titulus *Explication des Maximes de Saints ſur la vie interieure*, quas *Innoc. XII.* an. 1699. reprobavit. Verſantur eæ potiſſimùm in adſtruendo *amore* quodam *puro*, ſine ulla admixtione motivi *proprii intereſſe*, ſine timore pœnarum & deſiderio *remunerationis* &c. & in aſſerendo *ſtatu* quodam *ſanctæ indifferentiæ* etiam quoad beatitudinem æternam: hunc eſſe ſtatum vitæ *contemplativæ*, ſeu *unitivæ*, ſtatum *paſſivum*, ſtatum *animarum transformatarum*; & in hoc ſtatu, *purum amorem* conſtituere *ſolum totam* vitam interiorem, & evadere *unicum principium* & *unicum motivum* omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt. Contrà ſtatuendum eſt, nullum dari in hac vita mortali *ſtatum perfectionis*, à quo exulent timor gehennæ, & deſiderium remunerationis æternæ. *Actus* utique *ſpei* ab homine Chriſtiano quantumvis perfecto ſæpè exerceri debet, nec ſine flagitio æternæ ſuæ damnationi acquieſcere unquam poteſt.

PROPOSITIONES SUNT HÆ.

1. DAtur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſive uniti-

væ

væ amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.

3. Id quod eſt eſſentiale in directione Animæ eſt, non aliud facere, quàm ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere ut ſinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeò durum eſt Animabus adhuc ſibimet affixis, & adeò poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ Anima non habet ampliùs deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis; omnia Deo volumus. Nihil volumus ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus ampliùs ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.

7. Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renuntiatio quam Jeſus Chriſtus à nobis in Euangelio requirit poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium.... Extremæ probationes in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt ten-

tationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perſugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quàm maximè deſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia.... Sed hoc Sacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo.

10. Tunc Anima diverſa à ſemetipſa exſpirat cum Chriſto in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit Sacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, id eſt, in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium deſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit.

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori..... In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca & involuntaria perturbatione; jam totum

quod

Digitized by Google

quod eſt voluntarium & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur... Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeò ſublimis, adeòque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis. Primò in fervore naſcente earum contemplationis. Secundò, anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.

18. In ſtatu..... paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando quòd ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult, amplius & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeò virtute præditus, quàm cum virtuti ampliùs affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd anima paſſiva, & deſintereſſata, nec ipſum amorem vult ampliùs, quatenùs eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenùs eſt id, quod Deus à nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu ani-

marum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Euangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini Juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum qui deliberati, & meritorii ſunt.

§. 7. De Præcepto Dilectionis Dei.

1.....Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. *Hunc homo* NON TENETUR AMARE *neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis*. Alexand. VIII. damnavit ut hæreticam an. 1690. 24. Auguſti.

2. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei SEMEL *tàntùm* in vita eliceret? condemnare non audemus. *Eſt* 5. *Innoc. XI.*

3. Probabile eſt *ne ſingulis quidem* rigorosè QUINQUENNIIS *per ſe* obligare præceptum charitatis erga Deum. *Eſt* 6. *ibid.*

4. *Tunc* SOLUM *obligat*, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam qua juſtificari poſſimus. *Eſt* 7. *ibid.*

5. Quamdiu *aliquid concupiſcentiæ* carnalis in diligente eſt, *non facit præceptum*, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Eſt* 75. *inter Bajanas*.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8. Circa Relationem Operum in Deum.

1. Sola *charitas* Chriſtiano modo facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum & Jeſum Chriſtum. *Eſt* 53. *Quenell.*
2. *Revera* PECCAT qui odio habet peccatum *merè* ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad *Deum offenſum* reſpectu. Eſt 9. inter 31. Alex. VIII.
3. Huc etiam aliquouſque pertinent propoſitiones ſuprà relatæ §. 1. num. 1. & 2. item §. 5. à num. 6. uſque ad 18. incluſivè.

§. 9. De Præcepto dilectionis Proximi.

1. Non tenemur proximum diligere *actu interno & formali*. Eſt 10. Innoc. XI.
2. Præcepto Proximum diligendi ſatisfacere poſſumus *per ſolos actus externos*. Eſt 11. ibid.
3. Si cum debita moderatione facias, potes *abſque peccato mortali* de vita alicujus *triſtari*, & de illius morte naturali *gaudere*, illam inefficaci affectu *petere & deſiderare*; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod *temporale emolumentum*. Eſt 13. ibid.

§. 10. De Eleemosyna.

Vix in ſæcularibus invenies, etiam *Regibus*, ſuperfluum ſtatui: & ita *vix aliquis tenetur* ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatus. *Eſt* 12. *ibid.*

§. 11. De Legibus.

1. Tametſi detur *ignorantia invincibilis* juris naturæ, hæc tamen in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa *non excuſat à peccato formali.* Eſt 2. Alex. VIII.
2. Homo ob ſui conſervationem poteſt SESE DISPENSARE ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Eſt* 71. *inter Quenell.*
3. *Diſcrimen* inter fœdus Judaicum & Chriſtianum eſt quod in illo Deus exigat fugam peccati, & implementum legis à peccatore, *reliquendo eum in ſua impotentia*: in iſto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum ſua gratia purificando. *Eſt* 6. *ibid.* Vide etiam 7. & 8. huic ſimiles.
4. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt abſque eo, quod ullum Deo dederint *filium*, cum non effecerint *niſi mancipia* per timorem. *Eſt* 65. *ibid.*

§. 12. De Imagine Dei.

Prop. unica. Dei Patris ſimulacrum *nefas eſt* Chriſtiano in templo collocare. *Eſt* 26. *Alex. VIII.*

§. 13. De Juramento et perjurio.

1. Vocare Deum in teſtem MENDACII LEVIS, non eſt *tanta irreverentia*, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem. *Eſt* 24. *Innoc. XI.*
2. Cum cauſſa licitum eſt jurare *ſine animo jurandi*, ſive res ſit gravis, ſive levis. *Eſt* 25. *ibid.*

3. Si

3. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine *jurer ſe non feciſſe* aliquid, quod *revera fecit*, INTELLIGENDO aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud *additum* verum, revera *non mentitur*, *nec eſt perjurus*. Eſt 26. ibid.

4. *Cauſſa juſta* utendi his AMPHIBOLOGIIS eſt, *quoties* id neceſſarium, aut utile eſt, ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio tunc cenſeatur expediens & ſtudioſa. *Eſt 27. ibid.*

5. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum RESTRICTIONE MENTALI *præſtare juramentum*, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, *non habito reſpectu ad intentionem exigentis*; quia non tenetur fateri crimen occultum. *Eſt* 28. *ibid.*

6. Nihil Spiritui Dei & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam *communia facere juramenta* (*a*) IN ECCLESIA, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum. *Eſt* 101. *inter Quenell.*

(*a*) *Alluditur ad juramentũ* formularii *quod adversùs doctrinã Janſenii præſcripſit Eccleſia.*

§. 14. CIRCA IV. PRÆCEPTUM DECALOGI.

1. Licitum eſt Filio *gaudere de* PARRICIDIO parentis à ſe inebrietate perpetrato, *propter ingentes divitias* inde ex hæreditate conſecutas. *Eſt* 15. *Innoc. XI.*

2. Licitum eſt *abſoluto deſiderio* CUPERE MORTEM PATRIS, non quidem ut malum pa-

tris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt *pinguis hæreditas*. Eſt 14. ibid.

§. 15. *Circa V. præceptum*, DE HOMICIDIO ET DUELLO.

1. Regulariter poſſum occidere furem *pro conſervatione unius aurei*. Eſt 31. ibid.
2. Non ſolum licitum eſt defendere *defenſione occiſiva* quæ *actu* poſſidemus, ſed etiam ad quæ Jus INCHOATUM habemus, & quæ nos *poſſeſſuros ſperamus*. Eſt 32. ibid.
3. Licitum eſt tam *hæredi* quam *legatario*, contra INJUSTE IMPEDIENTEM, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe *taliter defendere*: ſicut & jus habenti ad *cathedram*, vel *præbendam* contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem. *Eſt* 33. *ibid.*
4. *Licet interficere* falſum ACCUSATOREM, falſos TESTES ac etiam JUDICEM, à quo iniqua *certo* imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evadere. *Eſt* 18. *Alexand. VII.*
5. *Fas eſt viro honorato* occidere invaſorem, qui nititur CALUMNIAM inferre, ſi aliter hæc *ignominia* vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis incutiat ALAPAM, vel FUSTE percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis *fugiat*. *Eſt* 30. *Innoc. XI.*
6. *Eſt licitum Religioſo, vel clerico*, CALUMNIATOREM gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere *minantem, occidere*: quando alius modus defendendi non ſuppetit: *uti ſuppetere non videtur*, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. *Eſt* 17. *Alex. VII.*

7. Non

7. *Non peccat* maritus, occidens *propria anthoritate*, uxorem in ADULTERIO deprehenſam. *Eſt* 19. *ibid.*
8. *Licet procurare* ABORTUM *ante animationem fœtus*, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur. *Eſt* 34. *Innoc. XI.*
9. *Videtur probabile* omnem fœtum quamdiu in utero eſt, carere anima rationali; & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac conſequenter dicendum erit *in nullo* ABORTU *homicidium committi.* Eſt 35. ibid.
10. Vir equeſtris ad DUELLUM provocatus, *poteſt illud acceptare*, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *Eſt* 2. *Alex. VII.*

§. 16. *Circa VI. præceptum*, De Peccatis Luxuriæ.

1. Tam clarum videtur *fornicationem ſecundum ſe* nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe *malam quia interdictam*, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur. *Eſt* 48. *Innoc. XI.*
2. Qui habuit *copulam* cum ſoluta, *ſatisfacit* confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta peccatum grave contra caſtitatem, *non explicando copulam*. Eſt 25. Alexand. VII.
3. Copula cum conjugata *conſentiente marito*, *non eſt adulterium*: adeoque ſufficit in confeſſione dicere: ſe eſſe fornicatum. *Eſt* 50. *Innoc. XI.*
4. MOLLITIES *jure naturæ* prohibita non eſt: unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. *Eſt* 49. *ibid.*
5. Mollities, Sodomia & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem *ſpeciei infimæ*: ideoque *ſufficiet*

in

in confeſſione dicere ſe procuraſſe pollutionem. *Eſt* 24. *Alex. VIII.*

6. *Famulus* qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem inſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando; *non peccat mortaliter*, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. *Eſt* 51. *Innoc. XI.*

7. *Non eſt obligandus* CONCUBINARIUS ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*; dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. *Eſt* 41. *Alex. VII.*

8. *Eſt probabilis opinio*, quæ dicit eſſe *tantum veniale*, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis. *Eſt* 40. *ibid.*

9. Opus conjugii *ob ſolam voluptatem* exercitum *omni penitus* caret culpa ac defectu veniali. *Eſt*. 9. *Innoc. XI.*

§. 17. DE GULA.

Prop. unica. Comedere & bibere uſque ad ſatietatem *ob ſolam voluptatem*, *non eſt peccatum*; modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. *Eſt* 8. *ibid.*

§. 18.

§. 18. *Circa VII. præceptum.* DE FURTO, USURA, ET RESTITUTIONE.

1. *Permiſſum eſt* furari, non ſolum in extrema neceſſitate, *ſed etiam in gravi*. Eſt 36. ibid.
2. Famuli ac famulæ domeſticæ *poſſunt occulte* heris ſuis ſurripere ad *compenſandam operam* ſuam, quam *majorem judicant* ſalario quod recipiunt. *Eſt* 37. *ibid.*
3. Cum *numerata* pecunia pretioſior ſit *numeranda* & nullus ſit, qui non majoris faciat *pecuniam præſentem* quam *futuram*, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & *eo titulo ab uſura excuſari*. Eſt 41. ibid.
4. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi *ſe obliget* ad non repetendam ſortem *uſque ad certum tempus*. Eſt 42. Alex. VII.
5. USURA *non eſt* dum ultra ſortem aliquid *exigitur* tamquam ex benevolentia & *gratitudine* debitum: ſed *ſolum* ſi exigatur tamquam ex *juſtitia* debitum. *Eſt* 42. *Innoc. XI.*
6. Contractus *Mohatra* licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis *prævie* inito, cum intentione lucri. *Eſt* 40. *ibid.*
7. *Non tenetur* quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt *per pauca* (alias parva) *furta*; quantumcumque ſit magna ſumma totalis. *Eſt* 38. *ibid.*
8. Qui alium *movet*, aut *inducit* ad inferendum grave damnum tertio, *non tenetur* ad reſtitutionem illius damni illati. *Eſt* 39. *ibid.*

§. 19.

§. 19. *Circa VIII. præceptum*. DE MENDACIO, & DECTRATIONE, *ſive calumnia*.

1. Urgens metus gravis eſt *cauſſa juſta* Sacramentorum adminiſtrationem SIMULANDI. *Eſt* 29. *ibid.*
2. Quidni *non niſi veniale* ſit detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, *falſo crimine* elidere? *Eſt* 43. *ibid.*
3. Probabile eſt *non peccare mortaliter* qui imponit *falſum crimen* alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat. *Eſt* 44. *ibid.*

§. 20. *Circa* IX. ET X. PRÆCEPTUM *Decalogi*.

1. Prava deſideria, quibus ratio *non conſentit*, & quæ homo *invitus* patitur, ſunt *prohibita* præcepto non concupiſces. *Eſt* 50. *inter Bajanas*.
2. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ *inviti* ſentiunt homines, ſunt VERA *legis inobedientia*. *Eſt* 51. *ibid.*
3. Concupiſcentia *in renatis* relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, *peccatum eſt*, ſicut & alii habitus pravi. *Eſt* 74. *ibid.*
4. Motus pravi concupiſcentiæ ſunt pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto, non concupiſces. Unde homo eos ſentiens, & *non conſentiens, tranſgreditur præceptum*, quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur. *Eſt* 75. *ibid.*

§. 21. De Legibus Humanis.

1. Populus non peccat, etiamſi *abſque ulla cauſſa* non recipiat legem à principe promulgatam. *Eſt* 28. *Alex. VII.*
2. *Libri prohibiti* donec expurgentur, *poſſunt retineri*, uſque dum adhibita diligentia corrigantur. *Eſt* 45. *ibid.*

§. 22. *Circa Præcepta Eccleſiæ*. De Festis, auditione Missæ, et Jejunio.

1. Præceptum ſervandi feſta *non obligat ſub mortali*; ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. *Eſt* 52. *Innoc. XI.*
2. *Satisfacit præcepto* Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui *duas* ejus *partes*, imo *quatuor*, ſimul *à diverſis* celebrantibus audit. *Eſt* 53. *ibid.*
3. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, *non peccat mortaliter*, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto. *Eſt* 23. *Alex. VII.*
4. In die jejunii qui ſæpius *modicum* quid comedit, etſi *notabilem* quantitatem in fine comederit, *non frangit jejunium*. *Eſt* 29. *ibid.*
5. *Omnes Officiales*, qui in Rep. *corporaliter laborant*, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio. *Eſt* 30. *ibid.*
6. Excuſantur abſolute à præcepto jejunii *omnes* illi qui iter agunt equitando, *utcumque* iter agant, etiamſi iter *neceſſarium* non ſit, & etiamſi iter *unius diei* conficiant. *Eſt* 31. *ibid.*
7. Non eſt evidens, quod (*a*) *conſuetudo* non comedendi ova & lacticinia in quadrageſima obliget. *Eſt* 32. *ibid.*

(*a*) *Intellig. pro locis in quibus viget.*

8. Qui

8. Qui facit confeſſionem *voluntarie nullam* ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. *Eſt* 14. *ibid.*

9. Præcepto communionis annuæ *ſatisfit per ſacrilegam* corporis Domini manducationem. *Eſt* 55. *Innoc. XI.*

10. Quamvis *evidenter* tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis. *Eſt* 5. *Alex. VII.*

§. 23. *De B. Virgine Dei Genitrice Maria.*

1. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.V.M. in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur quod *indiguerit purificatione*, & quod *Filius* qui offerebatur, etiam *macula Matris maculatus* eſſet ſecundum verba legis. *Eſt* 24. *Alex. VIII.*

2. Laus quæ defertur Mariæ UT MARIÆ, *vana* eſt. *Eſt* 26. *ibid.*

§. 24. *Circa virtutem prudentiæ.*

De PROBABILIBUS.

1. Si liber ſit alicujus *junioris* & moderni, *debet opinio cenſeri probabilis*, dum non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem. *Eſt* 27. *Alex. VII.*

2. *Generatim* dum probabilitate, ſive intrinſeca ſive extrinſeca, *quantumvis tenui*, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, *ſemper* PRUDENTER agimus. *Eſt* 3. *Innoc. XI.*

3. *Non licet ſequi* opinionem vel inter probabiles *probabiliſſimam*. *Eſt* 3. *Alex. VIII.*

4. Non eſt illicitum in *Sacramentis* conferendis

dis ſequi *opinionem probabilem* de valore Sacramenti *relicta tutiore*, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. *Eſt* 1. *Innoc. XI.*

5. Probabiliter exiſtimo *judicem* poſſe judicare juxta opinionem etiam *minus probabilem*. *Eſt* 2. *ibid.*

6. Quando litigantes habent pro ſe opiniones *æque probabiles*, poteſt judex *pecuniam accipere* pro ferenda ſententia in favorem *unius* præ alio. *Eſt* 26. *Alex. VII.*

7. Ab infidelitate excuſabitur *infidelis*, non credens ductus opinione minus probabili. *Eſt* 4. *Innoc. XI.*

8. Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem, ſtat cum *notitia ſolum probabili* revelationis, imo cum *formidine* qua quis formidat ne non ſit locutus Deus. *Eſt* 21. *ibid.*

§. 25. De Peccato Philosophico.

Prop. unica. Peccatum Philoſophicum ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. *Philoſophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat*, eſt peccatum grave, ſed *non eſt offenſa Dei*, *neque peccatum mortale*, diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. *Eſt* 2. *in priori Decreto Alex. VIII.*

§. 26.

§. 26. *De authoritate Pontificis, item S. Auguſtini.*

1. Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. *Eſt* 29. *Alex. VIII.*
2. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. *Eſt* 30. *ibid.*
3. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia. *Eſt* 31. *ibid.*

§. 27. *Variæ* CENSURÆ, *ſub quibus relatæ antehac Propoſitiones damnatæ ac prohibitæ ſunt.*

Propoſitiones *Bajanæ* numero 79. an. 1567. à S. PIO V. ut *hæreticæ, erroneæ, ſuſpectæ, temerariæ, ſcandaloſæ*, & in *pias aures* offenſionem immittentes, RESPECTIVE damnatæ ſunt.

ALEXANDER VII. die 24. Sept. 1665. XXVIII. Propoſitiones, Chriſtianæ, ut ait, diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, damnavit ut minimum tamquam *ſcandaloſas*, & ſub interminatione divini judicii prohibuit, ne quis earum quamlibet *ad praxim deducere* audeat.

Idem Pontifex anno ſequenti 1666. die 18. Martii alias XVI. ſub eadem cenſura prohibuit ac damnavit.

INNOCENTIUS XI. die 2. Martii 1679. parem cenſuram inflixit aliis LXV. Propoſitionibus, quas tamquam *ſcandaloſas*, & *in praxi pernicioſas* reprobavit.

Digitized by Google

Idem Pontifex anno 1687. die 20. Novemb. damnavit 68. Propoſitiones *Michaelis de Molinos*, tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas *reſpective*.

Anno 1690. die 7. Decemb. ALEXANDER VIII. propoſitiones XXXI. tamquam RESPECTIVE temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas, condemnavit.

INNOCENTIUS XII. die 12. Martii 1699. reprobavit XXIII. Propoſitiones deſumptas ex Libro Gallico, cui titulus: *Explication des maximes des Saints* &c. tamquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas *reſpective*.

Tandem CLEMENS XI. die 8. Sept. 1713. Propoſitiones Quenellianas centum & unam, damnavit ſub variis qualificationibus *reſpectivis*, nempe ut „ RESPECTIVE falſas, ca-
„ ptioſas, male ſonantes, piarum aurium
„ offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, te-
„ merarias; Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas,
„ neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in po-
„ teſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas,
„ impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi,
„ ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hære-
„ ticis & hæreſibus ac etiam ſchiſmati faven-
„ tes, erroneas, hæreſi proximas, pluries
„ damnatas, ac demum etiam hæreticas,
„ variaſque hæreſes, & potiſſimum illas,
„ quæ in famoſis *Janſenii* propoſitionibus,
„ & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damna-
„ tæ fuerunt, acceptis, continentur, ma-
„ nifeſte renovantes.

Ex tot *qualificationibus*, nulla eſt, quæ non potuerit, alicui ſaltem ex damnatis propoſitionibus, meritiſſimo jure inuri: nulla quoque eſt propoſitio, quæ non earum ſaltem aliquam reipſa mereatur. Ita ſentit Eccleſia Catholica, ita ſentiunt genuini omnes Eccleſiæ filii, quorum etiam multi invictis id rationibus demonſtrarunt. Quicumque igitur vere Catholici ſunt, Conſtitutionem Unigenitus ut legem Eccleſiæ & Orthodoxæ *fidei Regulam* amplectuntur, & ab omnibus amplectendam ſentiunt & profitentur; qui verò eidem hactenus verbo, facto, aut animo refragantur, non eſt quod ægrè ferant, ſi *Catholici* nominis prærogativa, donec reſipiſcant pronuntientur indigni.

Finis Tomi Secundi.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM ET QUÆSTIONUM
In hoc Tomo Secundo contentorum.

PARS SECUNDA.

DE SPE, ET ORATIONE, PRÆSERTIM DOMINICA, HORISQUE CANONICIS.

CAPUT PRIMUM

De SPE Chriſtiana, ejuſque exercitio, & vitiis illi adverſis.

QUæſtio I. *Quid eſt* SPES *Chriſtiana?* Pag. 4.

Q. 2. *Quo pacto iſta Spei Chriſtianæ virtus* obtinenda eſt, *&* *quomodo* amittitur. 5

Q. 3. *Quænam ſunt* ſperanda *homini Chriſtiano?* 5

Q. 4. *Licitumne eſt ſpem collocare in* homine, *aut in quavis alia creatura?* 6

Q. 5. *Eſtne Chriſtiano homine indignum temporalia bona à Deo ſperare?* 6

Q. 6. *Cujuſmodi debet eſſe Spes Chriſtiana?* 6

Q. 7. *Quæ tantæ firmitatis &* certitudinis *ratio eſt?* 6

Q. 8. *Excluditne ſpes noſtra omnem penitus* timorem? 7

Q. 9. *Quotuplex hoc loco* TIMOR *expendi ſolet?* 7

Q. 10. *Eſtne frequens Spei exercitium neceſſarium homini Chriſtiano?* 9

Q. 11. *Quænam vitia* Spei *adverſantur?* 9

Q. 12.

Q. 12. *Quid hic eſt* præſumptio? 9
Q. 13. *Quis verò* tentare Deum *dicitur?* 10
Q. 14. *Quandonam* deſperatione *delinquitur?* 10

CAPUT II.

De ORATIONE generatim, & de MENTALI, ejuſque exercitio ſpeciatim.

Q. 1. *Quid hoc loco eſt* ORATIO? 11
Q. 2. *Quot modis iſta mentis in Deum elevatio peragitur?* 11
Q. 3. *Omniſne oratio ſola mente perficitur?* 13.
Q. 4. *Eſtne utile* MENTALIS ORATIONIS *exercitium?* 13
Q. 5. *At forte res eſt ardua valdèque ſublimis, nec omni hominum generi accommodata?* 13
Q. 6. *Nonne Oratio mentalis devotæ rerum ſalutarium* meditationi *ſolet eſſe innixa?* 14
Q. 7. *Quid verò eſt* MEDITATIO? 14
Q. 8. *Eſtne hujuſmodi meditatio homini Chriſtiano plurimum conſulenda?* 14
Q. 9. *Cur ergo multi meditationem & orationem mentalem ſibi impoſſibilem eſſe cauſſantur?* 15
Q. 10. *Quænam potiſſimum frequenti* meditatione *verſanda ſunt homini Chriſtiano?* 15
Q. 11. *Quæ meditationis & orationis mentalis* METHODUS *potiſſimum ſectanda eſt?* 16.
Q. 12. *Quomodo meditatio* concludenda? 20
Q. 13. *Quid ſi mentis* ariditas, *in longum præſertim tempus, ſuperveniat?* 21
Q. 14. *Quid de ſenſibili, in oratione,* ſpiritus dulcedine, *interioris* conſolationis *lætitia*

tia & compunctionis ſuavitate ſentiendum eſt? 22

Q. 15. *Cum hactenus de* ORDINARIA *oratione dictum ſit, dici velim, quid de* EXTRAORDINARIA *ſentiendum ſit?* 22

CAPUT III.

De Orationis NECESSITATE & FRUCTU.

Q. 1. *Cui rei innixa eſt Orationis neceſſitas?* 28

Q. 2. *Cui incumbit hæc orandi neceſſitas?* 28

Q. 3. QUIS *orandus?* 29

Q. 4. PRO QUIBUS *orandum?* 29

Q. 5. QUID *in oratione, pro nobis aliiſque, poſtulandum eſt?* 29

Q. 6. *Quinam* UTILITER *& fructuosè orant?* 30

Q. 7. *Cur per* CHRISTI NOMEN & merita *bonum omne ſalutare petendum eſt?* 30

Q. 8. *Quæ ratio eſt, cur* CORDE HUMILI *&* contrito *orare oporteat?* 30

Q. 9. *Cur cum* attenta devotione *Deus orandus eſt?* 30

Q. 10. *Quomodo neceſſaria iſta in oratione* ATTENTIO *comparanda eſt?* 31

Q. 11. *Quare* certa cum FIDUCIA *orandum eſt?* 32

Q. 12. *Cur cæteris omnibus adjungenda eſt patiens in poſtulando* PERSEVERANTIA? 32

Q. 13. *Quod ſi comitibus jam recenſitis oratio ſtipata fuerit, eritne* certa & infallibilis impetratio? 32

CAPUT IV.

De SITU corporis, LOCO & TEMPORE orationis.

Q. 1. *Quis in oratione* corporis ſitus *ſervandus eſt?* 33

Q. 2. *Quis* Locus *orationi maxime proprius?* 34.

Q. 3. *Quam à Chriſtianis* REVERENTIAM *exigit* locus ſacer, *id eſt, divino cultui dedicatus?* 34

Q. 4. *Quo potiſſimum* TEMPORE *orandum eſt?* 35

Q. 5. *Cur tribus hiſce temporibus mane, meridie, ac veſperi, orationi præcipue incumbendum eſt?* 36

Q. 6. *Cur* publicæ *Eccleſiæ preces in varias diei noctiſque* HORAS *ſunt diſtributæ?* 36

CAPUT V.

De ORATIONE DOMINICA: ac de illius præſertim PRIMA PETITIONE.

Q. 1. *Quid* Orationis Dominicæ *nomine apud Chriſtianos deſignatur?* 37

Q. 2. *Eſtne igitur inter omnes orationis formulas hæc una cæteris* excellentior? 37

Q. 3. *Satiſne eſt illius verba tenere, ut memoriter recitari poſſit?* 38

Q. 4. *Quid igitur nobis innuit illa Dominicæ Orationis præfatio:* PATER NOSTER QUI ES IN CŒLIS? 38

Q. 5. *Quo ſenſu Deum Opt. Max. hoc loco* Patrem noſtrum *appellamus.* 38

Q. 6. *Cur verò cum ſingulariter quiſque oramus,* Pa-

Patrem noſtrum *potius*, *quam* meum *dicimus?* 39

Q. 7. *Cur cum ubique ſit Deus*, *hic* in Cœlis eſſe *potiſſimum dicitur.* 39

Q. 8. *Quid poſtulamus prima illa petitione:* SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. 40

Q. 9. *Quæ debet eſſe animi noſtri* diſpoſitio, *ut hanc orationem*, *ea qua par eſt* ſinceritate, *proferamus?* 40

CAPUT VI.

De Secunda petitione: ADVENIAT REGNUM TUUM. Item de Tertia: FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CŒLO ET IN TERRA.

Q. 1. *Quotuplex* Dei Regnum *in Scripturis Sacris reperitur expreſſum?* 41

Q. 2. *Quodnam horum trium petitur advenire*, *per hæc verba*: Adveniat regnum tuum? 42

Q. 3. *Sed quid opus eſt petere*, *ut ho: Dei Regnum adveniat*, *cum tempore à divina providentia conſtituto* certiſſime *ſit adventurum?* 42

Q. 4. *Qualis animo noſtro cogitatio obſervari debet*, *cum hanc orationem proferimus?* 42

Q. 5. *Quam Dei voluntatem fieri petimus petitione tertia*: FIAT VOLUNTAS TUA? 43

Q. 6. *Ut quid hoc petimus*, *cum* noſtri arbitrii *ſit divina præcepta ſervare?* 43

Q. 7. *Nonne in omnibus quoque rerum quarumcumque* eventibus *divinæ voluntati noſtra ſubdenda eſt?* 44

Q. 8. *Quæ ratio eſt*, *cur hæc verba adjecta ſint*: SICUT IN CŒLO ET IN TERRA? 44

CAPUT VII.

De quarta petitione: PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE. Item de quinta: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

Q. 1. *Quid* PANIS *nomine quarta petitione poſtulamus?* 45
Q. 2. *At cur* Panis *potius quam alterius rei nomen expreſſum eſt?* 45
Q. 3. *Cur quiſque etiam privatim orans*, noſtrum *potius quam* meum *dicit?* 46
Q. 4. *Cur Panem* quotidianum *petimus?* 46
Q. 5. *Ergone* omnis *temporalium rerum* SOLLICITUDO *Chriſtianis eſt interdicta, ita ut in* otio & deſidia *vita illis ſit tranſigenda?* 46.
Q. 6. *Etiamne opus eſt, ut qui divitiis opibuſque abundant, in dies dicant* Deo: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie? 46
Q. 7. *Quid in petitione quinta* DEBITORUM *nomine; quæ dimitti petimus, ſignificatur?* 47.
Q. 8. *Quid igitur hac quinta petitione poſtulamus?* 47
Q. 9. *Hæccine Oratio à juſtis quoque in dies recitanda eſt?* 47
Q. 10. *Quid innuunt verba huic petitioni adjuncta*, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS? 47
Q. 11. *Quo pacto autem oportet aliis dimittere debita, ut à Deo nobis dimittantur noſtra?* 48

CA-

CAPUT VIII.

De ſexta petitione: ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM: item de ſeptima: SED LIBERA NOS A MALO.

Q. 1. *Quid in ſexta petitione* TENTATIONIS *nomen denotat?* 49
Q. 2. *Quomodo tentamur* extrinſecus? 49
Q. 3. *Unde tentamur* intrinſeçus? 49
Q. 4. *Etiamne* DEUS *hominem* tentat? 50
Q. 5. *Quo ſenſu igitur ſubinde in Sacris Literis* tentaſſe *Deus legitur?* 50
Q. 6. *Quis ad hujus petitionis ſenſum in tentationem* induci *dicitur?* 50
Q. 7. *Quid igitur poſtulamus hac ſexta petitione?* 51
Q. 8. *Quænam inter cæteras juventuti maxime formidanda* tentatio *eſt?* 51
Q. 9. *Quibus armis iſthæc tentatio repellenda eſt?* 51
Q. 10. *Quid poſtulamus petitione ſeptima,* SED LIBERA NOS A MALO? 51
Q. 11. *Cur totam hanc precationem concludimus voce* AMEN? 52

CAPUT IX.

De SALUTATIONE ANGELICA.

Q. 1. *Quæ hujus* Salutationis, *& precationis origo eſt?* 52
Q. 2. *Quis primæ partis ſenſus eſt*, AVE MARIA GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM? 53
Q. 3. *Quid ſibi vult ſecunda pars:* BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI? 53

Digitized by Google

Q. 4. *Quid potiſſimum cogitare nos convenit, dum hanc Salutationis partem recitamus?* 54
Q. 5. *Quid ſibi volunt verba ſequentia:* SANCTA MARIA MATER DEI, ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS, NUNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ? 54
Q. 6. *Eſtne ordinata Fidelium devotio, qua ad honorem Virginis Matris, precationem Angelicam una cum* Oratione Dominica *certo numero aliquoties repetunt, quod* Roſarium, *aut* Pſalterium *Virginis vocant?* 54
Q. 7. Cur mane, meridie *ac* veſperi *campanæ pulſu ad ſalutationem Angelicam Fideles excitantur?* 55

CAPUT X.

De Horis Canonicis.

Q. 1. *Quid intelligitur nomine* Horarum Canonicarum? 56
Q. 2. *Quæ eſt earum* origo *& antiquitas?* 56
Q. 3. *In* quot *& quænam* tempora *ex antiquo uſu* preces publicæ *ſunt diſtributæ?* 58
Q. 4. *Quinam ad precum horariarum recitationem ſunt* obligati? 59
Q. 5. *Quid ſentiendum de iis, qui ratione beneficii Eccleſiaſtici* choro *adſtricti ſunt, & omiſſo interim* cantu, *privatim officium recitant, dum ab aliis decantatur?* 59
Q. 6. *Satiſne eſt quotidianum iſtud officium,* vel voce, *vel labiis recitare?* 60
Q. 7. *Quotuplex eſt* ATTENTIO? 60
Q. 8. *Quis in recitatione divini officii ſervandus eſt* ritus *ac* modus? 62
Q. 9. *Quibus* temporibus *horariæ preces hodie canendæ in publico, vel privatim extra Chorum recitandæ ſunt?* 63

Q. 10.

Q. 10. *Quam* PŒNAM *incurrunt, qui officium horarum, cui obſtricti ſunt, perſolvere negligunt?* 64

Q. 11. *Quæ cauſſæ ab injuncta horarum recitatione excuſant?* 66

Q. 12. *Quid ſi beneficium aliquod tam* tenues proventus *habeat, ut ad honeſtam ſuſtentationem minime ſufficere poſſint, eritne clericus, qui id poſſidet, ad Horas Canonicas obligatus?* 66

PARS TERTIA.

DE CHARITATE, PRÆCEPTIS DEI ET ECCLESIÆ, CÆTERISQUE OFFICIIS JUSTITIÆ CHRISTIANÆ.

CAPUT PRIMUM

De CHARITATE generatim, ejuſque ſubjecto & objecto.

Q. 1. *Quid eſt* Charitas? 70

Q. 2. *Quid inter ſe differunt tria hæc vocabula*: Amor, Dilectio, Charitas? 70

Q. 3. *An ergo* charitas habitualis *reipſa idem eſt quod* gratia ſanctificans? 71

Q. 4. *Daturne vera aliqua & ſalutaris* Dei dilectio *quæ non ſit* charitas? 71

Q. 5. *Quodnam eſt* ſubjectum *charitatis?* 72

Q. 6. *An & quomodo charitas* augeri poteſt? 72

Q. 7. *An, ut* augeri *poteſt charitas, ita etiam poſſit* minui? 73

Q. 8. *An & quomodo charitas amitti poteſt, quibuſque indiciis innoteſcere poteſt, amiſſam eſſe?* 73

Digitized by Google

Q. 9. *Quodnam eſt charitatis* OBJECTUM? 74

Q. 10. *Quinam ſub nomine* proximi *à nobis diligendi ſunt?* 74

Q. 11. *Quæ & quanta eſt charitatis* NECESSITAS? 75

CAPUT II.

De Charitate erga DEUM.

Q. 1. *Quotuplex eſt Charitatis* PRÆCEPTUM? 76

Q. 2. *Quid eſt* diligere Deum, *&* quomodo *diligendus?* 76

Q. 3. *Eſtne primum hoc maximumque Charitatis præceptum, homini in hac vita ſervatu poſſibile?* 76

Q. 4. *Num Dei dilectio, quæ nobis hoc præcepto injungitur, ſufficienter* imbibitur *& continetur in obſervatione* cæterorum mandatorum? 77

Q. 5. *An obſervatio cæterorum mandatorum ſaltem* ſignum *ſufficiens eſt debitæ* dilectionis? 77

Q. 6. *Quomodo dilectio Dei debet eſſe* ſuper omnia? 78

Q. 7. *Quomodo* ex toto corde *diligendus eſt Deus, & quid ſibi vult adjectarum vocum congeminatio,* ex tota anima, mente, & viribus? 79

Q. 8. *Præceptum charitatis Dei* qualiter *&* quando *obligat?* 80

Q. 9. *Quid ſentiendum de celebri hodie quæſtione: an omnia* opera deliberata *ex charitate in Deum ceu finem ultimum neceſſario* REFERENDA *ſint?* 80

Q. 10. *Qua præſertim conſideratione Dei in nobis dilectio accendenda & fovenda eſt?* 84

CA-

CAPUT III.

De Charitate PROXIMI, ejuſque ordine.

Q. 1. *Quid complectitur præceptum dilectionis proximi* : DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TE IPSUM? 85
Q. 2. *Quis* PROXIMI *nomine hoc loco intelligitur?* 86
Q. 3. *Quid ſignificatur verbis hiſce*: ſicut te ipſum? 86
Q. 4. *Quid ex hac dilectionis* Regula *de charitatis officiis conſequens eſt?* 86
Q. 5. *Debetne dilectio proximi eſſe* interna *&* formalis, *an verò illi ſatisfieri poteſt per* ſolos actus externos? 87
Q. 6. *Quo autem potiſſimum* tempore *huic interioris erga proximum dilectionis præcepto ſatisfaciendum eſt?* 87
Q. 7. *Quis inter* proximos *à nobis diligendos* ORDO *ſervandus eſt?* 88
Q. 8. *Quis in amore* beneficentiæ *ſervandus eſt* ordo? 89
Q. 9. *An & quomodo nobis etiam diligendi ſunt* inimici? 89
Q. 10. *Permittitne charitas homini Chriſtiano ut actionem in foro externo intentet injuriantibus, ſive ad conſulendum incolumitati ſuæ, ſive reparandæ famæ, aut honori?* 91

CAPUT IV.

De operibus Miſericordiæ, & ſpeciatim de ELEEMOSYNA.

Q. 1. *Quid hoc loco eſt* Miſericordia? 92
Q. 2. *Quinam oppoſito vitio* immiſericordiæ *ſolent præ cæteris eſſe obnoxii?* 92
Q. 3. *Sufficitne ad virtutem miſericordiæ* interioris compaſſionis *affectus?* 93
Q. 4. *Quotuplicia ſunt* opera Miſericordiæ? 93.
Q. 5. *Quot & quænam recenſentur* Opera Miſericordiæ corporalia? 93
Q. 6. *Quot & quænam recenſentur* Opera Miſericordiæ ſpiritualia? 94
Q. 7. *De* Eleemoſyna corporali *ſpeciatim quæro, ſitne ea* conſilii *tantum, an etiam præcepti?* 94
Q. 8. QUANDONAM *præceptum hujuſmodi obligat?* 95
Q. 9. QUANTA *debet eſſe Eleemoſyna?* 97
Q. 10. *Cum & parentes* Theſaurizare *debeant filiis ſuis, meritoque ad altiorem gradum ſe ſuoſque promovere ſtudeant; & quæ illis jam ſuperfluunt, futura ſint forſitan poſtmodum neceſſaria; nonne conſequens eſt* PAUCOS *eſſe ſæculares, quibus* ſuperflua *ſuppetant, unde Eleemoſynas dare teneantur?* 97
Q. 11. UNDE *Eleemoſyna facienda eſt?* 98
Q. 12. QUIS *ergo & quomodo Eleemoſynam dare poteſt, quis non poteſt?* 99
Q. 13. QUIBUS & quo ordine *ſubveniendum eſt?* 100
Q. 14. *Utrum* in vita, *an* poſt mortem *Eleemoſynæ potiſſimum dandæ ſunt?* 100
Q. 15. *Quis Eleemoſynæ, cæterorumque operum*

rum miſericordiæ fructus *eſt, quæ eorum in SS. Litteris commendatio?* 101

CAPUT V.

De Correptione Fraterna ejuſque modo & ordine.

Q. 1. *Quid intelligitur nomine* correptionis Fraternæ? 102
Q. 2. *Correptio Fraterna an & quomodo* PRÆCEPTA *eſt?* 102
Q. 3. *Quæ* CONDITIONES *adeſſe debent, ut adhiberi ea poſſit ac debeat?* 103
Q. 4. *Quis in correptione exequenda adhibendus eſt* modus? 104
Q. 5. *Debetne quis iſtud correptionis officium obire, etiamſi aliquod ſibi inde prævideret, aut timeret* incommodum? 104
Q. 6. *Teneturne aliquando inferior ac* ſubditus *ad correptionem* ſuperioris? 104
Q. 7. *Quid dicendum de peccatoribus, qui conſcientiam propriam* gravi *peccato obſtrictam ſentiunt?* 105
Q. 8. *Quid agendum erga eos qui* per ignorantiam *delinquunt?* 105
Q. 9. *Quod* genus peccati *admittit, qui ubi corripere debet, fraternæ correptionis officium prætermittit?* 105
Q. 10. Quis ORDO *in correptione ſervandus?* 106.
Q. 11. *Quis eſt fraternæ correptionis* FINIS? 107.

CAPUT VI.

De vitiis Charitati adverſis, ac præſertim ODIO, INVIDIA, ACEDIA, & SCANDALO.

Q. 1. *Quænam præcipue vitia & peccata Charitati adverſantur?* 108
Q. 2. *Poteſtne* odio *haberi Deus?* 108
Q. 3. Odium proximi *cujuſmodi peccatum eſt, & unde oritur?* 109
Q. 4. *Quid eſt* INVIDIA, *quæ ejus malitia, quæ proprietates, quod remedium?* 109
Q. 5. *Quid eſt* ACEDIA, *quæ ejus malitia, quod remedium?* 111
Q. 6. *Quid & quotuplex eſt* SCANDALUM? 113.
Q. 7. *Quandonam ergo* proprie, *ſenſuque Theologico* ſcandalizari *aliquis dicitur?* 114
Q. 8. *Scandalum an & quale peccatum eſt?* 115.
Q. 9. *Quænam ad* evitandum *ſcandalum* fieri; *quænam* omitti *debent?* 116
Q. 10. *Quid contra faciendum eſt, ut adverſus ſcandala* muniamur? 117

CAPUT VII.

De LEGIBUS, ac primo quidem de ÆTERNA, & NATURALI.

Q. 1. *Quid eſt* LEX, *& quotuplex?* 118
Q. 2. *Quæ differentia eſt inter legem* ÆTERNAM *&* NATURALEM? 119
Q. 3. *Quomodo lex naturalis* differt *à* DIVINA POSITIVA? 120
Q. 4. QUÆNAM *pertinent ad legem naturalem?* 120

Q. 5.

Q. 5. *Poteſtne lex naturalis de cordibus hominum deleri*, & Invincibiliter ignorari? 121.
Q. 6. *Poteſtne lex naturalis* MUTATIONEM, *aut* DISPENSATIONEM *pati?* 122
Q. 7. *Admittitne lex naturalis* EPIIKIAM? 123.

CAPUT VIII.

De Lege POSITIVA DIVINA Vetere & Nova.

Q. 1. *Quæ & quotuplex eſt* lex divina poſitiva? 124
Q. 2. *Quotuplicia fuerunt veteris legis præcepta?* 125
Q. 3. *Num uſque hodie veteris legis* obligatio *perſeverat?* 126
Q. 4. *Habetne id locum quoad omnia V. L. præcepta?* 126
Q. 5. *Simulne lex vetus* mortua *eſt & facta* mortifera? 127
Q. 6. *Quandonam* LEX NOVA *obligare incœpit?* 127
Q. 7. *Quid potiſſimùm* continet *lex nova, ſive Euangelica?* 128
Q. 8. *Quænam inter* Veterem *ac* Novam *legem differentia eſt?* 129
Q. 9. Nemone *ergo ſub* Lege Moſaica *juſtificatus eſt, aut ſalutem conſecutus?* 130
Q. 10. *Quomodo homini juſto* in Lege Domini *meditandum eſſe dicitur* die ac nocte? 131.

CAPUT IX.

De Lege DECALOGI, ac præſertim de PRIMO illius PRÆCEPTO.

Q. 1. *Quid intelligitur nomine* Decalogi? 132
Q. 2. *Quibus & quomodo illa decem præcepta primùm data & promulgata fuerunt?* 132
Q. 3. *Quomodo* dividuntur? 133
Q. 4. *Cum Chriſtus nos redemerit* de maledicto legis, *nonne conſequens eſt, ut nos* Chriſtiani *lege illa Decalogi jam minimè teneamur?* 134
Q. 5. *Suntne hæc Dei præcepta homini ſervatu poſſibilia?* 135
Q. 6. *Quo potiſſimùm animo Dei præcepta ſervanda ſunt?* 135
Q. 7. *Quibus olim verbis primum Decalogi præceptum à Deo expreſſum eſt?* 135
Q. 8. *In quibus verbis hujus præcepti vis continetur?* 136
Q. 9. *Quid prohibet hoc præceptum?* 136
Q. 10. *Quid verò hoc præceptum à nobis exigit?* 137

CAPUT X.

De SUPERSTITIONE & SACRILEGIO.

Q. 1. *Quid eſt* Superſtitio *& quotuplex?* 137
Q. 2. *Quid eſt* IDOLOLATRIA, *& quæ ejus* origo? 138
Q. 3. *Quid eſt* MAGIA, *& quomodo differt à* MALEFICIO? 139
Q. 4. *Habetne diabolus iſtam nocendi per* maleficia, *etiam adverſus homines,* poteſtatem? 140

Digitized by Google

Q. 5. *Quibus adversùs maleficia* REMEDIIS *utendum eſt?* 141

Q. 6. *Licetne ſaltem amovere, aut deſtruere* SIGNA MAGICA, *quæ maleficio deſervire noſcuntur?* 141

Q. 7. *Licetne ſimiliter à malefico* POSTULARE *maleficii diſſolutionem?* 142

Q. 8. *Quid & quotuplex eſt* DIVINATIO? 142

Q. 9. *Quid circa ſpecies jam recenſitas præcipuè obſervandum eſt?* 143

Q. 10. *Quid & quotuplex eſt* VANA OBSERVANTIA? 144

Q. 11. *Breviter ex jam dictis reſumi velim, quinam præcipuè in primum præceptum impingant, quantùm ad ſuperſtitionem attinet?* 146.

Q. 12. *Quid & quotuplex eſt* SACRILEGIUM? 148.

CAPUT XI.

De INVOCATIONE SANCTORUM, Cultu IMAGINUM, & Veneratione RELIQUIARUM.

Q. 1. *Eſtne primo Decalogi præcepto contrarius Sanctorum cum Chriſto regnantium cultus &* INVOCATIO? 150

Q. 2. *Eſtne ergo ingens aliquod diſcrimen inter cultum, quem Deo, eumque, quem Sanctis impendimus?* 150

Q. 3. *Quæ verò differentia eſt* INVOCATIONIS *qua Deum, ejuſque qua Sanctos invocamus?* 150.

Q. 4. *At nonne invocando Sanctos, illis quiddam tribuimus, quod Deo ſoli proprium eſt, occultarum ſcilicet animi noſtri cogitationum cognitionem?* 151

Q. 5. *At nonne ſaltem Sanctorum ille cultus* mediatori

diatori *Dei & hominum Chriſto Jeſu injuriam facit?* 152
Q. 6. *Pugnatne cum hoc primo Præcepto uſus receptus* IMAGINUM *Chriſti & Sanctorum?* 152
Q. 7. *Quid igitur de Imaginum uſu docet Eccleſia Catholica?* 153
Q. 8. *Quæ verò imaginum utilitas eſt?* 153
Q. 9. *At quid dicendum de* IMAGINE DEI *Patris, aut Spiritus Sancti?* 154
Q. 10. *Rectène etiam Sanctorum* RELIQUIIS veneratio impenditur? 154
Q. 11. *Qua compendiaria ratione demonſtrari poteſt, nihil eſſe in externo cultu Eccleſiæ Catholicæ, quod divinæ gloriæ ſit adverſum?* 155

CAPUT XII.

De SECUNDO PRÆCEPTO Decalogi, ac præcipuè de BLASPHEMIA.

II. NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM; NEC ENIM INSONTEM HABEBIT DOMINUS EUM, QUI ASSUMPSERIT NOMEN DOMINI DEI SUI FRUSTRA.

Q. 1. *Quid his verbis prohibetur?* 156
Q. 2. *Quid verò injungitur?* 156
Q. 3. *Quid eſt* BLASPHEMIA, *& quot præcipuè modis admittitur?* 156
Q. 4. *Quale,* QUANTUMQUE *peccatum eſt Blaſphemia?* 157
Q. 5. *Quid ſentiendum de* CONSUETUDINE *Blaſphemandi?* 158
Q. 6. *Quæ adversùs Blaſphemos* PŒNA *ſtatuta eſt?* 158

Q. 7.

Digitized by Google

Q. 7. *Ex quibus præſertim* CAUSSIS *Blaſphemiæ crimen oriri ſolet?* 159
Q. 8. *Quid præſcribendum* REMEDII? 159
Q. 9. *Quod circa blaſphemias* Chriſtianorum munus *eſt & obligatio?* 160

CAPUT XIII.

De JURAMENTO, PERJURIO, & ADJURATIONE.

Q. 1. *Quid eſt* JURAMENTUM *& quotuplex?* 161.
Q. 2. *Numquid* omne juramentum *ſecundo Decalogi præcepto interdictum eſt?* 162
Q. 3. *At nonne ſaltem Chriſtianis omne juramentum prohibitum eſt, his Chriſti verbis:* Ego autem dico vobis, non jurare omninò.... ſit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt? 163
Q. 4. *Quos* COMITES, *ſive conditiones juramentum exigit, ut recte ac* legitimè *fiat?* 164
Q. 5. *Quinam* primam *ex recenſitis conditionibus, nimirum* VERITATEM *violare cenſendi ſunt?* 165
Q. 6. *Quid de juramento* ÆQUIVOCO, *ſive amphibologico?* 165
Q. 7. *Quinam* ſecundam *conditionem violant, quam diximus eſſe* JUDICIUM? 166
Q. 8. *Quinam impingunt in* tertiam *conditionem, quæ eſt* JUSTITIA, *ſive honeſtas?* 167
Q. 9. Quid *ſentiendum de juramento per vim, aut* gravem metum *extorto?* 168
Q. 10. *An & quouſque licitum eſt, ſive ad finiendam controverſiam, ſive ad firmandam promiſſionem,* deferre *alteri, vel* exigere *juramentum?* 168

Q. 11.

Digitized by Google

Q. 11. *Quibus præcipuè modis* ceſſare *ſolet obligatio juramenti?* 169
Q. 12. *Quid eſt* ADJURATIO, *quotuplex*, & *quomodo licita?* 170

CAPUT XIV.

De Voto.

Q. 1. *Quid eſt* VOTUM, & *quænam ad illius* ESSENTIAM *requiruntur?* 171
Q. 2. *Quænam eſt competens voti* MATERIA? 172.
Q. 3. *Quomodo* DIVIDITUR *votum?* 173
Q. 4. *Quæ & qualis eſt voti* OBLIGATIO? 174
Q. 5. EXPEDITNE *vovere?* 175
Q. 6. *Quot modis* TOLLI *poteſt obligatio voti?* 176.
Q. 7. *Quis poteſt diſpenſare?* 177
Q. 8. *Poteſtne & in* VOTO SOLEMNI *locum habere* diſpenſatio? 178

CAPUT XV.

De tertio PRÆCEPTO Decalogi: MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

Q. 1. *Quid ſibi vult nomen* SABBATI? 179
Q. 2. *Quomodo hoc præceptum ad Chriſtianos pertinet?* 179
Q. 3. Quid *autem continet* morale, *quid* cæremoniale? 179
Q. 4. *Quis in Sabbati locum ſub nova Lege ſubſtitutus eſt dies?* 180
Q. 5. *Quæ hujus additionis ratio?* 180
Q. 6. *Quid itaque hoc præcepto dominicis, feſtiſque diebus, Chriſtiano homini faciendum injungitur?* 180

Q. 7.

Q. 7. *Quid autem hoc præceptum prohibet?* 181.

Q. 8. *Quænam opera maximè* ſervilia *ſunt, Feſtiſque diebus præcipuè vitanda?* 181

Q. 9. *Quò tendunt tria priora præcepta, quæ hucuſque explicata ſunt?* 181

CAPUT XVI.

De quarto Decalogi Præcepto: HONORA PATREM TUUM & MATREM TUAM, UT SIS LONGÆVUS SUPER TERRAM, QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

Q. 1. *Quid verbis iſtis injungitur?* 182

Q. 2. *Quam* REVERENTIAM *liberi debent Parentibus?* 182

Q. 3. *Quam debent filii parentibus* OBEDIENTIAM? 182

Q. 4. *Sed quid ſi parentes* illicita *atque injuſta præcipiant?* 183

Q. 5. *Quam* OPEM *debent parentibus filii?* 183.

Q. 6. *Cur obſervationi hujus Præcepti* longævæ vitæ *promiſſio adjecta eſt?* 184

Q. 7. *Licetne filio, intuitu obtinendæ hæreditatis,* deſiderare mortem *parentum?* 184.

Q. 8. *Quæ ſunt officia* PARENTUM *erga filios?* 185.

Q. 9. *Soline* parentum *nomine in quarto hoc præcepto cenſendi ſunt, qui nos* carnaliter *genuerunt?* 185

Q. 10. *Quid generatim Superioribus debent* SUBDITI? 186

Q. 11. *Quid* DISCIPULI *Magiſtris, & quid viciſſim* MAGISTRI *diſcipulis præſtare debent?* 187.

Q. 12.

Q. 12. *Quæ ſunt reciprocæ obligationes* OVIUM & PASTORIS? 188

Q. 13. *Quid debet* UXOR *viro, quid viciſſim* VIR *præſtare tenetur Uxori?* 188

Q. 14. *Quodnam eſt officium famulantium erga Dominos, & quod viciſſim Dominorum erga famulantes?* 189

CAPUT XVII.

De quinto Decalogi præcepto: NON OCCIDES.

Q. 1. *Quid hoc præcepto* primariò *prohibetur?* 190.

Q. 2. *At quando hominis occiſio* INJUSTA *eſt?* 191.

Q. 3. *Cur additum eſt*: deliberato propoſito? 192

Q. 4. *Eſtne homicidium grande peccatum?* 192.

Q. 5. *Licetne occidere injuſtum* VITÆ NOSTRÆ *aggreſſorem?* 193

Q. 6. *Quid ſentiendum de defenſione* PUDICITIÆ, HONORIS, *aut temporalium* FACULTATUM *cum occiſione invaſoris?* 194

Q. 7. *Occiſio* INNOCENTIS *poteſtne aliquando licita eſſe?* 195

Q. 8. ABORTUS *de induſtria procuratus verumne homicidium continet?* 196

Q. 9. *Complectiturne* injuſta occaſio *eam etiam, qua quis* SIBI IPSI *vitam eripit?* 197

Q. 10. *Cùm* DUELLUM *homicidio proximè conjunctum ſit, hìc etiam dici velim, quid de eo ſentiendum?* 199

Q. 11. *Quid autem de ipſo* BELLO *ſentiendum, ubi tot paſſim hominum cædes & ſtrages fiunt?* 200

Q. 12. *Quæ & qualis ob homicidium & mutilationem facienda eſt reſtitutio?* 201

CAPUT XVIII.

De IRA ejuſque Remediis.

Q. 1. *Quid præter* homicidium, *ſeu externam cædem, quinto præcepto prohibetur?* 201
Q. 2. *Omniſne igitur* IRA *peccatum eſt?* 203
Q. 3. *Quotupliciter id fit?* 203
Q. 4. *Quale quantumque in* injuſta ira *peccatum eſt?* 204
Q. 5. *Cur ira inter* vitia capitalia *recenſetur?* 205.
Q. 6. *Cùm procul dubio magni referat homini Chriſtiano, qui mitiſſimi* JESU *Diſcipulus eſt, iram generosè refrænare, ne tam amaros fructus proferat; Quid ergo adversùs iram* REMEDII *eſt?* 205
Q. 7. *Quid juxta ea, quæ hactenus dicta ſunt, quintum præceptum à nobis exigit?* 207

CAPUT XIX.

De ſexto præcepto: NON MŒCHABERIS: LUXURIA, ejuſque Remediis.

Q. 1. *Quid prohibetur ſexto præcepto*: Non mœchaberis? 208
Q. 2. *Suntne hæc omnia* GRAVIA *peccata?* 208.
Q. 3. *Recenſe breviter præcipua* luxuriæ genera? 210
Q. 4. *Quid circa recenſita Luxuriæ genera præcipuè* obſervandum *eſt?* 210
Q. 5. *Quænam ex ſtupro & adulterio* OBLIGATIO *naſci ſolet?* 212

Digitized by Google

Q. 6. *Quid de peccatis libidinis, eorumque* GRAVITATE *& pernicie ſacræ Litteræ commemorant?* 213
Q. 7. *Quæ mala adfert libido?* 214
Q. 8. *Quid ſextum præceptum à nobis* EXIGIT? 214
Q. 9. *At vero quomodo id inter tot tantaſque illecebras* CONSEQUI *poterimus?* 214

CAPUT XX.

De GULA ejuſque Remediis.

Q. 1. *Quid eſt* GULA? 215
Q. 2. *Quæ ſunt gulæ* SPECIES *principales?* 216
Q. 3. *Quid de utraque in Euangelio expreſſum eſt?* 216
Q. 4. *Quinam iſti ſunt, in quos ob* Crapulam *ſuprema illa dies repentina ſuperveniet?* 216
Q. 5. *Quibus autem indiciis dignoſci poterit, ſitne aliquis* tam perniciosæ Gulæ *obnoxius?* 217
Q. 6. *Quid* jam de EBRIETATE *cenſendum, eſtne per ſe grave peccatum?* 217
Q. 7. *Qua in re tanta iſta* Ebrietatis *malitia, fœditaſque conſiſtit?* 218
Q. 8. *Unde ergo fit, ut tam* leve *apud multos* reputetur *Ebrietatis peccatum?* 218
Q. 9. *Quid ſtatuendum de conſuetudine ſe mutuo provocandi ad* ÆQUALES HAUSTUS? 218
Q. 10. Quid *ſentiendum de* peccatis *in Ebrietate commiſſis?* 219
Q. 11. *Quid homini guloſo, aut ebrioſo potiſſimum agendum incumbit, ut aſpirante Dei gratia à prava conſuetudine liberetur?* 220

CA-

CAPUT XXI.

De ſeptimo Decalogi præcepto: NON FURABERIS.

Q. 1. *Quid generaliter hoc præcepto interdicitur?* 221
Q. 2. *Quid eſt* FURTUM, *quid* RAPINA? 221
Q. 3. *Recenſe præcipua hominum genera, qui ob fraudulentam alienæ rei contrectationem* Furti *rei ſunt?* 222
Q. 4. *Recenſe ſimiliter nonnulla hominum genera, qui ob injuriam, violentiæ æquiparandam,* Raptoribus *accenſendi ſunt?* 223
Q. 5. *Furtum, item Rapina* QUALE *peccatum eſt?* 225
Q. 6. *Quid ſentiendum de Recuperationibus, ſeu* COMPENSATIONIBUS OCCULTIS? 226
Q. 7. *Quid ſtatuendum de furto, quod in* NECESSITATE *contingit?* 227
Q. 8. *Viſum eſt, quid hoc ſeptimo precepto prohibeatur; dic jam quid à nobis* EXIGAT? 227

CAPUT XXII.

De juſtitia & injuſtitia CONTRACTUUM.

Q. 1. *Quid eſt* CONTRACTUS & QUOTUPLEX? 228
Q. 2. *Omniſne contractus obligationem parit etiam* in conſcientia? 229
Q. 3. *Quinam* VALENT *contrahere?* 230
Q. 4. *Quid ſi contractui aliunde invalido adjectum fuerit* juramentum? 230
Q. 5. *Quid cenſendum de* CONDITIONIBUS, *quæ contractibus apponi conſueverunt?* 231

Q. 6. *Quid circa* PROMISSIONEM & DONATIONEM *Theologo præcipuè obſervandum eſt?* 232
Q. 7. *Quid circa* ULTIMAS VOLUNTATES? 233
Q. 8. *Quid circa* LUDOS & SPONSIONES? 234
Q. 9. *Quid circa contractum* EMPTIONIS-VENDITIONIS? 235
Q. 10. *Quid dicendum de* NEGOTIATIONE, *quæ in earumdem rerum venalium coemptione, & diſtractione conſiſtit?* 236

CAPUT XIII.

De MUTUO, USURA & CENSIBUS.

Q. 1. *Quid eſt* Mutuum, *& quomodo differt à* depoſito, commodato, precario *&* locato? 239
Q. 2. *Quæ* bonitas *attendi debet in redditione mutui?* 240
Q. 3. *Quid eſt* USURA, & quo JURE *prohibita eſt?* 240
Q. 4. *Nulline dantur* TITULI, *ob quos mutuanti liceat aliquid* ultra ſortem *exigere?* 241
Q. 5. *Quænam, citra hos titulos, generalis circa uſuram* REGULA *ſtatuenda eſt?* 243
Q. 6. *Suntne &* FALSI *aliqui* TITULI, *qui lucri ex mutuo fruſtra prætenduntur?* 243
Q. 7. *Quid intelligitur nomine uſuræ* PALLIATÆ, *& qua præſertim* REGULA *detegenda eſt?* 244
Q. 8. *Suntne* CENSUS *immunes ab uſura?* 245
Q. 9. *Quid ſi cenſus creetur* UTRIMQUE REDIMIBILIS, *ita ut emptor compellere poſſit venditorem ad eum redimendum?* 245
Q. 10. *Quid ſtatuendum de contractu, qui vulgè* MOHATRA *dicitur?* 246
Q. 11. *Habetne id quoque locum in famoſo*

CON-

Digitized by Google

CONTRACTU TRIPLICI, *ſcilicet ſocietatis, aſſecurationis ſummæ principalis, & venditionis majoris lucri incerti pro minori quod certum eſt?* 247
Q. 12. *Quid circa* CAMBIUM *præcipuè obſervandum eſt?* 247
Q. 13. *Quid dicendum de* MONTIBUS PIETATIS? 248
Q. 14. *Licetne* ACCIPERE *mutuum ſub uſuris?* 249
Q. 15. *Quænam in uſurarios conſtitutæ ſunt* PŒNÆ? 249

CAPUT XXIV.

De RESTITUTIONE ob furtum & Rapinam.

Q. 1. *Quid generatim eſt* RESTITUTIO? 250
Q. 2. *Quæ & quanta eſt Reſtitutionis* OBLIGATIO? 250
Q. 3. *Ex quotuplici* CAPITE *oritur reſtitutionis obligatio.* 251
Q. 4. *Quæ eſt inter utrumque* DIFFERENTIA? 252
Q. 5. *Oriturne reſtituendi neceſſitas, quacumque demum* CULPA *damnum inferatur?* 253
Q. 6. *Quid ſi quis per plura furta, quorum ſingula fuerint* modica, *notabilem aliquam ſummam ſurripuerit, quam incurret reſtitutionis obligationem?* 254
Q. 7. *Quid agendum incumbit circa* RES INVENTAS? 254
Q. 8. *Extra hunc caſum* incertitudinis CUI *facienda eſt reſtitutio?* 255
Q. 9. *Quo* LOCO *reſtitutio facienda eſt?* 256
Q. 10. *Quo* TEMPORE Reſtitutio *facienda eſt?* 256
Q. 11. QUID, QUANTUM, & QUOMODO *reſtituendum eſt?* 257

Digitized by Google

Q. 12. *Soline illi, qui* PER SE *damnum atque injuriam intulerunt, ad reſtitutionem obligantur?* 257

Q. 13. *Quo* ORDINE *facienda eſt reſtitutio, cùm omnibus, quibus debetur, tota fieri non poteſt?* 259

Q. 14. *Quænam cauſſæ à reſtitutione* EXCUSANT? 259

Q. 15. *Ex qua* RADICE *prodire ſolet furtum, rapina, & reliquæ in rebus alienis injuſtitiæ?* 260

Q. 16. *Quid facto opus, ut hæc funeſta radix tempeſtivè receſetur?* 261

CAPUT XXV.

De Octavo Præcepto: NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM: ac præſertim de MENDACIO & JUDICIO TEMERARIO.

Q. 1. *Quid octavo præcepto prohibetur, quid injungitur?* 262

Q. 2. *Dic paulo explicatiùs, quinam ſint ii linguæ abuſus præter mendacium, qui hoc loco prohibentur?* 262

Q. 3. *Nonne hoc etiam præcepto prohibita cenſetur* ſuſpicionum, judiciorumque temeritas? 262

Q. 4. *Quid generatim eſt* MENDACIUM? 262

Q. 5. *Quid ſi quis, dum falſa ſciens loquitur, aliquid ſola mente ſubaudiat, quo locutio ad veritatem* reſtringatur? 263

Q. 6. *Quotuplex eſt* Mendacium? 263

Q. 7. *Eſtne omne mendacium ſemper & ubique illicitum?* 263

Q. 8. *At quid mali habet mendacium, ſi alienum damnum ſemoveatur?* 264

Q. 9. *Nonne & ex alio capite cujuslibet mendacii perverſitas eluceſcit?* 264
Q. 10. *Quid facto opus, ut à mendaciis conſtanter quiſque abſtineat?* 264
Q. 11. *Cùm ſuperiùs dictum ſit, ſub octavi præcepti prohibitione, etiam contineri iniquas adversùs probitatem proximi* SUSPICIONES, *&* TEMERARIA JUDICIA, *quid de iis ſentiendum?* 265
Q. 12. *Qua in re conſiſtit iſthæc* injuria? 266
Q. 13. *Ex quo* FONTE *manare ſolent iniquæ adversùs proximum ſuſpiciones, & temeraria judicia?* 266
Q. 14. *Quomodo iſta ſuſpicionum judiciique temeritas & injuſtitia* EVITANDA *eſt?* 267

CAPUT XXVI.

De DETRACTIONE & CONTUMELIA, aliiſque LINGUÆ peccatis.

Q. 1. *Quod diſcrimen eſt* Detractionem inter *&* Contumeliam? 267
Q. 2. *Quid verò eſt* SUSSURRATIO? 268
Q. 3. *Suntne* DETRACTIO *quoque, &* CONTUMELIA *grave peccatum?* 268
Q. 4. *Deeſtne ſufficiens animi deliberatio, quoties aliquis* EXPRESSE *non intendit alienam famam, aut honorem lædere, vel amicitiam diſſecare?* 268
Q. 5. *Eſtne tum ſolum* detractio *illicita, cùm alicui falſi criminis* calumnia *impingitur?* 269
Q. 6. *Quorſum id additur:* nulla id exigente neceſſitate publica vel privata? 270
Q. 7. *Quid ſtatuendum de divulgatione criminis, quod aliunde* PUBLICUM *eſt?* 270

Q. 8. *Quid de* SUI IPSIUS INFAMATIONE *ſentiendum eſt?* 271
Q. 9. *Quot quibuſque* MODIS *detractio committi ſolet?* 271
Q. 10. *Unde potiſſimum augetur detractionis, item contumeliæ atrocitas?* 272
Q. 11. *Unde ex adverſo* materiæ parvitas *in detractione petenda eſt?* 272
Q. 12. *Soline* detractionis *rei ſunt, qui aliena vitia manifeſtant?* 273
Q. 13. *Quodnam* ONUS *conſequitur detractionem, item contumeliam?* 274
Q. 14. *Cùm inter peccata linguæ octavo præcepto prohibita*, Irriſio, Maledictio & Adulatio *ſuperiùs recenſitæ ſint, velim paucis dici, quid de iis ſtatuendum?* 275
Q. 15. *Quo tandem pacto hæc omnia linguæ peccata tam longè latèque graſſantia, devitari poterunt?* 276

CAPUT XXVII.

De JUDICIIS PUBLICIS, ubi de officio Judicis, Accuſatoris, Teſtis, Rei, Advocati &c.

Q. 1. *Quid de* judiciis publicis, litibuſque *ſentiendum eſt?* 277
Q. 2. *Quid inde colligitur pro definiendo* OFFICIO JUDICIS? 278
Q. 3. *Quid pro eodem* OFFICIO JUDICIS *conſequitur ex* SECUNDO *S. Thomæ requiſito*, *quod eſt* authoritas præſidentis? 279
Q. 4. *Quid tandem ex* TERTIO, *quod* rectam rationem prudentiæ *exigit?* 280
Q. 5. *Quidnam circa accuſationem, &* ACCUSATORIS *officium, conſiderationis eſt Theologicæ?* 281
Q. 6. *Quod eſt officium* TESTIS? 282

Q. 7.

Q. 7. *Quid* REO *agendum eſt, quid licet? quid non licet?* 283
Q. 8. *Quod* ADVOCATI, *quod* PROCURATORIS *cauſſarum, quod denique* NOTARII *officium eſt?* 284

CAPUT XXVIII.

De NONO & DECIMO præceptis Decalogi.

Q. 1. *Quid prohibetur nono hoc præcepto:* NON CONCUPISCES UXOREM PROXIMI TUI? 286.
Q. 2. *Quæ hujus prohibitionis ratio eſt?* 286
Q. 3. *Quid ſi quis pravos* CONCUPISCENTIÆ MOTUS, *pravaque deſideria in ſe patiatur* invitus? 287
Q. 4. *Ipſane etiam impuræ voluptatis* COGITATIO *peccatum eſt?* 287
Q. 5. *Licetne alienam conjugem ita concupiſcere, ut, ſi fiat vidua, ſibi uxor obtingat?* 289
Q. 6. *Quid vetatur Decimo præcepto:* NON CONCUPISCES DOMUM PROXIMI TUI, NON AGRUM, NON SERVUM, NON ANCILLAM, NON BOVEM, NON ASINUM, NEC OMNIA, QUÆ ILLIUS SUNT? 289
Q. 7. *Quorſum in Reſponſione additum eſt*, domino rationabiliter invito? 289
Q. 8. *Qui ſunt ii, qui præcipuè in hoc decimum præceptum impingunt?* 289
Q. 9. *Quid cauſæ eſt, cur hæc duo poſtremæ Præcepta, quæ ad interna deſideria pertinent, cæteris adjicere voluerit Deus?* 290
Q. 10. *Quo pacto* prava deſideria *reprimenda ſunt?* 291

CAPUT XXIX.

De Legibus Humanis.

Q. 1. *Quæ ſunt generales legis humanæ* CONDITIONES? 292
Q. 2. QUOTUPLEX *eſt lex humana?* 292
Q. 3. *Penes quos reſidet* JUS LEGUM FERENDARUM? 295
Q. 4. *Legeſne illæ ipſam quoque conſcientiam* OBLIGANT? 295
Q. 5. *Qualis & QUANTA eſt ea obligatio?* 296
Q. 6. *Poteſtne lex humana obligare cum* APERTO *etiam* VITÆ PERICULO? 296
Q. 7. *Quid ſi præcipiantur, aut prohibeantur* ACTUS INTERNI? 297
Q. 8. *Quid ſi ſit* LEX PŒNALIS, *parietne illa etiam obligationem?* 298
Q. 9. *Quid ſi lex ſit* INIQUA? 299
Q. 10. *Quo* ANIMO, *quo item* MODO *obediendum eſt legi, ut illius obligatione ſolvamur?* 299
Q. 11. *Obligatne lex, ſi non fuerit* PROMULGATA? 300
Q. 12. *Quinam & quomodo* SUBDUNTUR *legibus humanis?* 302
Q. 13. *Quibus præſertim modis* CESSAT *obligatio legis?* 303
Q. 14. *Qualis quantaque eſt vis* CONSUETUDINIS? 304
Q. 15. *Quid ſentiendum de* DISPENSATIONE, *qua ſtante legis vinculo, obligatione ejus aliquis ſingulatim eximitur?* 306
Q. 16. *Quomodo* diſpenſatio *differt ab* INTERPRETATIONE *legis, item ab* EPIIKIA? 307
Q. 17. *Quæ pro canonum legumque* interpretatione Regulæ *annotari poſſunt?* 308

CA-

CAPUT XXX.

De PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Q. 1. *Quot recenſeri ſolent* PRÆCEPTA ECCLESIÆ? 310
Q. 2. *Debetne Chriſtianus ultra* præcepta Decalogi, *hæc quoque præcepta ſervare?* 310
Q. 3. *Quid injungit* PRIMUM *Præceptum Eccleſiæ*: Statutos Eccleſiæ feſtos dies celebrato? 311.
Q. 4. *Graviterne obligat hoc præceptum?* 311
Q. 5. *Quænam opera diebus feſtis per ſe* licita *ſunt, quomodo autem ea quæ prohibita ſunt, licita fieri poſſint?* 314
Q. 6. *Quinam præ cæteris violati hujus præcepti rei fiunt, tranſgreſſoribus* COOPERANDO? 314
Q. 7. *Quid ſibi vult* SECUNDUM *Præceptum*: Sacroſanctum Miſſæ Officium diebus Feſtis reverenter audito? 315
Q. 8. *Quid exigit* TERTIUM *Præceptum*: indicta certis diebus jejunia *& à quibuſdam cibis abſtinentiam* obſervato? 316
Q. 9. *Quorſum illa à* quibusdam cibis *abſtinentia?* 316
Q. 10. *Obligatne* GRAVITER *hoc Eccleſiaſtici jejunii præceptum?* 317
Q. 11. *Quodnam præ cæteris jejunium ſingulari Sanctorum Patrum commendatione celebratum ſemper fuit?* 317
Q. 12. *Eſtne eadem hodie, quæ fuit olim jejunandi* DISCIPLINA? 317
Q. 13. *Quinam ab Eccleſiaſticorum Jejuniorum lege ſunt* LIBERI? 320
Q. 14. *Quid ſibi vult* QUARTUM *Eccleſiæ Præceptum*: Peccata tua Sacerdoti proprio quotannis confitetor? 321

Q. 15.

Q. 15. *Quid juxta hodiernum uſum injungitur* QUINTO *Præcepto* : Sacroſanctam Euchariſtiam ut minimùm ſemel in anno, idque circa Feſtum Paſchæ ſumito? 322

CAPUT XXXI.

De Feſtis DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ceteriſque Eccleſiæ obſervantiis, quæ iſtuc reducuntur.

Q. 1. *Quibus in rebus meditandis occupatur Eccleſia eo tempore, quo* ADVENTUS *dici conſuevit?* 323

Q. 2. *Quæ eſt mens Eccleſiæ in Feſto* NATIVITATIS DOMINI, *quod* XXV. *Decembris celebratur?* 324

Q. 3. *Quid intuetur Eccleſia* 1. *die Januarii in Feſto* CIRCUMCISIONIS DOMINI? 325

Q. 4. *Quid ſibi vult Feſtum* EPIPHANIÆ, *quod* 6. *Januarii peragitur?* 326

Q. 5. *Quid peculiare habet Dominica, quæ* SEPTUAGESIMA *appellari ſolet?* 327

Q. 6. *Quomodo tranſigi debet* QUADRAGESIMA? 327

Q. 7. *Cujus rei conſideratione occupatur Eccleſia hebdomada ultima* Quadrageſimæ, quæ HEBDOMADA SANCTA, *aut* MAJOR *dici ſolet?* 328

Q. 8. *Quodnam præcipuè myſterium tanta cum ſolemnitate tantaque cum lætitia in* PASCHATE *celebratur?* 330

Q. 9. *Quid ſibi volunt* ROGATIONES, *quæ publica Cleri cum populo* ſupplicatione *fiunt die* S. Marco *ſacra, tribuſque aliis ante* Aſcenſionem Domini *diebus?* 332

Q. 10. *Quam diſpoſitionem animi exigit à nobis Feſtum* ASCENSIONIS DOMINI? 333

Q. 11.

Q. 11. *Quod myſterium recolitur die* PENTECOSTES, *& quo animo celebrandum eſt?* 333
Q. 12. *Quid obſervandum eſt circa Feſtum SS.* TRINITATIS? 334
Q. 13. *Cur tanta cum pompa & ſplendore in Eccleſia Catholica celebratur Feſtum Sacratiſſimi* CORPORIS CHRISTI? 335

CAPUT XXXII.

De Feſtis BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Q. 1. *Quæ eſt mens Eccleſiæ in Feſtivitatibus Sanctorum?* 336
Q. 2. *Quid cauſſæ eſt cur in Eccleſia Catholica, tam ſpeciali, tamque multiplici devotione præ cæteris Sanctis honoretur* VIRGO MARIA? 337
Q. 3. *Quænam præcipuè myſteria B. Mariæ Virginis cum ſolemni feſtivitate celebrantur?* 338
Q. 4. *Quænam eſt origo & ratio celebrandæ* CONCEPTIONIS *Virginis Matris?* 338
Q. 5. *Quid de Feſto* NATIVITATIS *B. M. V. dicendum occurrit?* 341
Q. 6. *Quid de feſto* PRÆSENTATIONIS? 342
Q. 7. *Cujus rei memoria celebratur in Feſto* ANNUNTIATIONIS *Mariæ?* 343
Q. 8. *Quid complectitur Feſtum* VISITATIONIS *Mariæ?* 344
Q. 9. *Quid exhibet Feſtum* Purificationis *Virginis, & quo animo peragendum eſt?* 345
Q. 10. *Quid Feſto* ASSUMPTIONIS *Virginis celebrandum proponitur?* 346

CAPUT XXXIII.

De præcipuis Feſtivitatibus ALIORUM SANCTORUM.

Q. 1. *Quænam eſt illius lætitiæ ratio qua S.* JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITAS in Eccleſia celebratur? 348
Q. 2. Quomodo celebranda ſunt Feſta SS. APOSTOLORUM? 349
Q. 3. Quid ſpeciatim complectitur Feſtum SS. PETRI & PAULI? 349
Q. 4. Qua ratione SS. EUANGELISTARUM Feſta celebranda ſunt? 350
Q. 5. Quid de Feſtis SS. MARTYRUM? 351
Q. 6. Quid in Feſtis SS. CONFESSORUM? 352
Q. 7. Quid in Feſtis SS. VIRGINUM? 352
Q. 8. Quid in Feſtis SS. MULIERUM & VIDUARUM? 353
Q. 9. Quorſum inſtituta eſt ſolemnis Feſtivitas SANCTORUM ſimul OMNIUM? 353
Q. 10. Quid de commemoratione OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM? 354
Q. 11. Quo ſpiritu peragendum eſt feſtum annuum DEDICATIONIS ECCLESIÆ? 355
Q. 12. Quid facto opus, ut feſtum PATRONI ſui quiſque utiliter celebret? 356
Q. 13. Quid de Feſtis SS. ANGELORUM? 356

CAPUT XXXIV.

De VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

Q. 1. Quid generatim Virtus eſt, & quæ ejus diviſio? 357
Q. 2. Quid eſt PRUDENTIA, quæ illius partes, quæ officia? 358
Q. 3. Quænam potiſſimùm ſequendæ ſunt REGULÆ, ut actiones humanæ à Chriſtiana prudentia non aberrent? 358
Q. 4. At quid de OPINIONE PROBABILI, gravi fundamento, ſive à ratione, ſive ab authoritate, innixa, præbetne hæc ſecura morum ac prudentiæ regulam? 359

Q. 5.

Q. 5. *Quænam* Prudentia *Chriſtiano homini ſollicitè evitanda eſt?* 362
Q. 6. *Quid eſt* JUSTITIA? 363
Q. 7. *Quæ ſunt Virtutes aliæ, quæ ad* Juſtitiam *revocantur, illique* annexæ *dici ſolent?* 363
Q. 8. *Quid eſt* TEMPERANTIA? 364
Q. 9. *Quid eſt* FORTITUDO? 365

CAPUT XXXV.

De QUATUOR Hominis NOVISSIMIS.

Q. 1. *Quæ dicuntur quatuor hominis* NOVISSIMA? 366
Q. 2. *Utilisne eſt harum rerum frequens & attenta conſideratio?* 366
Q. 3. *Quid evenire ſolet filiis ſæculi hujus, quibus nimis triſtis & moleſta eſt* Noviſſimorum *conſideratio?* 367
Q. 4. *Quænam igitur circa* MORTEM *præcipuè conſideranda ſunt?* 367
Q. 5. *Quid de* JUDICIO *præcipuè cogitandum eſt?* 368
Q. 6. *Quid de* INFERNO *ejuſque pœnis cum animis noſtris expendere debemus?* 369
Q. 7. *Quid de juſtorum retributione* CŒLESTISQUE GLORIÆ FELICITATE *potiſſimum meditandum eſt?* 370

APPENDIX.

Propoſitiones à Summis Pontificibus reprobatæ.

§. 1. *De Spe & Mercedis intuitu.* 372
§. 2. *De Timore.* 372
§. 3. *De Oratione, & Meditatione.* 373
§. 4. *De afflictionibus juſtorum.* 384

§. 5.

§. 5. *De Horis Canonicis.* 385
§. 6. *De Charitate.* 385
§. 7. *De præcepto Dilectionis Dei.* 392
§. 8. *Circa Relationem Operum in Deum.* 393
§. 9. *De Præcepto dilectionis Proximi.* 393
§. 10. *De Eleemoſyna.* 393
§. 11. *De Legibus.* 394
§. 12. *De Imagine Dei.* 394
§. 13. *De juramento & perjurio.* 394
§. 14. *Circa IV. præceptum Decalogi.* 395
§. 15. *Circa V. præceptum, de Homicidio & Duello.* 396
§. 16. *Circa VI. præceptum, de Peccatis Luxuriæ.* 397
§. 17. *De Gula.* 398
§. 18. *Circa VII. præceptum. De furto, uſura, & Reſtitutione.* 399
§. 19. *Circa VIII. præceptum. De Mendacio, & detractione, ſive calumnia.* 400
§. 20. *Circa IX. & X. præceptum Decalogi.* 400.
§. 21. *De Legibus Humanis.* 401
§. 22. *Circa Præcepta Eccleſiæ, De Feſtis, auditione Miſſæ, & Jejunio.* 401
§. 23. *De B. Virgine Dei Genitrice Maria.* 402.
§. 24. *Circa virtutem prudentiæ. De* PROBABILIBUS. 402
§. 25. *De Peccato Philoſophico.* 403
§. 26. *De authoritate Pontificis, item S. Auguſtini.* 404
§. 27. *Variæ cenſuræ, ſub quibus relatæ antehac Propoſitiones damnatæ ac prohibitæ ſunt.* 404

FINIS.

Digitized by Google

ed by Google